
Ths
1023



Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

L. M. Steinberger Sculps. A. V.

ANTI-JANSENIUS

Hoc est

NECESSARIA RESPONSIO AD DEFENSIONEM FIDEI CATHOLICÆ ROMANÆ APOSTOLICÆ

Quam

NICOLAUS JANSENIUS BELGA, ORD. PRÆDICAT. ET SEDIS Apostolicæ Missionarius anno superiore edidit & Necessariæ Admonitioni ad Ecclesiam Hamburgensem de Papismo fugiendo opposuit.

AUTHORE

JOHANNE MULLERO VRATISLAVIENSI SS. THEOL. LICENTIATO ET PASTORE AD D. PETRI IN ECCLESIA HAMBURGENSI.

Cum

Indice triplici

Capitum, Dictorum Scripturæ & Rerum.

:(o):

HAMBURGI,

Typis JACOBI REBENLINI,

Apud Hæredes Michaelis Heringi,

ANNO M. DC. XXXIV.

DES COLLEGIUMS IN AUGSBURG

Illustrißimo Celsißimoq́ Principi ac Domino, Domino

FRIDERICO

Norwegiæ Hæredi, Sleswici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ Duci, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst &c. Domino meo Clementissimo,

Gratiam & pacem à Jesu Christo sempiternam precor.

Illustrissime, Celsissimeq́; Princeps Domine Clementissime.

VAlde celebris & decantata est controversia, inter Pontificios & nostrates hactenus ventilata de Johanne Papißâ, Fœminâ illâ, quæ sexum mentita virilem, in Scholis & Academijs insignes fecit progressus, donec ad Pontificatum eligeretur. Impr ægnata autē à famulo suo, verumq́;

 tem-

tempus partus ignorans cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, peperit in viâ, quæ est inter Colosseum & Sancti Clementis Ecclesiam, quo in partu diem extremum obijt, cum annos circiter duos Pontificatum gessisset, teste Crantzio lib. 2. Metropol. quem authorem Pontificij aliàs magnifaciunt, hominemq; vocant germanum, qui ante Lutheranas contentiones scripserit, adeoq; nec odio nec amore ductus sit; quæ verba sunt Bellarm. lib. 2. de effectu Sacrament. cap. 18.

Fabulam esse & figmentum hanc de Iohanne Papissa historiam Pontificij communiter clamant. Florimundus Ræmundus Regis Galliæ Consiliarius in libello peculiari Antverpiæ An. 1614. excuso vehementer laborat negare istius historiæ veritatem, cui tamen sufficienter respondit Alexander Cooke in Dialogo scriptorum Anglicorum, Oppenheimij postea recus

typ

typis Hieronymi Galleri, sumptibus viduæ Levini Hulsij An. 1616. qvi rationes Florimundi solidis argumentis protrivit.

Cum annis superioribus Nobilis qvidam Pontificius historiæ istius veritatem negaret, & qvæstio hæc ab alterâ parte ad celeberrimam Electoris Saxoniæ Academiam wittebergensem devolveretur, prolixa & nervosa â Reverendo Collegio Theologico adornata est demonstratio, qva veritas historiæ ex antiqvißimis autboribus assertaest, qvod scriptum utile & necessarium me vidisse memini asservatum in celebri Abbatiâ Lunæburgensi ad D. Michaelem, cùm ante octennium Ecclesiæ illius Pastoratu indignus fungerer: si typis excuderetur labor optimus, fieret hoc magnâ cum veritatis assertione & ingenti Papatus ignominia & confusione.

Bellarminus Cardinalis, qvi omnes

ferè tangit controversias, hanc ipsam quoq; tractat lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 24. aliqvot rationes obijciens, qvibus veritatem historiæ infringi posse putat. (1) Anastasium, Rheginum, Lambertum, aliosq; plures Historicos partum istius Johannæ Papissæ non describere prætendit. (2) Inter Leonem Qvartum & Benedictum tertium sedem Papalem qvindecim diebus vacasse, ait, teste Anastasio, qvod ipsum non consentiat cum Pontificatu istius Fœminæ, qvē per biennium & qvinq; menses gessisse dicatur post Leonem ante Benedictum. (3) In Sigeberti & Mariani Scoti antiqvis manuscriptis negat qvicqvam hac de re inveniri. (4) Johannem hunc Anglicum ex Moguntiâ vocari, ait, cum tamen Moguntia non sit in Angliâ, sed in Germaniâ. (5) Athenis illum literis operam dedisse negat, cum ibidem Gymnasium non fuerit, sed tantùm

nomen

nomen Academiæ, teste Synesio, superfuerit. (6) Ex Vaticano, ait, non potuit ire ad Ecclesiam Lateranensem, cum Pontifices eo tempore non in Vaticano sed Laterano habitaverint. (7) Mulier, inqvit, uterum gerens, circa tempus partus non processisset instante periculo, ne detegeretur. (8) Hoc ipsum, ait, Papa Leo IX. objecit Græcis, qvod Fœmina qvædam Patriarchatum Constantinopolitanum gessisset, si autem Romanæ sedi hoc accidisset, utiq; Leo Papa aliis non objecisset. (9) Ad sedem perforatam Pontificem duci excusat, ut humilitatis suæ admoneatur, qvod de stercore sit elevatus ad solium gloriæ. (10) Statuam mulieris Senensis, inqvit, esse imaginem alicujus Ethnici Sacerdotis, qvem famulus suus præcedat. (11) Pontifices illam viam breviorem declinare, non in sceleris istius detestationem, sed qvia sit angusta & anfractuo-

sa, adeoq; Pontificio comitatui incommoda.

Miror autem celebrẽ hunc Cardinalem ita nugari: responsiones hæ sunt frivolæ nimiumq; jejunæ, ut ex seqventibus patet.

Primò non valet argumentum â silentio qvorundam Historicorum ad rei ipsius negationem; Matthæus, Marcus, Lucas non describunt colloqvium Christi cum muliere Samaritanâ, neq; miraculum Lazari resuscitati: Johannes non recenset institutionẽ Cœnæ Dominicæ, nec tamen seqvitur, ista nunqvam contigisse. Thuanus plurima omittit qvæ in Belgio sunt gesta, qvorũ veritas tamen exinde nõ periclitatur, cũ in Metterano alijsq; legantur. Non est scriptũ, ergò nõ est credendum, de articulis fidei docemus in scholis Theologicis: sed in historicis nõ valet; non est scriptũ, ergò non est factũ. Sit ita, Historicos qvosdam partũ Papissæ hujus nõ descripsisse, factũ hoc tamen est certis de causis.

Qvi-

Qvidam ex metu pœnæ historiã Iohannis octavi omisêre, qvidã in honorẽ sedis Põtificiæ tacuêre, qvidã facti istius turpitudinẽ studio præteriêre, qvidam non Pontificum sed Imperatorum ac Regum res gestas principaliter descripsêre. Posito autẽ Historicos vel septem esse, qvi hanc historiã non describant, nos tamen plures qvã viginti producimus, qvi facti hujus veritatem testantur. Qva de re infra part. 1. cap. 10. prolixius actum fuit.

Secundò, concedimus qvosdam Historicos inter Leonem qvartũ & Benedictũ tertiũ non interserere Iohannã Papissam, multo minus duorũ annorum sed tantum qvindecim dierũ vacantiã sedis Pontificiæ asserere; sed illi pro libidine addunt vel tollunt præcedentibus seqventibusq; Papis tot annos, qvot sufficiunt ad chronologiã Pontificatus Iohannæ Papissæ complendã. Platina scribit Leonẽ qvartũ mortuũ esse anno octavo, mense tertio, die sexto, &

ſedem vacaſſe duobus menſibus ac qvin-decim diebus. Onuphrius contra ſcribit, Leonem mortuum eſſe anno octavo, menſe tertio, die ſexto, ſedem verò vacaſſe tribus menſibus, ſex diebus, usq; ad electionem Benedicti. Platina ſcribit Benedictum Tertium mortuũ eſſe anno ſecundo completo, menſe ſexto, die nono. Onuphrius autem numerat annos duos, menſes octo, dies ſedecim. Nicolao Magno Platina attribuit ſeptem annos, novem menſes, tredecim dies, Onuphrius autem novem annos, ſex menſes, viginti dies. Tempus igitur Johannæ Papiſſæ ſtudiò fuit diſtributum inter cæteros Pontifices, ut turpitudo ſedis Pontificiæ eò artificioſius tegeretur. Onuphrius in annotationibus de Nicolao primo ſcribit, qvod multi Pontifices tempora adeo incerta & obſcura habeant ex negligentia Hiſtoricorum, ut neq; qvo loco, neq; qvo ordine eorum nomina

mina reponerentur, satis liqveat. Imò Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 5. fatetur, qvod magna inter authores sit dissensio de tempore, qvo Petrus Romam venerit, & de Papis, qvi ipsi proximè successerint. Sicut ergo Pontificij non ideo negant Petrum Romæ fuisse, licet de tempore sint incerti, sicut non negant multos Pontifices vixisse, licet loca, tempora & nomina eorum sint incerta, ita qvoq; negari non poterit Johannem Fœminam Pontificatum gessisse, licet de qvibusdam circumstantijs Historici dissentirent.

Tertiò, antiqva manuscripta Sigeberti & Mariani Scoti nondum sunt producta, à testibus fide dignis nondum revisa nec examinata; ad Molanum provocat Cardinalis, sed ubi hoc scribat aut dicat, non addit. Ista præterea manuscripta non sunt autographa ipsorum authorum; multa describuntur, multa etiam omit-

tuntur

*tuntur & corrumpũtur. Libros castrare
qvæ displicent expungere, Pontificiis usi
tatum est, qvod testantur Index expur
gatorius, Censura in glossam Juris Ca
nonici, Thuanus castratus, & scripta a
lia qvàm plurima. Imò licet essent auto
grapha, & ista ibidem nõ legerentur, cer
tũ tamen est, qvod à silentio Historicorum
qvorundam ad rei ipsius negationẽ nulli
valeat consequentia. Præterea Sigebertu
& Marianus Scotus non sunt primi, qv
hanc historiã descripserunt, vixerunt e
nim circa Annum Christi 1086. & 1111
Rudolphus autem Flaviacensis illis long
est antiqvior, utpote qvi vixit circa annũ
Christi 930. adeoq́ prius hanc historiã de
scripsit. Præterea wolfius Centen. 9. p. 225
provocat ad alia veterũ manuscripta, ut
sunt Chronicon Campidonense, Annale
Augustini, Chronicon Argentoratense in
qvibus hanc historiã se legisse asserit. Po-
sito autẽ in qvibusdam antiqvis manu-*

scripti

ſcriptis hiſtoriæ iſtius nullam fieri mentione̅, num credibile eſt tot graviſsimos Authores, tot Clericos papales, adeoq; ipſum Æneã Sylvium iſta finxiſſe, cum diu ante Lutherum vixerint, & Papatui addicti fuerint, adeoq; ſuſpecti eſſe non poſsint.

Qvartò, Papiſſa hæc vocatur ab Hiſtoricis Johannes Anglicus de Moguntia, non qvaſi Moguntiam in Anglia ſitam eſſe putent, ſed longè alijs de cauſis. Moguntia illi fuit Patria, ut concorditer teſtantur, Anglicus autem vel Anglica ipſi fuit cognomen qvod ab Anglia ſortita eſt, vel qvod in ea fuiſſe dicitur educata, vel â qvodam Anglo amaſio, cum qvo familiarius vixit, vel â parentibus, vel etiam aliunde. Sic Berengarius olim dictus fuit Normannus, non natione ſed cognomine; ſic in Germaniâ qvidam vocantur Itali non qvaſi ex Italiâ ſint oriundi, ſed qvod â proavis cognome̅ iſtud acceperint.

Sic Papa Evaristus vocabatur Bethlehemites Græcus, non qvasi Bethlehem sita fuerit in Græcia, sed qvod Pater ipsius Bethlehemites fuerit, qvi filium hunc in Græciâ progenuerat, testibus Platina & Onuphrio.

Qvintò, negat Athenis Gymnasium literarū fuisse, sed tantùm nomē Academiæ superfuisse, teste Synesio, qvanqvam locum, ubi hoc Synesius scribat, non exprimit. Sed si nomen Academiæ ibidem fuit, utiq; vestigium adest, aliqvam ibi fuisse Academiam vel Scholam. Sicut in omnibus Academijs mutatio qvædam studiorū & Studiosorum occurrit, ita ut modò crescant, modò decrescant numero, flore, celebritate, ita etiam Athenis contingere potuit, studia sæpius ibidem collapsa & neglecta, aliqvoties etiam restaurata fuêre. Comparatè igitur loqvitur Synesius ratione status prioris, Athenis suo tempore

pore vix nomen Academiæ superfuisse. Et qvomodo Bellarminus audet concludere, tempore Synesij Athenis studia non floruerunt, ergo tempore Johannis Angli non floruerunt? imò per Cæsarem Bardum studia ibidem restituta fuisse ipse Bellarminus ex Cedreno & Zonora fatetur, studiaq; ibidem reviviscere cœpisse post mortem Johannis istius Anglici, in fine annectit. Si ergo studia Athenis sunt restaurata, sanè studia literarum ibidem fuisse negari non potest. Ita Cardinalis seipsum implicat & confundit.

Sexto, Papissam hanc ex Vaticano S. Lateranum non potuisse invisere, cum in Vaticano non habitaverit, id nimis frivolum est, qvàm ut veritatem historiæ infringere possit. Historici enim id non asserunt, qvod in Vaticano habitârit, & ex habitatione suâ ad S. Lateranum prodierit, sed qvod ex Basilicâ D. Petri processionem

ſionem habuerit ad S. Lateranum, qvia verò Baſilica Petrina contigua eſt Vaticano, hinc à qvibusdam ex Vaticano prodiiſſe dicitur. Pontifices Romani autem Proceſſiones inſtituunt ex Baſilicâ Petri non ideo, qvia in Vaticano ædi Petrinæ contiguo habitant, ſed qvia in templo D. Petri prius Miſſam celebrant, eâq; peractâ, ex hac Eccleſia primariâ cæteras Eccleſias inviſunt. Et licèt Papiſſa hæc in Laterano habitàſſet, ex Baſilica Petrinâ tamen ad Lateranum redire eam oportuiſſet. Sæpiſſime accidit ut conſtet de re, & non conſtet de modo vel aliâ circumſtantià, ſcribit Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 5.

Septimum nullius qvoq; eſt ponderis, mulierem gravidam tempore partus non prodiiſſe propter imminens periculum, ne detegeretur. Gravidæ enim norunt menſes partus in genere, ſed horam & diem

in

in specie ignorant: ex improviso dolores partus gravidas sæpius obruere testatur Paulus 1. Thess. 5. v. 3. Sic Rachel uxor Patriarchæ Jacobi de Bethel proficiscebatur, & in agro Ephrath præter spem & opinionem doloribus partus obruebatur Gen. 35. v. 16. 17. Justus prætera est Deus, qvi clandestina scelera sæpius manifestat cũ ignominiâ & confusione sceleratorum. Romam esse Babylonem Apocalypticam Bellarminus & Ribera fatentur, Papa igitur Meretrix illa Babylonica qvæ suâ fornicatione orbem terrarum seduxerat, per hanc meretricem Romanam debuit toti mundo manifestari. Justus est Dominus, & justa sunt judicia ejus.

Octavò, autumat Cardinalis Pontificem Leonem Nonum hoc Patriarchæ Constantinopolitano non objecisse, si sedes Romana hac labe fuisset maculata; imò

qvod Constantinopoli in Patriarchatu factum erat, postmodum Romæ in Pontificatu factum esse â qvibusdam malevolis fingi. Sed nuda est assertio, nulla probatio: Bellarminus qvoq; utitur particulis, fortasse, verisimile, diffidens scilicet connexioni, qvam infirmam esse, ipsemet agnoscit. Præterea nec absurdum nec inusitatum est Pontifices ea crimina committere, qvæ in aliis reprehendunt vel etiam probibent: Magiam, concubinatum, idololatriam Pontifices multi probibuêre aliisq; obiecêre, qvi tamen ipsi in studio magico, concubinatu, idololatriâ aliisq; vitiis sunt deprebensi. Imò hic mos est malitiosorum, ut ea scelera, qvorum ipsi sunt rei, aliis obiiciant, iisq; affricare studeant, multi vident festucas in oculis aliorum, qvi tamen ipsi trabem habent in oculis suis Luc. 6, v. 41. Pharisæi Christum accusabant seductionis, cujus scele-

ris

ris ipsi erant rei Matt. 27. v. 6. Multi docent alios, seipsos autem non docent, teste Paulo Rom. 2. v. 21.

Nono, ad perforatam sedem duci Pontificem Bellarminus negare non potest, sed admonitionis causa fieri excusat, ut scilicet recordetur, sese de stercore ad solium gloriæ evectum esse. Ridicula excusatio! qvasi non alia & convenientiora essent media, qvibus Pontifex ita posset admoneri. Cur non potius alit famulum, qvi ipsi qvotidie acclamet, memento te de stercore elevatum esse, te cinerem & mortalem esse, exemplo Philippi Macedonis? Aut cur Pontificem recens electum non stercori ipsi potius, qvàm sellæ stercorariæ imponunt, qvo facto longè commodius & clarius humilitatis suæ posset admoneri? Præterea verè dici non potest, Pontificem de stercore evehi; evehitur enim ex Cardinalatu ad Pontificatum; celsitudo

autem Cardinalatus tanta est, ut cum splendore & dignitate regiâ comparetur. Et qvî factum est, qvòd Pontifices ante Johannem Papissam nec sellæ perforatæ impositi nec humilitatis suæ admoniti fuerint? scilicet Cardinales semel deceptos in eligendo prudentiores esse oportet. Felix Malleolus in Dialogo de Nobilit. Laonicus Chalcocondylas de rebus Turcicis, & Sabellicus in Enneadibus testantur unanimiter, qvod ad evitandos similes errores statutum fuerit, ne qvis in Sedem Petri collocaretur, priusqvam virilia ipsius ab ultimo diacono Cardinale attrectata fuerint.

Decimò imaginem Senensem non Papissam cum sobole sed Ethnicum sacrificulum cum famulo repræsentare, Bellarminus nobis haud persvadebit. Aliud monstrat inscriptio illius Papæ, qvam Senis legerunt viri fide dignißimi. Et qvà

de

de causâ Ethnicus iste sacrificulus in seriem Paparum fuisset intrusus? num Ethnicus sacrificulus Pontificatum gessit? Bellarminus malè sibi conscius non audet asseverare, hæc certò ita se habere, sed, qvidam conijciunt, ait, hanc statuam alicujus Ethnici Sacerdotis fuisse: qvorundam igitur conjectura fundamentum est totius negationis. Imò non tantùm Senis, sed etiam Romæ olim ejusmodi statuam diu erectam stetisse, jussu autem Pij Qvinti Pontificis in Tybrim postea dejectam fuisse, testatur Hasenmullerus in Histor. Jesuit. cap. 9.

Frivola tandem est excusatio, qvòd Papa viam illam declinet non sceleris detestandi causâ, sed qvòd via illa sit nimis angusta Pontificisq; comitatui incommoda. Contrarium testantur qvi viam hanc oculis usurpârunt, & Platina scribit, se non abnuere qvò minùs sceleris detestan-

di causâ hoc fiat. Cur ante Johannem Papissam Pontifices hâc viâ usi sunt? num illo tempore nondum fuit angusta? Imo Bellarminus ex Onuphrio testatur qvosdam Pontifices non semel per hanc viam iter fecisse; qvo ipso tacitè concedit, viam hanc Pontificis comitatui usq; adeo incommodam non esse; qvippe cum Pontifex non plebe promiscuâ circumdatus sed Satrapis ordine locatis stipatus incedat.

Ex hisce omnibus patet, Bellarminum pudenda meretricis Babylonicæ tegendo & excusando potius revelare & toti Christianæ Ecclesiæ conspicienda exponere: splendidè disputat primâ fronte, sed ubi omnia rectiùs excussa fuerint, nugas meras subesse, deprehendimus: qvo nomine Disputatorem istum, splendidum nugatorem si qvis dixerit, næ illum vera dixisse, omnes cordati judicabunt.

Ejus-

*Ejusmodi nugas atq; somnia in prosce-
nium Ecclesiæ Christianæ nuper qvoq;
produxit vagabundus qvidam mona-
chus qvi sese vocat Reverendum Patrem,
Fratrem Nicolaum Janssenium Belgam,
Ordinis Prædicatorum, & sedis Aposto-
licæ Missionarium. Provocatus is à ne-
mine nostratium, audaci temeritate in
Ecclesiam Hamburgensem scripto viru-
lento & stylo serpentino irruit, Reveren-
dum Ministerium aliosq; Theologos de
Ecclesiâ Christi meritissimos injuriis &
calumniis gravissimis oneravit, audito-
res nostros scabiosè contempsit, eos vo-
cando, indoctam plebem, vulgus imperi-
tum, miseram plebem, imperitum popel-
lum. Nec Imperatoribus, Regibus, Electo-
ribus, aliisq; Principibus Protestantibus
pepercit, sed convitiis gravissimis eosdem
proscidit. Carolum Qvintum Imperato-
rem gloriosæ memoriæ accusat socordiæ*

in officio p. 222. Reges Galliæ & Angliæ rebellionis accuſat contra Eccleſiam pag. 143. Fridericum Sapientem, Electorem Saxoniæ, vocat inſipientem p. 141. eundemq́ doli accuſat p. 237. Principes Proteſtantes calumnijs ſcholas papiſticas onerâſſe p. 19. & mendacijs in Auguſtanâ Cōfeßione ſubſcripſiſſe, ait p. 73. Magiſtratū vocat ſplendidam ſervitutem pag. 141. Principes contendit eſſe oves monachorū p. 145. Proteſtantes ait pacem religionis fregiſſe, & provincijs ſuis perfidiâ excidiſſe p. 226. cogendos eſſe eosdē timore exilij, bonorum publicatione & interdum mortis ſupplicio p. 227. Hiſpanicamq́ Inqviſitionem in regna Daniæ Sveciæ, Norwegiæ introducendam eſſe ſvadet p. 231.

Præter ſcommata verò & calumnias in libro iſto recoqvit veterem Pontificiorum cramben, & dogmata Antichriſti jam dudum refutata qvaſi ex orco reducit:

cit: disputat enim de Scripturæ imperfe-ctione, de Sanctorum & inprimis Francisci satisfactione pro peccatis nostris, de lacte Mariæ qvo redempti simus, de transsubstantiatione, purgatorio, mortuorum invocatione, imaginum religiosâ veneratione, de processionibus, consecrationibus, indulgentijs, cælibatu Sacerdotum, votis monasticis, de merito operum nostrorum reliqvijs Sanctorũ, missæ Sacrificio, calicis benedicti rapinâ, de traditionibus, de majestate Pontificis Romani, alijsq; tenebrosis & monstrosis erroribus qvos nostris Ecclesijs omni conatu obtrudere laborat.

Qvanqvam verò partim labores officij mei, partim aliæ meditationes, partim qvoq; tenuior valetudo vix admittant, ut vagantium monachorum & emissariorum somnia & convitia examinem ac retundam, interim tamen provocatus ab adversario non potui nõ respondere, præ-

ſertim cùm effrons iſte antagoniſta me obteſtetur, ut, ſi guttula Dialectices in m ſit reliqva, cum ipſo in arenam deſcendar & argumenta ipſius impugnem. Siſto m igitur in nomine Jeſu Chriſti Salvatori mei, emiſſario iſti Antichriſtiano, & qv ſucciſivis horis contra volumen Janſſe nianum meditatus ſum, in ſolem atq; pu verem produco.

Jlluſtriſsimæ *autē* Celſitudini *veſtræ* Princeps Potentiſsime, *has lucubrati ones mente humilimâ offerre volui, cert de cauſis. Notus eſt in univerſo orbe Chri ſtiano Jll. Celſitudinis veſtræ amor & Ze lus erga religionem verè Evangelicam dum Eccleſiæ Orthodoxæ Nutritorem a git munificentiſsimū & Defenſorem con ſtantiſsimum, ſacroſanctum verbi di vini depoſitum cuſtodiendo, Confeſſore ejusdem promovendo ac protegendo. Con fido igitur* Jll. *veſtræ* Celſitudini *hoc o*

puſcu

pusculum non ingratum fore, qvod in defensionem veritatis Evangelicæ, unicè conscriptum est.

Accedit Excellentissima illa eruditio Jll. Celsitudinis *vestræ, & præclarissima artium ac lingvarum, ipsiusq́; sacrosanctæ Theologiæ cognitio, qvod rarum in Principe donum meritò venerantur omnes. Rectissimè olim dixit Plato, tum demum beatas fore Respublicas, si aut Philosophi imperarent, aut qvi imperāt, Philosophiæ operam darent. Illi igitur Patrono opusculum hoc inscribendum fuit, qvi de eodem rectissimè judicare posset.*

Scriptum præterea istud qvale qvale est, magno opus habet patrocinio contra malevolorum insultus. Cum virulento Antagonistâ mihi res est, qvi in veritate causæ succumbens personalia tractare solet acerrimis criminationibus permixta. In Pasqvillo nuper Amsterodami excuso

voca-

*vocationem meam, officiũ, nominisq; ho-
nestatẽ arrodere tentavit, fingendo, qvasi
rebelliones contra Cæsarem atq; Reges ex-
citaverim, & nuper cum alijs rebellibus
in hanc urbem me receperim. Tanti Prin-
cipis ergo patrociniũ implorare debui, qvi
hasce meditationes pro veritate conscri-
ptas contra monachorum calumnias de-
fendere vellet atq; posset.*

Accipe ergo, Princeps Potentissime, *
levidense hoc opusculum fronte serenâ, &
ut* Tuæ Celsitudinis *patrocinio frua-
tur, clementissimè concede, contra mali-
gnos adversariorum impetus illud tuere,
& me meosq; ac studia mea commendata
habe: qvo beneficio, qvantò sum indignior,
tantò Clementia Celsitudinis Tuæ redde-
tur illustrior.*

Deum supplex veneror, ut Jllustrissi-
mam Tuam Celsitudinẽ *in hisce turbis
Romani Imperij alis divinæ clementiæ suæ*

cum

cum Illustrißimâ Conjuge ac Sobole protegat, Eandemq́ in Ecclesiæ pressæ solatiū, pacisq́ exulantis reductionem diu sospitem conservet. Exaudiat te, Magne Princeps, *Jehova in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Mittat tibi auxilium de sancto suo, & tueatur te de Sion, tribuat tibi secundum cor tuum & omne consilium tuum confirmet. In hoc voto cōcludo, & Divinæ Omnipotentiæ,* Tuam Celsitudinem *seriis precibus, Tuæ autem Clementiæ me & mea humilimè commendo. Dabam Hamburgi Dominica Invocavit Anno 1634.*

Illustriss. Celsitudinis T.

Humilimus in Christo servus,

Johann. Muller L.

Nico-

Nicolao Janssenio.

Salutem & sanam mentem.

ILluxêre tandem Calendæ, Jansseni, non Græcæ illæ, qvas somniabas nuper, sed Romanæ, aut si mavis Germanæ, vel etiam Hamburgenses. Nundinæ appropinqvan non Utopienses illæ, ut sarcasticè fingebas, sed Lipsienses & Francofurtenses. Provocasti me ad disputandi in conspectu Amplissimi Senatus Hamburgensis; en meam liberalitatem! in conspectu totius Ecclesiæ Christianæ tecum disputo. Latinè vis, ut tecum agam: sci licet propter numerum Bestiæ Romanæ, qvem in voc λατεῖνος contineri, jamdudum Irenæus docuit. Præ dicas ipse nervositatem, ordinemq; laboris tui: at eg non nisi meæ infirmitatis cum Paulo mihi conscius sum Virtus Dei etiã in infirmitate perficitur. Stylum tuum jactas & Philosophiam; sed ego cum Apostolo non ve nio ad te in plausibilibus humanæ sapientiæ verbis: i spiritu & virtute regnum Dei consistit. Patres multo crepas in tuâ defensione: ego ad unicum Patrem Pa trum provoco, qvi nunqvam erravit, nunqvam erra bit, nec de errore aliqvo suspectus esse potest. Scomma ta immisces multa; sed hoc est muliercularum & i lorum, qvi de bonitate causæ desperant. Sibilum se pentinum phy, phy, aliqvoties repetis, nempe ut ap pareat, cujus sis progenies, serpentis scilicet antiqv Studiò occultas locũ, in qvo habitas & scribis, secund illud; qvi mala agit, odit lucem. Cimbricã qvidẽ voc Chersonesum; sed cur non Europam sive etiam orbe terrarũ nominasti? ut omnes intelligerent, te esse te ræ filium. Non verba, sed nervum argumentorũ tuor candidè assumsi, tu fac similiter si qvid facturus es. N

qv

qvædam excerpsi, sed ordine progressus sum ad omnia, tu si bonus es vestigia mea seqvere. Omnia refutare tibi erit tam impossibile, qvam impoßibile est veritatem divinam mentiri. Ad scommata, scurrilia, personalia, allegorias & similes declamationes non respondi, jussu Salomonis, ne tibi similis efficiar. Nec ad omnes Patrum sententias, non enim Patrologia, sed Theologia est circa qvam versamur. Antiqvissimi Patres sunt Prophetæ & Apostoli, hos evolve, ex his disputa. Contra Calvinistas & Anabaptistas disputas, sed neq; satisfacis hisce adversarijs, neq; nostras Ecclesias tangis. Ego si stylo tuoq; disputandi modo interdum usus sum, æqvi consulas spero, qvod enim qvis juris in alium statuit, id in se statui patiatur necesse est: qvi qvæ vult dicit, qvæ non vult, audit. Peregrina de bello admisces, sed hæc pertinent ad regna mundi, arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Qvod superest vale & resipisce, aut si gaudes sordibus, sordesce.

Schediasmata

AMICORUM

Ad Authorem.

AUsoniam medio sparsit *Jansenius* orbe
Hæresin, & sacros cõtemeravit agros.
Non fert hos ausus *Mulleri* provida cura,
Sed tetrum promto Marte Sophisma fugat.
Testis hic est codex, Fidei qvẽ nobile verũ
In varias mundi vult abijsse plagas.
Gaudet Relligio defensa; Sed incitus error
Mox, fundamentum dum labat omne, jacet.

Lipsiæ F.

Heinricus Höpffnerus, D.

Joh.

Joh. 20. v. 31. Hæc 1. ſcripta ſunt 2. ut credatis, qvia Jeſus eſt Filius Dei, 3. & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

1. UNum principium fidei Scriptura, 2. ſalutis
Una fides medium, 3. nec niſi certa ſalus.
At 1. dubijs libris Papa nititur, 2. addit opellas
Ter dubias, 3. dubitat deq́; ſalute miſer.
Et tamen hunc miſerum in Labyrinthum cogere ferro,
Ac nos Pyrrhones reddere, totus amat.
Qvos dum tu retegis cæcos, MULLERE, mæandros
Non labor in Domino tantus inanis erit,

Wittebergæ
f.
Paulus Röberus D

NOn debet Modio, Lychni lux clara recõdi
Nõ qvoqve ſub Lectis illa locanda venit
Qvin potiùs par eſt in aprica ſede reponi
Luceat ut cunctis qvos domus illa capit
Sic qvoqve divini non eſt Lux aurea Verbi
Occultanda, aut ſub defodienda ſolo.
Qvin potiùs partes diffundere debet in omnes
Orbis totius liberiùs radios.
Euge Gener MULLERE, frui dans aere Verbi
Sacram divini liberiore facem.
At tu Janſoni cum raſa unctaq́; caterva
Ito, & reſponſum non ſatis eſſe, crepa.
Aut tibi vis lucis luſcos perſtringet ocellos:
Aut fiet pectus durius ære tuum.

Witteberga.
f.
M. Eraſmus Schmidt Græc. & Math
P.P. p. t. Decanus.

:(o):

IN NOMINE
Sacrosanctæ & Individuæ
TRINITATIS.

APOLOGIA
Johannis Mulleri.
Contra Nicolaum Janssenium Monachum Dominicanum.
Procemium.

QVadriennium est, Christiane Lector, cùm *Dominicus Janssenius* Ordinis prædicatorum Monachus, contra Magistratus consensum & voluntatem, in Ecclesiam mihi commissam irrumperet, & monstrosam Papatus doctrinam, publicè missificando & concionando, cum scandalo & seductione multorum seminaret. Conscientia verò & officij ratio tum temporis exegerunt, ut seductori contradicerem, & *Necessariam Admonitionem ad Ecclesiam Hamburgensem de Papismo fugiendo*, publico scripto ipsi opponerem; qvi liber secundâ vice excusus, cum fructu in manus plurimorum pervenit.

2.] Penitus autem tacuit Frater iſte *Domini-cus*, vel qvod reſpondere noluit, vel qvòd non po-tuit; ipſum noluiſſe non eſt veriſimile, cum ingen-ti ferociâ & temeritate publicè pro ſuggeſto, & privatim in converſatione, noſtram doctrinam oppugnare ſolitus fuerit: veroſimilius eſt ipſum non potuiſſe, cum præter impudentiam & clamo-res nihil ſolidi in iſto homine deprehenſum fue-rit. Interea Monachi, ne viderentur causâ ceci-diſſe, varias machinas de illo ſcripto contra me ſunt machinati: Qvidam ad ſummum Magiſtra-tum provocarunt, qvidam vitæ & corporis peri-culum minitati ſunt, qvidam ſolidas refutatio-nes jactitarunt: tandem *Dominicus* iſte *Fratrem* ſu-um ex *Belgio* in auxilium vocavit, ut laboranti ſuc-curreret, & cauſam deſperatam ageret. Prodij ergò biennio pòſt liber quidam *Antuerpiæ* excuſus cum titulo: *Defenſio Fidei Catholicæ & Apoſto-licæ Romanæ, oppoſita Admonitioni neceſſariæ Jo-hannis Mulleri, Lutherani, prædicantis Ham-burgenſis, Auctore R. P. F. Nicolao Janſſeni Belgâ, Ordinis Prædicatorum, S. Sedis Apoſto-licæ Miſsionario.*

3.] Qvamprimum liber iſte ad manus mea pervenit, brevem ἀνάλυσιν ejusdem inſtitui, & in libello peculiari, quem *Prodromum Anti-Janſ-ſenij* nuncupare placuit, Adverſario unicum argu-mentum propoſui, ita formatum: Qvæcunq; re-ſponſio (1) ſcatet calumnijs & maledicentiâ in Imperatorem, Reges, Electores, Principes & The-

ologos

ologos; (2) In qvâ ad multa præcipua capita planè nihil respondetur; (3) In qvâ confessio fraudum Pontificiarum invenitur; (4) Qvæ multis modis impingit contra regulas logicas, & Leges disputantium; (5) In qvâ immiscentur peregrina, non necessaria, ad rem ipsam non pertinentia; (6) In qvâ manifestè habentur falsa; (7) In qvâ Author contradicit Sacræ scripturæ; (8) alijs Authoribus pontificijs; (9) sibi ipsi; (10) ita disputat, ut retorquendo facilimè possit refutari; (11) Mendacia proclamat ea, qvæ sunt verissima; (12) otiosis verbis & inani garrulitate paginas complet; illam responsionem oportet esse confusam, erroneam, adeoq; reijciendam: talem verò esse responsionem *Janssenij*, demonstravi per duodecim capita, verba ipsius adscribendo, paginas & loca citando; eamq; propterea confusam, erroneam & reijciendam esse conclusi.

4] Viso hoc Libello Monachus dentatam schedulam calumnijs & mendacijs refertissimam sub titulo *Appendicis* edidit, in qvâ me accusavit, nescio cujus rebellionis excitatæ contra Cæsarem & alios Reges, provocans ad Amplissimum Senatum Hamburgensem, qvasi de meâ indole & ingenio turbulento sæpius fuerit conqvestus; objiciens, qvòd cum alijs rebellibus *Hamburgum* me nuper receperim, ne scilicet pœnas darem, minitans sese adventurum instar alicujus Goliathi, cujus minas omnes extimescere debeant: realia verò ipsa, qvæ in Prodromo meo ipsi objeci, tribus verbis leviter tetigit & præterijt, sola personalia tractando, qvod est certissimum causæ malæ atq; perditæ argumentum.

2.] Penitus autem tacuit Frater iste *Dominicus*, vel qvod respondere noluit, vel qvòd non potuit; ipsum noluisse non est verisimile, cum ingenti ferociâ & temeritate publicè pro suggesto, & privatim in conversatione, nostram doctrinam oppugnare solitus fuerit: verosimilius est ipsum non potuisse, cum præter impudentiam & clamores nihil solidi in isto homine deprehensum fuerit. Interea Monachi, ne viderentur causâ cecidisse, varias machinas de illo scripto contra me sunt machinati: Qvidam ad summum Magistratum provocarunt, qvidam vitæ & corporis periculum minitati sunt, qvidam solidas refutationes jactitarunt: tandem *Dominicus* iste *Fratrem* suum ex *Belgio* in auxilium vocavit, ut laboranti succurreret, & causam desperatam ageret. Prodijt ergò biennio pòst liber quidam *Antuerpiæ* excusus, cum titulo: *Defensio Fidei Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, opposita Admonitioni necessariæ Johannis Mulleri, Lutherani, prædicantis Hamburgensis, Auctore R. P. F. Nicolao Janssenio Belgâ, Ordinis Prædicatorum, S. Sedis Apostolicæ Missionario.*

3.] Qvamprimum liber iste ad manus meas pervenit, brevem ἀνάλυσιν ejusdem institui, & in libello peculiari, quem *Prodromum Anti-Janssenij* nuncupare placuit, Adversario unicum argumentum proposui, ita formatum: Qvæcunq; responsio (1) scatet calumnijs & maledicentiâ in Imperatorem, Reges, Electores, Principes & Theologos;

ologos; (2) In qvâ ad multa præcipua capita planè nihil respondetur; (3) In qvâ confessio fraudum Pontificiarum invenitur; (4) Qvæ multis modis impingit contra regulas logicas, & Leges disputantium; (5) In qvâ immiscentur peregrina, non necessaria, ad rem ipsam non pertinentia; (6) In qvâ manifestè habentur falsa; (7) In qvâ Author contradicit Sacræ scripturæ; (8) alijs Authoribus pontificijs; (9) sibi ipsi; (10) ita disputat, ut retorquendo facilimè possit refutari; (11) Mendacia proclamat ea, qvæ sunt verissima; (12) otiosis verbis & inani garrulitate paginas complet; illam responsionem oportet esse confusam, erroneam, adeoq; reijciendam: talem verò esse responsionem *Janssenij*, demonstravi per duodecim capita, verba ipsius adscribendo, paginas & loca citando; eamq; propterea confusam, erroneam & reijciendam esse conclusi.

4] Viso hoc Libello Monachus dentatam schedulam calumnijs & mendacijs refertissimam sub titulo *Appendicis* edidit, in qvâ me accusavit, nescio cujus rebellionis excitatæ contra Cæsarem & alios Reges, provocans ad Amplissimum Senatum Hamburgensem, qvasi de meâ indole & ingenio turbulento sæpius fuerit conqvestus; obijciens, qvòd cum alijs rebellibus *Hamburgum* me nuper receperim, ne scilicet pœnas darem, minitans sese adventurum instar alicujus Goliathi, cujus minas omnes extimescere debeant: realia verò ipsa, qvæ in Prodromo meo ipsi objeci, tribus verbis leviter tetigit & præterijt, sola personalia tractando, qvod est certissimum causæ malæ atq; perditæ argumentum.

5] Ad ſingula iſtius accuſationis capita in *Brevi quadam Admonitione* reſpondi, ſolidisq; rationibus evici, ficta & falſa eſſe omnia mihi objecta, ad quæ *Janſſenius* iſte ne γρῦ quidem hactenus reſpondere potuit. Interea *Defenſionem Papatus* â *Janſſenio* editam perluſtravi, & duas quaſi ſectiones in eâdem deprehendi; *in Primâ ſatagit refutare ea, quæ ſcripſeram de Papiſmo fugiendo: in Secundâ, Appendicis loco Compendium quoddam Theologiæ pontificiæ proponit.* Utriusq; Examen inſtituere & vanitatem laboris demonſtrare placuit in hoc libello, qvod ut fiat cum gloriâ Nominis divini, Eccleſiæ fructu & veritatis propagatione, faxit *Pater Cœleſtis* propter *Chriſtum* Filium ſuum Μεσίτην & Redemptorem noſtrum.

PARS PRIMA.

Caput primum.

De Tenebris Papatus & in ſpecie de Theologiâ Scholaſticâ.

6] PRæfationem meam *Janſſenius* aggrediens, nullas unquam in Papatu fuiſſe tenebras lucem Evengelij obſcurantes, hoc argumento probat, p. 1.2. *vel Eccleſia ſemper floruit, & nunquam á fide excidit; vel fallit ſcriptura, quæ Eccleſiæ ſempiternam lucem veritatis promittit:* rationem conſequentiæ deducit ex Eſa. 60. v. 1.2.11. Surge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te

orta

orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur, *non occidet ultrà Sol tuus, & ambulabunt Gentes in lumine tuo, aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo Gentium.* Exinde concludit lucem Evangelij ſemper fulſiſſe, & nullas tenebras doctrinæ irrepere potuiſſe. Reſpondetur.

7] *1.* Pugnat hoc argumentum cum proprijs Pontificiorum *hypotheſibus*, aſſerentium, veritatem Evangelicam ſæpius fuiſſe obſcuratam, & adhuc obſcuratum iri. *Bellarm.* lib. 3. *de Eccleſ.* cap. ultimo teſtatur, quod *Alexander Alenſis & Johannes de Turrecremata* docuerint, *tempore paſſionis Chriſti veram fidem manſiſſe in ſolâ virgine Mariâ. Platina* de vitis pontificum p. 26. ſcribit, *tempore Xyſti veram Eccleſiam ita fuiſſe obſcuratam, ut pauciſſimi Chriſtiani fidem ſuam propter imminentia pericula confeſſi fuerint, Tomo* 3. *Concil* edit. Colon. An. 1551. p. 819. ſeq. legitur, qvòd duo Cardinales, duo Archiepiſcopi & Abbas qvidam Epiſcopalis conſilium de reformandâ Eccleſiâ conſcripſerint, in qvo conqveruntur, qvòd *aſſentatoria doctrina irrepſerit*, ex *quâ effectum ſit, ut id liceat, quod libeat*; qvòd *multi philoſophiæ Profeſſores in ſcholis impietatem doceant*, imò *in templis diſputationes impuriſſimæ fiant, & piæ irreverenter tractentur ita ut nomen Dei per Clericos blaſphemetur inter gentes.* Imò *Bellarminus* lib. 3. *de Romano Pontifice* cap. 7. & 8. ſcribit: *quòd Antichriſtus ſeducturus ſit omnes populos & nationes terræ blaſphemijs ſuis*, qvo tempore ſecundum illorum hypotheſin veritas Evangelij

in tantâ omnium populorum ſeductione graviſſimè obſcurabitur, & cultus publicus prorſus ceſſabit. *Janſſenius* qvoq; infra p. 362. ultrò fatetur, *Eccleſiam Chriſtianam in perſecutionibus Ethnicorum Imperatorum in tenebras ſeſe abdidiſſe.* Eodem modo igitur contra Monachum argumentor: aut Eccleſia ſemper floruit & florebit, aut fallit Scriptura in prædictionibus de ſempiternâ luce Evangelij: ediſſerat *Janſſenius*, qvomodo ſcripturæ ſua conſtet veritas de Eccleſiâ ſemper florente, cùm tamen Chriſto patiente vera fides in ſolâ Mariâ manſerit, & tempore Xyſti pauciſſimi Chriſtiani confeſſionem fidei ediderint, cum, fatentibus Epiſcopis & Cardinalibus, impietas & aſſentatoria doctrina in Scholas & Eccleſiam irrepſerint, in perſecutionibus etiam Ethnicorum, Eccleſia in tenebras ſe abdiderit, imò tempore Antichriſti publicus cultus prorſus abolendus ſit? qvicqvid hic Monachus reſpondebit, viciſſim ſibi loco reſponſionis ſumat.

8] 2. Cum de Eccleſiâ Novi Teſtamenti loqvimur, non tantùm aſſumenda ſunt vaticinia de *clementiâ DEI* Evangelium conſervantis, ſed etiam de *Juſtitia* Dei contemptum verbi ſui punientis. Talia vaticinia ſunt: *erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate qvidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur,* 2. Tim. 4. v. 3. 4. *Ideo qvod charitatem veritatis non receperunt, mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes,*

mnes, qvi non crediderunt veritati, sed consenserunt iniqvitati, 2. Thess. 2. v. 10. 11. *Spiritus diserte dicit, qvòd postremis temporibus desciscent qvidam à fide, attendentes Spiritibus Seductoribus ac doctrinis Dæmoniorum per hypocrisin falsiloqvorum, qui cauteriatam habent conscientiam.* 1. Tim. 4. v. 1. 2. *Filius hominis qvando venerit, num reperturus est fidem in terra?* Luc. 18. v. 8. *Universa terra seqvetur bestiam, qvæ faciet, ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi accipiant characterem in manu suâ dexterâ aut in frontibus suis.* Apoc. 13. v. 8. 16. Promissionibus ergò de conservatione Evangelij hæ minæ de puniendo contemptu Evangelij sunt adjungendæ, ex qvibus status Ecclesiæ Novi Testamenti apparebit, hinc Ecclesia comparatur *Lunæ*, *Cantic.* 6. v. 9 qvæ sicut diversas habet φάσεις seu aspectus, dum lumen ipsius augetur & minuitur, ita etiam Ecclesia modò floret & fulget, modò premitur erroribus seductorum & persecutionibus.

9] 3. Distingvendum est inter Ecclesiam *Catholicam* seu *Universalem*, & inter Ecclesiam *particularem*: Promissiones de Ecclesiâ non interiturâ loqvuntur de Ecclesiâ Catholicâ, qvæ super petram *firmata est, ut portæ inferorum non possint prævalere contra illã Matt* 16. v. 18 & hoc respectu *mors Domini annũciabitur donec veniet* 1 *Cor.* 11. v. 26. qvæ Ecclesia etiam durante papatu â Deo mirabiliter cõservata est, ut infra audiemus. Sed particulares Ecclesiæ hanc promissionẽ nõ habent, inprimis Ecclesia Rom. de qvâ nobis sermo est, his promissio-

 nibus

nibus caret. Ita erravit Ecclesia *Corinthiaca*, in qua erant *schismata* 1 Cor. 1 v. 10. 12. cap. 3. v 3 4. & errores de *judicijs forensibus* cap. 6. v. 1. de *divortio* cap. 7. v. 12 seq. de *libertate Christiana* cap. 8. v. 1 seq. de *Cœna Domini* cap 11. v. 21 22 seq. de *resurrectione* cap. 15. v. 12. seq. Ecclesia *Galatarum*, in qua à Christo in aliud Evangelium translati fuêre cap. 1. v. 6. Non obedientes veritati, & Christum iterum crucifigẽtes cap 3. v 1. Ut Apostolus metuat, nè frustra apud eos laboraverit cap. 4. v. 11. Ecclesiæ *Asiaticæ*, *Ephesina*, *Pergamensis*, *Sardensis*, *Laodicensis* Apoc. 2. v 4. 14. 15 20. cap. 3. v. 1. Et dum pontifex Romanus Ecclesiam Græcam damnat, qvòd in quibusdam erraverit, eo ipsò igitur fatetur, Ecclesias particulares errare posse.

10] 4 In specie autem *Romana* Ecclesia est illa ipsa, in qua veritas Evangelij obscurata fuit, de qvâ nobis sermo est. Hanc erroribus esse obnoxiam patet ex multis Pauli admonitionibus de cavendo, ne cadat, aut prorsus excidat. *Fracti sunt rami propter incredulitatem, tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time* Rom. 11 v 20. *Si Deus naturalibus ramis non pepercit, cave ne fortè nec tibi parcat*, v. 21 *vide igitur benignitatem & severitatem Dei: in eos qvidem qvi ceciderunt severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate, alioquin & tu excideris* v. 22 Monet Apostolus Romanos ut timeant, ut in benignitate permaneant, ut caveant, ne & ipsi cadant & exscindantur, ergo potuit Romana Ecclesia cadere & errare, alioquin non fuisset opus admonitione Apostolicâ. Qvòd autem actu ipso erraverit turpissimè, testantur *centum*

tum

tum gravamina Nationis Germanicæ, Onus Ecclesiæ, Causæ recusati Concilij Tridentini, Consultatio Cassandri, Libellus Nicolai Clemangis, Franciscus Petrarcha, Marsilius Patavinus, Hieronymus Savanorola, & alij quam plurimi ex ipsis etiam Pontificijs, quos *Ægidius Hunnius* in præfatione super locum de Ecclesiâ prolixè allegat. Imò collatio dogmatum papalium cum Epistolâ Pauli ad Romanos scriptâ hoc abundè probat, qvam instituit idem *Hunnius* in præfatione super Epistolam ad Romanos.

11] Ejusmodi errores & tenebras plusqvam Ægyptiacas aliquot recensui in mea *Admonitione,* quas Monacho placuit *in quatuor quasi classes* distingvere. *Prima* est qvòd de Christo & ejus merito in Academijs pontificijs parum aut nihil fuerit auditum, sed tempus inutilibus & otiosis qvæstionibus fuerit perditum; ad quæ Monachus respondet *(1) negando & ad Scholasticos provocando. (2) Concedendo sed excusando. (3) In Lutheranos retorqvendo. (4) Dissensiones Scholasticorum excusando.* p. 3. 4. usq; ad 18. Respondebimus ad singula.

12] *1. Negat Monachus p. 3. 4. 5. & contra asserit de merito Christi à Scholasticis in Academijs olim multa fuisse dicta & scripta, provocans ad Lombardum, Scotum, Bonaventuram, Thomam Aquinatem.* Respondeo. Nihil unquam per omnia secula ab ullo hominum in papatu fuisse dictum aut scriptum de Christo, ego non asserui, sed in multitudine otiosarum quæstionum de Christo & ejus

merito magnum fuisse silentium, dixi, & adhuc di-
co, Evolvantur Scholastici *Lombardus, Petrus Com-
mestor, Burchardus Wormatiensis, Antoninus, Ruper-
tus Linconiensis, Gvilielmus Altisidorensis, Alexa-
nus, Gvaltherus Episcopus Pictaviensis, Alexander a
Ales, Thomas, Scotus, Occam, Heinricus de Gandavo*
Evolvantur *Herenus de Boio, Brito Carmelita, Ruper-
tus, Durandus de S. Portiano Johannes de Aleri-
Monaldus, Heinricus de Urimaria Pisanus, Paulus a
perusio, Gregorius Ariminensis, Thomas de Argenti-
na, Rupertus Holco, Petrus de Aliaco Capreolus.* Evol-
vantur *Joan: Major, Richardus de mediâ villâ, Nico-
laus de Orbellis, Stephanus Brulifer. Hugo de S. Vi-
ctore. Pelbartus, Franciscus Mayro, Raimundus In-
gven, Petrus de Palude, Gerson, Bonaventura*, & a-
lij. Videbis in illis qvæstiones otiosas, curiosas
spinosas, inutiles, absurdas, superstitiosas & im-
pias.

13] Tales qvæstiones sunt, utrum in statu in-
nocentiæ fuisset æqvalis numerus virorum ac fœ-
minarum? utrum omnes fuissent nati in sexu ma-
sculino? utrum pueri in statu innocentiæ cum
perfecto rationis usu fuissent nati? qualis ignis si
futurus, qvo mundus peribit? Quam Magnum
latum, altum sit cœlum Empyreum? an in eo sal-
tandum? an sit satis luminosum? qvid Deus ege-
rit ante mundum conditum? Utrum Deus possi
aliqva distinctè intelligere, si ad illa non habea
distinctas relationis rationes? utrum possit pro-
ducere respectum sine fundamento & termino
an possit produccre naturam universalem sine

singu-

singularibus &c. Utrum natura universi magis sit unibilis, qvam natura humana? Utrum homo incarnatus debuerit esse Adam utrum conveniens fuisset eductio carnis Christi de Viro & muliere? Utrum convenientius de Viro? Utrum Filius Dei naturam asini, serpentis, columbæ potuisset assumere? utrum Deus loco Christi potuisset suppositare mulierem? an asinus bibens baptismum sic bibat aqvam consecratam? an fuisset bona forma, si Christus instituisset baptismum in nomine Buff, Baff? Utrum possibilis sit propositio Deus Pater odit Filium? Utrum Deus loco Christi potuisset suppositare Diabolum? si Deus suppositasset cucurbitam, qvomodo illa fuisset concionatura, qvomodo miracula editura, qvomodo crucifigenda? an efficax sit baptismus si consecretur in nomine Diaboli? an Pontifex abrogare possit, qvod scriptis Apostolicis decretum est? *his & similibus* stultissimis, absurdissimis ac impijs qvæstionibus miseri Scholastici se macerarunt, & necessaria de merito Christi interea neglexerunt.

14] Perpendat benevolus Lector, qvam stultè Scholastici disputarint de illis qvæstionibus, an mus arrodens hostiam consecratam arrodat corpus Christi? an corpus Dominicum in ventre muris sit adorandum? an mus ejusmodi exenterandus, & hostia fideli alicui sit offerenda? In his qvæstionibus miseri illi multum temporis & laboris insumpserunt. Ulterius quæsitum fuit; quænam pœna ejusmodi muri sit infligenda? Quidam scribunt, murem esse combu-

ren-

rendum,& cinerem juxta Altare ponendum, Ali metuunt, ne ipſum corpus Chriſti in ventre muri ſimul comburatur, & ſvadent, ut mus exentere tur, & hoſtiæ particulæ inqvirantur, inventæ ab luantur, & pio homini ad edendum offerantu Alij quærunt, quid faciendum ſi illæ particulæ i ventre muris non poſſent inveniri? reſponden qvidam, eſſe in excremento qværendas, alij di cunt, qvod per ſudorem hoſtia ſit emiſſa, alij ſva dent, ut mus excommunicetur, alij verò, ut Sacer dos, ſi non abhorreat, ob reverentiam corpori Dominici devorare debeat Has impias & ſtulta qvæſtiones magno conatu inter ſe agitârun Scholaſtici, *Lombardus, Bonaventura, Thomas, Ale xander Alenſis, Johannes de Burgo, Antoninus, Pe trus de palude, Gabriel Biel, & alij,* pro ut omnes il lorum ſententias locis ubiq; citatis collegit *Hol derus in Mure exenterato.*

15] Scatent libri illorum ſtultis hiſce, inepti & impijs quæſtionibus, an quis poſſit baptizar aut in terrâ, cum Chriſtus in eâ ſit ſepultus? aut i aêre, cum hic ſit clarior aquâ? aut in igne, in qv Spiritus Sanctus apparuit? aut in mulſo, in lixi- vio, an in ſolâ aqvâ Jordanis, an qvalibet aqvâ, an in cerevisiâ, aqvâ roſaceâ, an in jure carnium aut brodio piſcium? qvid faciendum ſi infans i aqvam ſtercoriſaret, ſi puer in fontem urinaret an nive, glacie, grandine, rore, pruinâ, & ſimili- bus poſſit baptizare? an ſit dicendum ego bapti- zo, vel nos baptizamus? an pro baptizo ſit dicen- dum mergo, tingo, abluo te? an in nominibus vel in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti ſit ba- ptizan-

ptizandum? an in linguâ fictitiâ, Rothwelsch? an Sacerdos Græcus latinè baptizans diceret in nomine patria, Filia, & Spiritua Sancta? an infans esset rebaptizandus? an verbis partim germanicis, partim latinis? si quis diceret: Ego baptizo te si Sol est in cancro, & Sol non esset in cancro, an iste baptismus esset ratus? an verba in baptismo possint torqveri? an Syllabæ transponendæ? Si quis interponeret; hæc aqva est nimis calida, da mihi frigidam, an verus esset baptismus? si quis nominibus trium personarum adderet nomen alicujus sancti vel etiam Diaboli, an baptismus esset legitimus? Si quis baptizaret in nomine Genitoris, & Geniti & Procedentis, si quis in nomine Trinitatis generaliter? aut si quis baptizaret in nomine paternitatis, Filiationis, & processionis, aut Patrum & Filiorum, an legitimus esset baptismus?

16] Tales qvæstiones fuerunt, si qvis balbutiens aut edentulus baptizaret in nomine Patlis & Filij & Spilitus Sancti, an legitimus esset baptismus? si mutus aliqvis mergeret puerum in aqvam, & alius qvidam brachijs & manibus truncatis adesset, qvi mergere non posset, interim verba formalia baptismi proferret, ambo ex intentione baptizandi, qværitur an baptismus esset legitimus? si qvis haberet cribrum & longam chordam, infantemq; cribro imponeret, & in flumen aut puteum ita demitteret, verba baptismi proferens, an legitimè puer esset baptizatus? si qvis putaret sibi offerri puerum ad baptizandum, esset autem puella, & contra an baptismus esset legitimus? Si anima alicujus damnati in corpus infantis

tis poneretur, an etiam per baptiſmum poſſet ve-
niam conſeqvi? ſi una anima duobus corporibu-
infunderetur, & ita duos homines informaret
an ſufficeret ſemel baptizare, vel an baptiſmus pr
utroq; ſubjecto eſſet repetendus? Si baptizan
moriatur in actu baptiſmi, qvem nondum abſol
vit, accedat autem alius & ſuppleat ea quæ in ba-
ptiſmo deſunt, qværitur an talis baptiſmus ſit le-
gitimus? an dormiens poſſit dormientem rect
baptizare? an Angeli, animæ defunctorum, vel e-
tiam Diaboli poſſint baptizare? Videatur de hi
quæſtionibus *Wilhelmus de Stutgardia in Petito-
rio Exhortatorio*, qvi ex Scholaſticorum lacuni
magno numero ineptias tales collegit, locis &
verbis authorum ubiq; adſcriptis.

17] Tales qvæſtiones fuerunt *de Tranſſubſtanti-
atione*, an ſit aliqva virtus creata in verbis cœnæ a
tranſſubſtantiationem? an â Chriſto expreſſa &
inſtituta ſit certa verborum forma ad tranſſub-
ſtantiationem neceſſaria? an verba iſla hoc e
corpus meum, proferantur â Sacerdote recitati-
vè vel ſignificativè? an Sacerdos panem virtut
præfatorum verborum transſubſtantiet in cor-
pus Chriſti? vel an iſtis verbis, hoc eſt corpu
meum, ſolùm inſit virtus transſubſtantiandi
qualis ſit converſio, an formalis, an ſubſtantiali
vel alterius generis? ubi accidentia panis fun-
dentur poſt transſubſtantiationem, an in Sacra-
mento, vel in aere, an in ſeſe ſine ullo ſubjecto
ſubſiſtant? qvomodo fiat transſubſtantiatio
an ad ultimam Syllabam, *Um*, vel ad ultimam
literam

literam *M*. Ita quæſitum fuit, de aqva vino appoſita in transſubſtantiatione, an per ſe maneat vino converſo, vel an convertatur in aqvam, qvæ effluxit de latere Chriſti? an prius in vinum & poſtea mediante vino in ſangvinem Chriſti convertatur? an panis Euchariſticus hypoſtaticè aſſumatur â verbo, ſicut humana natura aſſumpta eſt? qvomodo accidentia panis poſſint veneno infici? qvomodo accidentia vini inebrient? qvomodo vermes ex accidentibus panis naſcantur? an corpus Chriſti etiam maſticetur dentibus? an in ſtomachum deſcendat, vel an in cœlum rapiatur? an qvis corpus Chriſti poſſit evomere, & qvid faciendum ſit cum iſtis particulis? qvidam ſvadent, eſſe colligendas, cum vino conterendas, & â qvodam fideli abſumendas, reſiduum vomitus autem eſse comburendum, & in terram juxta altare ponendum. An Corpus Chriſti adſit corporaliter qvando guſtatur, & poſtea tantum Spiritualiter, qvando non amplius guſtatur. In his labyrinthis diſputationum portentoſarum miſeri iſti homines oberrarunt. Legatur *Summa Angelica in titulo de Euchariſtia. Item Reſolutorium dubiorum circa celebrationem Miſſarum occurrentium per venerabilem Dominum Johannem de Lapide Theologum DoctoremPariſienſem, Scotus, Durandus* & alij.

18] Hæ & ſimiles qvæſtiones ſtultiſſimæ & ineptiſſimæ magno numero inveniuntur in ſcriptis Scholaſticorum, qvi de Chriſto ſi qvid inſpergunt, paucis hoc faciũt, aut ſi faciũt, falſa ut plurimum

mum docent, exemplo *Thomæ Aqvinatis*, quem *Janſſenius* citat, quod parte 3. quæſt: 19. ſcribat: *meritum Chriſti nobis poteſtatem merendi quoq; contuliſſe*, quæ doctrina eſt ἄγραφος, & nullo ſcripturæ teſtimonio confirmari poteſt, imò eſt ἀντίγραφος, ut infra audiemus. Si verò qvid interdum de merito Chriſti immiſcent, qvod ſacris literis conforme eſt, illud ſuo loco relinqvitur.

19] 2. Concedit *Janſſenius* p. 6. *qvòd Scholaſtici interdum magis curioſas quam utiles quæſtiones ventilàrint*, ſed excuſat eos, *quod ingenij excercendi cauſa hoc fecerint*. Reſpondeo (1) hoc ipſum eſt qvod taxamus in Scholaſticis, qvod verum diſputandi ſcopum, qvi eſt Dei gloria & veritas Evangelica, neglexerint, & ingenij exercendi cauſa tam ineptè, impiè & ſcandaloſè diſputarint. (2) Diſcentium eſt ingenij exercendi cauſa diſputare. Scholaſtici verò iſti erant docentes, milites veterani, Doctores Seraphici, qui iſto exercitio haud opus habebant (3) Ingenia exercenda ſunt in rebus ſacris, piâ & modeſtâ tractatione, non verò in tantâ impietate, nugis & ſcandaloſis qvæſtionibus, qvales modò ex Scholaſticorum lacunis enarravimus. (4) Falſum eſt, qvod exercitij cauſa hoc fecerint: ſi illorum Commentarij evolvantur, videmus ut plurima ſeriò fuiſſe tractata acerrimis diſputationibus, exẽplo diſputationis de Mure hoſtiam arrodente. (5) Ingenia potius perturbârunt qvam exercuerunt hiſce nugis: Perſonam in Trinitate deſcripſerunt, qvod non dicat *relationem originis, non communem, ſed duplicem negationem*

nem communicabilitatis in genere, non extra genus, significans aliquid positivum & intentionem primam non secundam, connotans circumincessionem, quæ sit subsistentis in subsistente realiter, distinctio mutua præsentialitatis, assistentia in eadem essentia, ut annotat *Erasmus* in Comment: super Novum Testam. 1. Tim. 1. Sic disputârunt, *an sensatio possit esse causa totalis & immediata actus judicativi intellectus; an de re non sensatâ possimus formare notitiã distinctam, utrum conceptiones virtutis formativæ cum æstimativâ præcellant in multiplicatione conceptuum, etiam in brutis super virtutem sensus communis: utrum conceptus sensuum fiat per reflexionem concipientis supra conceptũ suum: utrum conceptus cognitivi formaliter cum effectibus sint in triplici genere; an in aliqvo sensu possit concedi qvod de Deo possimus habere conceptum simplicem, saltem qvalitativè, licet non repræsentativè: cæcus an posit formare conceptum proprium, simplicem, absolutum, rei non intuitivæ cognitum: utrum fruitio sit qvalitas realiter distincta à delectatione: formaliter & formalitas an sint distinctiones rerum vel propositionum.* Si ingenia intricare est exercere, sanè monachi ingenia hisce nugis egregiè exercuerunt!

20] 3. Retorqvet in Lutheranos argumentum, *qvod illi ipsi meritum Salvatoris extenuent, & omnem dignitatem illi detrahant,* p. 6. & 7. probat hoc (1) *exemplo Gerlachij, qvi Christo proprium Redemptoris nomen adimat, docendo; Christum sibi nihil promeruisse.* (2) *Ex communi Lutheranorum sententia, docentium in Baptismo peccatum Originale non tolli in Infantibus, nec in adultis remitti, sed manere, inte-*

rim propter Christum non imputari. (3) *Ex Luthero, qui dicat, justum peccare mortaliter in omni opere bono,* p. 10. *cùm tamen ideo nos Christus redemerit ut haberet populum bona opera sectantem* p. 11. (4) *Ex eodem Luthero docente, quod Baptismus non justificet, aut prosit,* p. 12. Ad singula respondebimus.

21] 1. Si Gerlachius Christo adimit nomen Redemptoris, docendo, Christum sibi nihil promeruisse, seqvitur qvod Christus sui ipsius Redemptor fuerit; qvod autem Christus nec se redemerit, nec sibi aliqvid promeruerit, patet (1) *ex incarnatione*, in hâc enim humana natura per unionem ipsius λόγȣ est supra omnes creaturas, ipsosq; angelos evecta, Hebr. 1. v. 5. 6. qvâ dignitate major non potest cogitari, ergo non opus habuit sibi aliqvid promereri (2) *Ex idiomatum communicatione,* Joh 5. v. 15. Matt. 28. v. 18. Dan 7. v 19. Colof. 2. v. 3. Joh. 2. v. 25. Joh. 5. v. 26. 27. qvà de re alibi fusius agitur; qvia ergo Christo data est æterna potentia & gloria divina, non opus habuit isto merito. (3) *ex fine incarnationis & passionis*; nobis, non sibi natus est Es. 9. v. 6. Luc. 2. v. 11. Galat. 4. v. 4. 5. Pro nobis, non pro se passus est Matth. 20. v. 28. 1 Cor. 1. v. 30. 1. Tim. 1. v. 15. In exaltatione suâ autem novam potentiam non accepit, sed antea collatam plenius exseruit & usurpavit.

22] Dicta verò allegata, *Hebr. 2. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, Psal. 109, de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* loqvuntur de ordine, in qvo exinanitio antegressa est exaltationem: particulæ *propter,*

propter, *propterea* hic in dictis citatis eqvidem leguntur, ast hæ particulæ non semper sunt notæ alicujus *causæ meritoriæ*, sed sæpius *consequentiæ*. Ita legimus Act. 20. v. 25. 26. faciem meam non amplius videbitis, *qvapropter* contestor vos. Hebr. 3. v. 7. *qvapropter* nolite obdurare &c. 2. Pet. 1. v. 10. *qvapropter* fratres satagite, &c. Johan. 12. v. 39. Deus prædixit incredulitatem Judæorum, *qvapropter* non poterant credere. Rom. 11. v. 32. Deus conclusit omnia sub peccatum, *qvapropter* omnium vult misereri. In hisce locis vox *propter* & *qvapropter* non notat *causam* sed *eventum*. Ita etiam in locis Psal. 109 & Hebr. 2. vox διὰ, non notat *meritum*, sed *consequens* passionis: idem legitur Phil. 2. v. 8. 9. factus est Patri obediens usq; ad mortem, *qvapropter* exaltavit eum Deus, id est, *hinc consecutum est*, ut exaltaretur. Ubi additur ἐχαρίσατο, donavit illi nomen ex gratiâ: si ex gratiâ, ergò non ex merito, hæc duo enim inter se sunt opposita. Hinc Lucas cap. 24. v. 26. ait: oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam; passio ergo fuit *via*, non *causa*, per qvam ad gloriam pervenit.

23] 2. Si meritum Salvatoris extenuatur, docendo, peccatum originale in infantibus manere, non exstirpari, sed propter Christum non imputari, sanè ipsa scriptura meritum Christi extenuat, illiq; multùm detrahit. Nam, (*1*) *Matt. 6. v. 12.* jubentur Apostoli & omnes baptizati orare, *remitte nobis debita nostra. Rom. 7. v. 17. 18.* Paulus conqveritur, *qvod peccatum in carne suâ habitet*,

 atqvi

atqvi Paulus erat baptizatus. Ita 1. Joh.1. v. 8. & 10. legitur: *Si dixerimus nos peccatum non habere, mendaces sumus, & veritas non est in nobis.* (2) si peccatum in Baptismo radicitus tolleretur, cur Scriptura nos tam assiduò admoneret de supprimendis concupiscentijs. *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus Rom.6. v.12. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom.8. v. 13. *Renovamini Spiritu mentis vestræ, induite novum hominem qvi secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis* Ephes.4. v.23 24. Hinc (3) Scriptura ait, qvod justis peccata tegantur, & non imputentur: *Beatus cui dimittitur prævaricatio, cui tegitur peccatum. Beatus homo, cui Deus non imputat iniqvitatem*, Psl. 32. v. 1.2. Imò si (4) peccatum in Baptismo penitus tolleretur, labes Originalis â Parentibus baptizatis in liberos non propagaretur, qvod tamen fieri videmus. Et unde peccata actualia proveniunt, nisi â peccato Originali inhærente? qvod si penitus tolleretur in Baptismo, danda esset alia causa corruptionis & vitiositatis in naturâ.

24] Peccatum ergò duplici modo considerari debet, prout est ἀνομία & vitiositas in prædicamento *Qvalitatis*, vel ut est damnabile qvid, faciens nos reos iræ divinæ in prædicamento *Relationis*. Priori respectu non planè tollitur in Baptismo, manet enim vitiositas in naturâ, licet minuatur, sed posteriori respectu tollitur, & baptizati â reatu liberantur. Exemplo nobis sit Paulus baptiza-

ptizatus, qvi conqveritur, *qvod in carne suâ peccatum habitet*, etiam post Baptismum Rom. 7. v. 17. & tamen ait, *qvod nihil damnabile sit in illis, qvi sunt in Christo Jesu.* Rom. 8. v. 1. inter qvos Paulus seipsum qvoq; numerat. Hic qværitur qvomodo peccatum sit in carne Pauli, & tamen nihil damnabile sit in eo? Respondetur: peccatum erat in Paulo prout est vitiositas & corruptio naturæ, sed sublatum erat â Paulo per Baptismum, prout reatum habet iræ Divinæ; *materiale* peccati manet, scilicet ἀνομία, sed *formale* tollitur, nempe *reatus* iræ divinæ & æternæ damnationis. Sic 1. Joh. 1. v. 7. legimus, *nos sangvine Jesu Christi â peccatis mundari*, & v. 8. seqvitur, *nos mendaces esse, si diceremus nos peccatum non habere*: habemus peccatum, hoc est, ἀνομίαν in nobis habitantem, mundati autem sumus â peccato sangvine Christi, ita ut peccatum nobis non imputetur ad damnationem. Notanda autem est insignis calumnia Janssenij, dum p. 8. scribit: *Lutheranos declarare re ipsa peccata in adultis baptizatis non remitti*; ex nullo enim authore Lutherano hoc poterit demonstrare, nec per bonam conseqventiam ex nostrâ sententiâ deducere. Imò dum dicimus peccatum adultis non imputari propter Christum, eo ipso docemus peccata adultis baptizatis remitti; remittuntur enim ideo qvia non imputantur.

25] (3) Citat *Lutherum* docentem, *Justum peccare mortaliter in omni opere bono*, Respondemus; veterem hanc Pontificiorum esse cramben de

Luthero, ad qvam licet millies responsum sit, tamen eandem Monachus iste recoqvit. Lutherus non docet, bona opera *formaliter* esse peccata, sed Christianum peccare in omnibus suis operibus, id est, *omnibus operibus Christianorum vitij aliqvid inhærere*, qvæ sunt verba ipsius Tom. 2. Jenens. Latin. fol. 308. 309. Idem verò docet Scriptura: *Omnes justitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ*, Esa. 64. v. 6. *Sicut sordes in excusso cribro remanent, ita spurcitiæ hominis in cogitatione ipsius*. Syr. 27. v. 5. *Invenio legem in me, qvi bonum volo, qvòd mihi malum adjacet*, Rom. 7. v. 21. Imò in omnibus Christianis caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus contra carnem, *hæc autem inter se opposita sunt, ut non qvæcunq; volueritis, eadem faciatis* Galat. 5. v. 17. Qvòd si ergo *Lutherus* peccavit hoc effato, peccârunt etiam *Esaias, Syrach, & Paulus*. Qvòd autem Lutherus vitia bonis operibus adhærentia peccata vocat mortalia, id non sine causâ facit, nam *omne qvod contra legem est, peccatum est* 1. Johan. 3. v. 4. 5. Jam verò hæc vitiositas est contra legem, qvæ â nobis reqvirit *totam animam, totum cor, omnes vires*, Deut. 6. v. 5. *Qvi autem in uno peccat, is reus est totius legis* Jacob. 2. v. 10. adeoq; *sub maledictione* Deut. 27. v. 26. rectè igitur Lutherus vitia hæc bonis operibus adhærentia, peccata mortalia vocavit, qvia mortem æternam promerentur. Teguntur autem ista peccata Renatorum & Fidelium merito Christi, qvod nobis applicatur per fidem, cujus respectu coram Deo sancti & immaculati sumus, *Peccata teguntur & non imputantur* Psal. 32. v. 1. 2. *livore*

ejus ſanati ſumus Eſa. 53. v. 5. *Credenti imputatur fides in juſtitiam* Rom. 4. v. 5. *Deus ſibi mundum reconciliavit in Chriſto, non imputans delicta ipſorum* 2. Corinth. 5. v. 19. Conſeqventia ergo, qvam exinde Janſſenius deducit, qvòd merito Chriſti multum detrahatur, per ſe evaneſcit.

26] (4) Citat *Lutherum, in libro de Captivitate Babylonica* docentem, *Baptiſmum non juſtificare, nec ulli prodeſſe ſed fidem in verbo promiſſionis.* Reſpondetur: *Lutherus Tom. 2.* Jenenſ. Latin. lib. de captiv. Babyl. fol. 270. ita ſcribit: *In Baptiſmo obſervanda eſt Divina promiſſio, qvæ dicit, qvi crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qvæ promiſſio præferenda eſt incomparabiliter univerſis pompis operum, votorum, religionum, & qvicqvid humanitus eſt introductum. Nam in hac pendet univerſa ſalus noſtra, ſic autem eſt obſervanda, ut fidem exerceamus, in ea prorſus non dubitantes nos eſſe ſalvos, poſtqvam ſumus baptizati. Nam niſi hæc adſit, aut paretur fides, nihil prodeſt Baptiſmus, imò obeſt, non ſolum tum cum ſuſcipitur, ſed toto poſt tempore vitæ. Incredulitas enim ejusmodi mendacem arguit promiſſionem divinam, qvod eſt ſummum omnium peccatorum.* Videt benevolus Lector, Lutherum nihil aliud velle, qvam qvòd Baptiſmus non proſit *ex opere operato*, verũ *adjunctâ fide*, qvæ inſtar manus eſt apprehendentis beneficia in Verbo & Sacramentis oblata. Qvòd verò *Janſſenius* exinde concludit, nos tollere meritùm Chriſti ex Baptiſmo, mera eſt calumnia, dum enim fidem in baptiſmo reqvirimus, eo ipſo meritũ Chriſti docemus, cum fides noſtra amplectatur

ctatur meritum Christi tanqvam objectum suum genuinum Rom. 3. v. 25. adeoq; per fidem in Baptismo Christum induamus. Galat.3. v. 27. Huc etiam refero, qvæ *Janssenius* addit: *Ex mente Lutheri, plus Exorcismum, qvàm Baptismum prodesse*, cum tamen Lutherus in illo loco, ne verbulo qvidem ullam Exorcismi mentionem faciat.

27] 4. Scholasticos excusat, *qvòd tantùm in rebus adiaphoris, non in Articulis fidei inter se disceptaverint, aut in rebus ab Ecclesiâ nondum definitis, cum contrà Lutherani in gravissimis articulis inter sese digladientur* p. 16. 17. 18. Respondemus: Licet in adiaphoris tantùm dissentirent, interim tamen dissentiunt; non enim seqvitur, qvi in adiaphoris dissentit, is non dissentit. Non verò tantùm in adiaphoris, sed etiam *in gravissimis fidei articulis* dissentiunt. De peccato Originis Pigghius dissentit ab alijs, de consecratione Catharinus ab alijs: de Transsubstantiatione altercantur Thomas & Scotus, de accidentibus in Sacramento, Alphonsus de Castro contra alios Papistas disputat. De jurisdictione Pontificis, qvam habet in conscientias, litigant Franciscus Victorinus & Alphonsus de Castro cum Johanne Turrecremata & Dominico Jacobatio; Cajetanus & Dominicus à Soto singularem qvoq; in hâc controversia habent opinionem. Videatur de hisce Bellarm. lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 22. qvæ omnia de fide esse negari non potest, præsertim cùm omnis controversia de primatu Papæ sit de fide, asserente Bellarm. in præf. libr. de Pontif. Hasce & alias plures contradictiones congessit Hunnius in Labyrintho

rintho Papistico, qvem librum Pontificij refutare nondum potuerunt. Evolvat Janssenius disputationes Scholasticas Tanneri, Valentiani, Becani & Bellarmini (qvi ferè in omnibus controversijs dissensum Scholasticorum recenset,) atq; informationem hâc de re exinde petat.

28] Tales dissensiones adhuc fovent pontificij; *an Electio ad vitam æternam facta sit ex prævisione operum?* negat *Bellarm.* lib. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 9. seq. *Becanus* adfirmat part. 1. Theol. Scholast. tract. 1. cap. 14. p. 129. seqq. An *Papa possit ab officio deponi* inter se miris modis dissentiunt, prout recenset *Bellarminus* lib 2. de Romano Pontif. cap. 30. *An Pontifex in temporalibus & Spiritualibus habeat potestatem* gravis controversia est inter *Barclaium & Bellarm.* lib. 5. de Rom. Pontifice cap. 1. *Qvodvis conjugium inter Christianos contractum esse Sacramentum*, negat *Canus* lib. 8. cap. 5. p. 394. cui *Bellarminus* contradicit lib. de Matrimon. cap. 7. Nonne Jesuitæ & Dominicani gravissimam habent controversiam *de libero arbitrio & gratia Dei*, fatente *Forero* in Bello ubiqvitistico p. 264. *Sixtus V.* communem Bibliorum versionem pro Canonicâ declaravit, *Clemens VIII.* eandem multorum gravissimorum errorum arguit, ut monstrat *Bellum papale circa editionem Hieronymianam à Thoma Jamme Anglo* editum. Legatur *Lucas Waddingus in legatione Philippi III. & IV. Regum Hispaniæ de finienda controversia de conceptione beatæ Virginis, inter Dominicanos & Franciscanos*, ubi mirum certamen describitur, qvod Papa ad hunc usq; diem componere nõ est ausus.

Qvi voluerit sylvam & millenarios dissensionum pontificiarum legere, evolvat *Pappum in contrad. Doctr. Eccles. Romanæ*, *Flacium in dissensionibus Pontificijs*, *Hunnium in Papatu seipsum destruente*, *Mortonum in Apol, Cathol.* *Gerhardum de Eccles.* § 242. & qvi nuper prodijt *Bottsaccum de Unitate Ecclesiæ Romanæ*: qvi libri methodicè conscripti hoc unicum tractant, ut dissensionem pontificiorum in gravissimis articulis ad oculum demonstrent: *hic Rhodus, hic salta* mi *Janssení*.

29] Ulterius excipit Janssenius, *dissensum Scholasticorum esse in rebus ab Ecclesia nondum definitis*. Respond: (1) Cur Ecclesia non definivit? aut noluit, aut non potuit, *si non potuit*, utiq; nō est columna veritatis & fidei magistra, nec habet Spiritus Sancti adsistentiam, qvam jactat, *si vero noluit* hactenus, iniqva Mater est, qvæ liberos in scandalosis certaminibus derelinqvit, qvæ tamen facilè posset componere. (2) Fides Ecclesiæ Romanæ hactenus fuisset hiulca, imperfecta & fluctuans, cùm tam arduà fidei capita nondum fuerint definita. (3) Imò Ecclesia Romana fuit hactenus omnium miserrima, qvæ non potuit definire tam sublimia Religionis capita, sed in perpetuis litigijs & dubitationibus miserè vagata est.

30] Falsissima autem est assertio ipsa, qvod tantum in ijs dissentiant, qvæ ab Ecclesia nondum definita sint. *Concilium Viennense* definivit infantibus per Baptismum iufundi omnium virtutum comitatum; hoc ipsum tamen negarunt *Durandus, Occam, Gabriel Marsilius*, referente *Tannero* in Theol. Scholasticâ Tom, 2. Disput. 3. qvæst. 4. dub. 2.

qvi

qvi disput. 6. qvæst. 1. & 2. plures recenset controversias, qvæ moventur contra Côciliorum decreta. In Concilio *Basiliensi* decretum fuit ab Ecclesia Romana, beatam Virginem sine peccato esse conceptam, Monachi tamen *Dominicani* contrarium statuerunt. In Concilio *Chalcedonensi & Constantinopolitano* primo decretum fuit, Episcopos Constantinopolitanum & Romanos æqvales esse debere, qvod tamen Leo Epist. 52. improbavit; Ergo Pontificij in ijs qvoq; dissentiunt, qvæ ab Ecclesia Romana definita sunt. Imò ipsæ definitiones & decreta Ecclesiæ Romanæ sibi invicem adversantur. Papa unus alteri sæpius contradixit in eo, qvod judicialiter decreverunt, qvod *Erasmus* prolixè demonstrat in comment: super 1. ad Corinth. cap. 7. In *Jure Canonico* qvot contradictiones inveniuntur, prout demonstravit *Osiander* in libro *Papa non Papa*. *Concilia* qvomodo sibi contradicant, prolixè perseqvitur *Gerhardus* de Ecclesia § 237. Falsa igitur est assertio, qvod in eo tantùm sibi contrarientur Pontificij, in qvo Ecclesia nihil definivit.

31] Tandem *nobis* obijcit *Janssenius dissensiones* ex *Florimundo* & aliis, addúcens exempla Doctorum qvorundam dissentientium; Respond: (1) Idipsum potuisset obijci Ecclesiæ Apostolicæ, in qva etiam erant dissensiones, *Petro* resistebat *Paulus* Gal 2. v. 11. *Paulo Barnabas* Actor. 15. v. 39. In Ecclesia *Corinthiaca* erant schismata 1. Cor. 1. v. 11. 12. Pseudoapostoli *Hymenæus & Philetus* surgebant 2. Tim. 2. v. 17. Post tempora Apostolorum magna certamina fuerunt agitata *de tempore Paschatis*,

ſchatis, de Ceremonijs Eccleſiaſticis, de operibus legi
de libero arbitrio. Auguſtinus Tom. 6. in lib. 4
qvod vult Deum, numerat 88. hæreſes Eccleſiæ pr
mitivæ. (2) prædictum hoc eſt in ſacris, *oportet hæ*
reſes eſſe 1. Cor. 11. v. 19. *Ex vobis ipſis ſurgent vir*
qvi loqventur perverſa Act. 20. v. 30. qvid miru
ergo ſi eventus prædictioni reſpondeat? (3) De S
ctarijs dicimus ex 1. Joh. 2. v. 19. *ex nobis prodi*
rant, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex no
bis, permanſiſſent utiq; nobiſcum. (4) Abſoluta
perfecta unitas in hoc mundo non datur, obſtar
enim intellectus noſtri cœcitas, myſteriorum
dei ſublimitas, Satanæ malitia, & hominum pa
tim ſuperbia, partim negligentia. (5) Si apud Pon
tificios valebit exceptio, eos diſſentire non in a
ticulis fidei, ſed in adiaphoris, utiq; etiam valeb
ex noſtra parte, ubi diſſenſus non *in fundamento f*
dei, ſed circa fidem apud qvosdam invenitur.

32] In Formulâ Concordiæ eqvidem Princip
conqveruntur de diſſenſionibus, ſed iſtæ diſſen
ſiones ex doctrinâ ipſa ortæ non fuerunt. Ex n
miâ contentione *Strigelio* aſſerenti Synergian v
rium humanarum in converſione hominis *Flac*
us oppoſuit, humanam naturam non tantùm eſſ
peccato infectam, ſed & ipſum peccatum eſſe.
Antinomi cum audirent, legem non juſtificare, e
fervore diſputationis ſtatuerunt, legẽ ex Eccleſi
eſſe exterminandam: hoc verò Patribus ipſis ſa
pius accidit, qvòd in fervore diſputationis in alte
ram partem nimium deflexerint. Ex Scholaſtico
rum lacunis qvædam adhæſerunt qvibusdam Do
ctoribus, qvod *Stancaro accidit*, qvi Chriſtum ſe

cun

cundum humanam naturam tantùm nostram justitiam appellavit, ex Lombardo lib. 3. sentent. d. 19. Interdum *in phrasi* tantùm fuit discrepantia non in rebus, ut cum Georgius Major docuit, bona opera esse necessaria ad salutem, qvi tamen cum Luthero docuit, nos solâ fide justificari. Interdum dissensus fuit *de ritibus* Ecclesiæ salvo fidei fundamento. Interdum ortus fuit dissensus *ex ratione humana* scripturis sese opponente, ut apud Sacramentarios accidit. Qvicdqvid autem sit, pleriq; errorum istorum, qvi tunc temporis spargebantur, prorsus exspirarunt, ut *Antinomorum*, *Majoristarum*, *Flacianorum & Synergistarum*. *Sacramentarij* â nostris Ecclesiis dudum fuerunt separati. Licet autem aduc adesset dissensus in ritibus & adiaphoris, isti tamen non possent fundamentum fidei tollere aut labefactare. Paulus enim docet fundamento *superædificari posse fœnum & stipulas sed uniuscujusq; opus dies probabit* 1. Cor. 3. v. 11. 12. 13. *Dissonantia jejunij non tollit consonantiam fidei*

33] *Secunda Classis* Errorum fuit, Christi *incidenter tantùm mentionem fuisse injectam in qvæstionibus inutilibus*, ut; an Christus ex duabus naturis sit compositus, conglutinatus, commixtus &c. Respondet Janssenius (1) *Has qvæstiones, non esse inutiles, cum doceant, qvid gentili Philosopho hac de re qværenti sit respondendum. (2) Pontificios sæpissime passionis Christi mentionem facere (3) Principes protestantes calumniari, dum dicant, intra qvinq; vel sex annos de Christo parum aut nihil fuisse in scholis*

Pon-

pontificiorum auditum. (4) *Lutherum voluisse Philosophiam & alias artes exstirpare, & Academias abolere.* p.19.20 Respondemus ad singula.

34] 1. Qvâ Conscientiâ Monachus has qvæstiones audet proclamare tanqvam utiles (qvas antea *magis curiosas qvam utiles dixerat*) *an hæc propositio, Deus est cucurbita, æqve poßibilis sit, ac illa, Deus est homo? An Deus singularem vel universalem naturam humanam assumpserit? an propositio sit poßibilis, Deus pater odit Filium? an anima Christi potuerit decipi aut mentiri? cui bono disputarunt de qvæstionibus, an Filius Dei potuisset animam asini, serpentis aut columbæ assumere? an Deus loco Christi potuisset suppositare mulierem? si suppositasset cucurbitam, qvomodo illa potuisset crucifigi, aut mori? an bona forma fuisset Baptismi si Christus in nomine Buff, Baff eum instituisset? an asinus bibat baptismum, si bibat aqvam consecratam. Utrum Deus qvædam facere poßit, qvæ nec fecit, nec faciet. Utrum convenientius fuerit Angelum apparere Mariæ in specie humanâ, an vero serpentinâ aut columbinâ? utrum in salutatione genu flexerit? an Maria habuerit rationis usum? an tenuerit omnes artes mechanicas? an dicendum sit in Baptismo, ego baptizo te, vel ego balneo te? Utrum ille, qvi sibi virilia præscidit, poßit consecrare? an qvis rectè celebret Missam credens esse diem, cum tamen sit nox? Utrum Cœlum Empyræum in assumptione Virginis fuerit vacuum, qvando omnes Sancti & Angeli ei processerunt obviam?* Hasce & similes qvæstiones futiles & otiosas collegit Binderus in Theolog. Scholast. qvæ par-

tim

tim sine risu partim sine tædio legi vix possunt. Edisserat Janssenius qvid emolumenti Ecclesia Christiana ex his futilibus impiis & otiosis qvæstionibus perceperit? Regerit eqvidem, has qvæstiones docere, *qvid philosopho gentili sit respondendum*; at isti Philosophi erant Christiani, qvi hæc proponebant, discipuli erant Christiani, qvi hoc audiebant, Ecclesiæ & Scholæ erant Christianæ, in qvibus hæc proponebantur. Si maximè fuissent inspersæ hæ qvæstiones, non tamen maximum tempus ijs fuisset consumendum, scriptaq; Prophetarum & Apostolorum interea negligenda.

35] 2. Ait *Janssenius, Pontificios in Missa, in horarijs, in rosarijs, in concionibus sæpius mentionem facere meriti Christi.* Respond. non qværitur qvid nunc faciant, sed qvid olim in tenebris densissimis fecerint, de qvibus nobis sermo est. Licet autem hodie mentionem meriti Christi sæpius inijciant, faciunt tamen hoc, meritum Christi potius enervando & supprimendo, qvam per veram fidem sibi applicando; dum docent *Christum non esse Mediatorem nostrum secundum utramq; naturam*, *Bellarm.* lib. 5. de Christo cap. 1. *Sanctos qvoqve esse Mediatores præter Christum*, *Bellarm.* lib. 1. de Sanct: beatit: *Christi officium pro salute nostra susceptum, non fuisse necessarium, & sine satisfactione Christi Deum nobis dona gratiæ potuisse tribuere. Gregor: de Valent*: Tom. 4 Disput. 1. qvæst. 1. punct. 5. *Naturæ humanæ in Christo nullam virtutem divinam fuisse communicatam, adeoq; opus redemtionis nostræ in potentia merè humana fundari. Gregor. de Valent.* Tom.

Tom. 4. Disput. 1. qvæst. 13. punct. 1. *Christum satisfaciendo non persolvisse* λύτρον, *sed vires per-rumpendi largitum esse, pretium non numerâsse, sed præparâsse.* Peltanus de satisfact. sect. 10. pag. 119 *Mariam fuisse adjutricem Christi in opere Redemptionis.* De qvibus erroribus infra in capite *de Contemptu meriti Christi* pluribus dicetur.

36] 3. Qvæ verò impudentia est istius hominis, qvòd Electores & Principes Protestantes *calumniæ* accusat, testantes *in Causis recusati Concilij Tridentini* p. 17. Studiosos Theologiæ in Papatu coram fide dignis enarrasse, *se intra qvinqvennium aut sexennium non audivisse nomē Christi aut Jesu in scholis Pontificijs, sed ex Lombardo, Scoto, Bonaventura, Thoma, Alexandro, spinosis & obscuris qvæstionibus omne tempus fuisse insumptum.* Ita totus mundus præferre debet unius monachi negationem, tot laudatissimorum Electorum & Principum, aliorumq; Statuum Evangelicorum solidæ assertioni.

37] Scholastici tot labyrinthis tenebrosis & tortuosis fuêre implicati, ut Christi & satisfactionis ipsi9 parū meminisse potuerint. Videatur Meisnerus in Oratione de Theol. Schol. qvi tenebras istas Scholasticorum in compendiū qvasi redegit. In disputationibus tractarunt *passionabilitates, potentionalitates, susceptibilitates, compatibilitates, aptitudinabilitates*: personarunt omnia pulpita *hæcceitate, homineitate, fœmineitate.* Clamores fuerunt excitati de *singularisationibus, effectuationibus, meliorisationibus, specificationibus, infinitatio*

tationibus, falsi & verificationibus. Disputabatur de speciebus *cõceptibilitatum, attingibilitatum, medilitatum, dogmacisabilitatum.* Disputabatur de *subalternantijs, de convertentijs, aeqviparantijs, disqviparantijs: dicebantur pleraq; Logicaliter, Ethicaliter, physicaliter, Theologicaliter, proportionabiliter, qvalitariè, correlariè, similitudinariè:* disputabatur de *corollarijs dabilibus, proferibilibus, fixilibus, meliorabilibus, verificabilibus, specificabilibus, exemplificabilibus.* Futilia & inutilia hæc fuêre, tortuosa & barbara, qvibus tempus fuit insumptum, necessaria autem illa & utilia de merito Christi interim seposita fuerunt & neglecta.

38] 4. *Lutherum* voluisse Academias exstirpare, & artes ingenuas abolere, est falsissimum. *Lutherus* (1) vixit in Academico officio (2) Academiam exornavit & amplificavit excellenti eruditione. (3) In Academia Wittebergensi regnum Antichristi aggressus est & debellavit. (4) Usq; ad finem vitæ publicè Theologiam in Academiâ professus est. Contra Academias verò dum duriusculè scripsit, tantum abusum illorum taxavit: in Academijs enim Pontificijs tum temporis proposito, nec tamen rectè intellecto Aristotele Christiana ingenia gentilibus opinionibus obruebantur, & pro verbo Dei Papæ dogmata tractabantur. Hac de re conqveritur *Lutherus* in libro *contra Catharinum* Tom. 2. Jenens. Germ: uti etiam in libro *de abrogandâ Missâ privatâ*; In Academijs Pontificijs adolescentes pessimis moribus *perdebantur, Philosophicis, gentilibus, humanis, impijs & sacrilegis qvæstionibus imbuebantur, venenum hauriebant, qvod*

 fortè

fortè nunqvam evoment, tenentes pro bono qvod malum est, imbuentes & eos qvos docendos suscipiũt similibus opinionibus. Hoc respectu, hac de causa taxavit Academias, easq; idolo *Moloch* comparavit locis allegatis.

39] Artibus autem & lingvis Lutherus ipse benè imbutus fuit, qvod testantur scripta ipsius præclarissima, hinc bonas artes fideliter qvoq; promovit & adjuvit: qva de causa scripsit *ad Nobilitatem Germanicam* anno 1520. Tom. 1. Jenens. Germ. fol. 301. Se *optare reformationem Academiarum*, qvarum magnus fuerat abusus in Papatu. Svadet ibidem, relinqvendos esse in Academijs *libros Aristotelis, Logicam, Rhetoricam, Poëticam*, sed non omnia esse transformanda in Disputationes; Linguas *Latinam, Græcam*, & *Hebraicam* esse exercendas cum disciplinis *Mathematicis*, & ejusmodi reformationem opus plane regium & *Cæsareum* vocat. Postea scripsit exhortationem gravissimam *ad Gubernatores Rerumpub. per Germaniam* de *Scholis Christianis aperiendis & instituendis*, in qva studijs artium & lingvarum præclarè consulit: vide Tom. 2. Jenen. Germ. fol. 454. Tumultus Wittebergæ qvorundam, qvi libros suos combusserunt, exortus est in Lutheri absentiâ, An. 1521. Carlstadio imagines è templis exturbante & scholam oppidanam (non Academicam) dissipante, cui Lutherus in reditu sese opposuit, ut testatur *Georgius Fröschelius* Archidiaconus Wittebergensis in præfat: libri de Regno Christi.

40] De Pontificijs verius ista possunt dici

qvo-

qvod illi bonas artes & lingvas corrumpant & evertant. Peculiaris ordo Monachorum in Papatu habetur, qvi vocantur *Fratres ignorantiæ*, qvorum Symbolum est, *Litera occidit:* ne ignorantia in mundo pereat, fratres isti omni studio eandem fovent, & omnem eruditionem aversantur. Pontifex Romanus irascitur, si Episcopi Grammaticam discant, vel secundum eam loqvantur. *Papa Gregorius distinct:* 38 cap. 13 *indignum*, scribit: *Indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati.* Item Papa *ad Desiderium Episcopum* lib. 9. Epist. 48. *distinct.* 86. cap. *cum multi*, scribit: posthac *pervenit ad nos (qvod sine verecundia memorare non possumus) fraternitatem tuam Grammaticam qvibusdam exponere; qvam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementer aspernati, ut ea, qvæ prius dicta fuerint, in gemitum & tristitiam verteremus.* *Platina* in vita *Pauli II.* refert: humanitatis studia ita oderat & contemnebat, ut illius Studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem, Romanos adhortabatur, *ne filios diutius in studiis literarum paterentur, satis esse si legere & scribere didicissent.* Vitia Bibliorum Latinorum vulgatæ versionis collegit *Hunnius* in refut. contr. 1. Bellarm. lib. 2. cap. 14. Vitia & barbarismos lingvæ latinæ in Jure Canonico collegit beatus *Meisnerus* in oratione Jubilæa *de jure Canonico.* *Conradus Heresbachius de Laudibus Græcæ Lingvæ* recenset historiam de Monacho qvodam, qvi dixerat, *novam lingvam exortam esse, qvam Græcam dicant, qvæ omni-*

no cavenda sit; aliam qvoq; lingvam provenire, qvæ vocetur Hebræa, qvicunq; hanc discant, illi certò fiant Judæi. Pessimum librum in multorum manibus esse, qvi Novum Testamentum vocetur. Tannerus Jesuita in Colloq. Ratisponēs. Sess. 12. vocabulo διδάσκαλε satis demonstravit, qvam præclarè in Græcis versatus sit. Contra Meisnerum scripsit *Paulus de Czarnkow* Prior Glogoviensis ordinis prædicatorum; qvot vitia, qvot barbarismos, qvot solœcismos profert in illo libro, prout vitia istius scripti collegit *Augustus Buchnerus* Professor Wittebergensis in Triumpho primo Meisneri. De crassâ inscitiâ Parochorum papalium audiatur testis domesticus Jesuita Schererus, qvi in Postilla super 4. Dom. post Trin. Conc. 1. p. 469. ita scribit, de cœco cœcum ducente: Diese Gleichniß trifft auch viel Catholische Pfarrer/ Prediger/ Beichtväter/ welche/ ob sie wol den rechten Glauben haben/ jedoch so vnwissent/ vngeschickt vnd vngelehrt seind/ daß sünd vnd schandt ist/ sollen andere vnterweisen/ vnd wissen selber nicht/ können auff der Cantzel weder giggetzen noch gaggetzen/ können in der Beicht kein Aussatz von dem andern/ das ist/ kein Sünd von der andern vnterscheiden/ absolviren ab hoc & ab hac, ja wissen offt die formam absolutionis nicht/ vnd solche ignoranten nehmen etlich mit fleiß zu Pfarrern auff/ weil sie sich etwa mit einem leichten beschlagen/ vnd mit einem geringern einkom̃en contentiren lassen. Hæc Schererus. Monachi ergo ipsi rei sunt criminis illius, cujus Lutherum falsò accusant.

41] *Tertia Classis* errorum fuit de *Missa multiplici;*

tiplici; celebrabant enim Missas *de spineâ coronâ Christi*; de *tribus clavis*, de *præputio Christi*; *Missas pro navigantibus, pro peregrinantibus terrâ, pro eqvitantibus, pro gravidis, parturientibus, sterilibus, pro febricitantibus tertiana vel qvartanâ; pro ijs qvi in purgatorio sedent.* Item de figmentis alijs, ut sunt, Imagines Sanctorum, veneratio religiosa imaginum, peregrinationes ad sepulchra Sanctorum, reliqviæ Sanctorum, & religiosi illorum cultus, consecratio altarium, campanarum, imaginum, ciborum distinctio, processiones, Unctiones, rasura in vertice, vexillâ; Cymbala, campanulæ, aqva consecrata, Sal, cinis, herbæ, consecrata: ordinatio Cardinalium, Prælatorum & aliorum Officialium in Curiâ Romanâ, ordo Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acoluthorum, Subdiaconorum, Diaconorum & Sacerdotum, regulæ Monachorum, opera supererogationis, cultus electitij, consilia Evangelica, limbus patrum, limbus infantum non baptizatorum, apparitiones animarum, vigiliæ Sanctorum, Canonizatio, character Sacramenti, confirmatio per chrisma, indulgentiæ, annus jubilæus, thesaurus satisfactionum, qvæ alijs applicantur & sexcenta alia. Respondet Janssenius (1) *si licet orare, licitum etiam esse sacrificare.* (2) *Lutheranos tollere juge sacrificium ex Ecclesiâ exemplo Antichristi* Dan. 11. (3) *Lutherum ipsum sacrificium Missæ agnovisse.*

42] Anteqvam respondeamus, notetur Monachum istum nihil ad rem respondere: debebat demonstrare ex sacris *Missas alias esse de præputio, alias de corona spinea, alias de tribus clavis: missas*

esse institutas eo fine, ut temporalia beneficia ijsdem possent acqviri; ubi Christus pro navigantibus, eqvitantibus, gravidis, parturientibus instituit cœnam, ita ut conatus illorum promoverentur? ubi Paulus jussit Missas celebrare in sanitatem febricitantium? ubi legitur in sacris steriles concipere si Missas audiant? vel si Missæ pro illarum fœcunditate celebrentur? neq; Christus in sua institutione, neq; Paulus in suâ ad Corinthios admonitione unico verbulo istorum omnium mentionem facit; ubi Missa pro mortuis instituta est? citetur locus scripturæ: ad hæc omnia Monachus tacet.

43] Inqvit (1) *si licet orare, ergò etiam sacrificare*: sed conseqventia nulla est, orare enim â Christo nobis est injunctum Matth. 6. v. 10. at Missam celebrare, & qvidem pro parturientibus, sterilibus, navigantibus, febricitantibus, nullibi nobis injunctum est, imò formula Missæ, qvâ Pontificij utuntur, post Christi & Apostolorum tempora demum inventa est. Platina in vitâ Xysti 1. p. 26. scribit *Olim nuda hæc erant, & simpliciter omnia tractabantur. Petrus enim ubi consecraverat, oratione Pater noster usus est. Auxit hæc mysteria Jacobus Episcopus Hierosolymitanus; auxit & Basilius: auxêre & alij. Nam Cælestinus Missæ introitum dedit: Gregorius Kyrie Eleison; Gloria in excelsis Deo Telesphorus: Collationes Gelasius primus: Epistolam & Evangelium Hieronymus: Halleluja sumptum est ex Ecclesiâ Herosolymitanâ: Mortuorum commemorationem Pelagius invenit: Thus Leo III. Osculum pacis Innocentius primus: ut caneretur agnus Dei,*

Sergius

Sergius Pontifex instituit: qvia igitur ista omnia diu post Christi & Apostolorum tempora inventa fuêre, frustra comparatur Missale sacrificium, cùm Oratione qvæ in sacris nobis injuncta est.

44] (2) *Lutheranos exemplo Antichristi sacrificium juge tollere*, ait, Dan. 11. Respondemus: Daniel vaticinatur in illo loco, qvòd Rex Antiochus sacrificium â Deo institutum sit abrogaturus, qvod in Antiocho etiam impletum est, 1. Macc. 1. v. 23. & ita ipsi Pontificij hunc locum explicant, ut *Vieg.* comment. 2. in Apoc. 13. cap. sicut verò *Antiochus* est Typus *Antichristi*, ita *sacrificium Leviticum* fuit typus *sacrificij* Christi in cruce peracti Hebr. 10. v. 2. 9. 10. hoc sacrificium Antichristus abrogabit, qvod facit Pontifex meritum Christi extenuando, & qvasi non sufficiens esset, ad expianda peccata, novum sacrificium excogitando. Et qvia Missa est Antichristianum qvid, ideo â Daniele per sacrificium intelligi non potest: imò sicut Daniel prædixit de Antichristo, *qvod Deum suum Mausim bonoraturus sit auro, argento, gemmis, & illis terram distributurus*, qvi ipsum juvabunt Deum istum colere Dan. 12. v. 38. 39. ita hoc in Papatu impletur, dum Deus Panaceus auro, argento, gemmisq; honoratur, qvi Deus Apostolis prorsus ignotus fuit. Daniel itaq; non prædixit, qvod Antichristus Missam sit abrogaturus, sed potius eandem adornaturus & amplificaturus, sicut hodie in Papatu fit: ista ergo instantia me non ferit.

45] (3) Objicit *Lutherum etiam credidisse sacrificium Missæ*. Respondetur: hac ratione posset

set objici, Paulum fuisse persecutorem Ecclesiæ, sed *ante suam conversionem*: ita etiam Lutherus superstitionibus papalibus totus immersus fuit, *sed ante conversionem*: illuminatus autem â Deo, rejecit ea qvæ antea docuerat, & in specie contra Missam pontificiam acriter disputavit. Legatur Tom. 2 Jenens. Germ fol. 14. 20. Tom. 5. f. 120. Tom 6. fol. 90. seq. & loca alia plurima. Cætera figmenta Papatus qvæ objeci, rejicit ad capita posteriora examinanda, qvorsum etiam nostram responsionem differemus.

46] *Qvarta Classis* errorum continet *exorcismos & incantationes creaturarum, balsami, aqvæ, salis, herbarum, campanarum.* Tales formulæ fuerunt: *Exorciso te creatura aqvæ in nomine Dei Pa†tris omnipotentis, & in nomine Jesu † Christi, Filij ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqva exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum angelis suis apostaticis* &c. *Exorciso te Creatura salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum, per Deum qvi te per Helizæum Prophetam in aqvam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aqvæ, ut efficiaris sal exorcisatus in salutem credentium, ut sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, ut effugiat, atq; discedat ab eo loco, qvo aspersus fueris, omnis phantasia, & neqvitia, vel versutia Diabolicæ fraudis, omnisq; Spiritus immundus adjuratus &c. Domine sancte Pater, &c. Tu bene † dicere, & san†ctificare digneris has Creaturas herbarum, sicut benedixisti qvinq; panes in deserto, & duos pisces*

ſces, & ſatiaſti qvinq; millia hominum virorum, omnesq; qvi utuntur ex eis bene † dicere, ſan†ctificare digneris, ut eis ſit ſanitas animæ, & corporis, in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † Sancti: & omnibus hominibus, pecoribusq; qvi ex hoc guſtaverint, omnem putredinem, & omnia phantaſmata Diaboli, & omnem morbum, & omnem peſtilentiam, & dolorem expellere digneris &c. Videantur de hiſce formulis exorciſandi *Durandus* in *Rationali* lib. 4. cap. 4. & *Pontificale Romanum* fol. 107. 108. Effectus dicuntur eſſe peccatorum, inprimis venialium expiatio, Satanæ & Spectrorum depulſio, animæ & corporis ſanatio, recenſente *Durando* in d. l.

47] Has incantationes ſeu exorciſmos, ſive conſecrationes, ut *Janßenio* nominare placuit, nos improbamus, moti ſeqventibus rationibus. *(1) Ex bonitate Creaturarum*: non opus eſt iſtâ conſecratione propter qvalitates â Creatore inditas. Balſamum eſt nobilis Dei Creatura, naturâ in ſeſe habens virtutes ſanandi & recreandi, qvo olim Reges & Pontifices ungebantur. Aqva itidem eſt creatura Dei utilis, homini ad varios uſus inſerviens, & elementum terreſtre in ſacramento Baptiſmi, qvo abluimur in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti in remiſſionem peccatorum. Sal itidem nobiliſſima Dei Creatura eſt, optimumq; condimentum: panis, vinum, carnes, ova, caſei, herbæ â Deo creata & ordinata ſunt ad certos fines: qvid ergò opus eſt conſecrationibus iſtis? *vidit Deus omnia qvæ fecerat, & ecce erant valde bona* Gen. 1. v. 31. Si valdè bona, id eſt, perfecta in ſummo gradu, ſeu debita perfectione, utiq; nihil boni poterit ab

hominibus hisce creaturis addi. *(2) Ex silentio Scri-
pturæ.* Ex qvo loco Scripturæ liqvet istas Creatu-
ras in usum Spiritualem esse usurpandas? aqv
in Baptismo & vinum in Cœna adhibentur e
institutione divina, sed ad alios usus Spirituale
non licet homini has vel alias creaturas adhibe-
re. Aqvâ consecratâ Dæmones fugari, salem con-
secratum dare salutem animæ, abigere versutia
Diaboli, oleo consecrato Spiritum Sanctum
communicari, nullibi legitur in sacris, & tame
isti homines creaturis tribuunt virtutes præte
& contra voluntatem Creatoris. *(3) Ex armorum
proprietate*, qvibus Diabolus pellitur: *Paulus* Eph
6. v. 13. seqq: recenset πανοπλίαν & armaturam
qvâ Christiani debent in pugnâ contra Satanam
uti, enarrat ibi *balteum veritatis, thoracem justitiæ
scutum fidei, galeam salutis, gladium Spiritus & pre-
ces*, sed salis vel aqvæ exorcisatæ nulla fit mentio
Qvomodo Apostolus ista potuit ignorare? qvo-
modo Spiritus Sanctus ista potuit reticere? *Sa-
tanas ferrum reputat qvasi paleas, æs qvasi lignum
putridum; non fugabit eum vis sagittarij, qvasi stipu-
lam æstimabit malleum, & deridebit hastam vibran-
tem Job.* 41. v. 18. 19. 20. si gladius, hasta, fer-
rum, malleus non fugant Satanam, multo minu
aliqvot guttulæ aqvæ istius exorcisatæ hoc faci-
ent. *(4) Ex abusu nominis Divini:* qvicunq; utitu
nomine Dei eo modo & fine, qvem Deus non præ-
cepit, is abutitur eodem nomine, sicut enim ve-
rũ usum ex præcepto, ita abusum ex silentio æsti-
mamus; atqvi pontificij in his Exorcismis utun-
tu-

tur nomine Divino eo modo & fine, qvem Deus non præcepit; ergò abutuntur eodē nomine, qvod est peccatum contra secundū Decalogi præceptū.

48] Ne autem *Janssenius* videatur tacuisse, hoc unicum respondet; *in Papatu Magiam non doceri; artem Dæmones pellendi in eo non inveniri*. Respondeo. Contrarium verum est. Habetur *Enchiridion impressum Lugduni An. 1607. apud Gvichardum Jullieron*, in qvo recensentur formulæ incantatoriæ, qvibus Leo Pontifex adjuravit tela, gladios, tormenta, imò ipsos Spiritus malignos, ne nocerent: recensentur ibidem characteres & vocabula Magica, ut sunt *barnassa*, *Lentias*, *bucella*, *agla*, interponitur illis formula crucis. Prophanantur ibidem nomina divina *Adonai*, *Jesus*, qvæ omnia homo Christianus sine horrore legere neqvit. *Pistorius* edidit librum Magicum Francofurti An. 1598. *de Curatione pestis* per certa verba, contra quem *Heilbrunnerus* scripsit in *Dæmonomania Pistoriana*. *Hasenmullerus* in Historiâ Jesuiticâ cap. 8. refert, Monachos granis qvibusdam de Rosario Lojolæ Dæmones expulisse: verba ita se habent: *Lojola fratri de suo Rosario dat granum seu globulum ligneum, olim â Pio V. consecratum, & dicit fratri: Tu â tergo hominem obsessum accede, & hoc grano ipsius tergum attinge: voceq́; submissa his verbis alloqvere Dæmonem: Adjuro te in nomine Beatæ Mariæ, & jussu Patris mei Lojolæ, & virtute hujus grani benedicti, ut de hoc servo exeas*. Ibi *vix adhibito ad vestimenti oras grano*, *Dæmonem exclamasse*: Qvid *me Lojo-*

la

ia torqves? Omnes circumspexisse, neq; Lojolam vidi se. Admirantibus autem Dæmonem dixisse: Granu Lojolæ fortius est omnibus vestris exorcisationibu Sicq; hominem liberatum & ad Societatem conve sum, eos filios Dei pronunciasse. Sanctus Francisc frusto panis de qvo comederat Dæmonem expe lere potuit, si obsessis panem illum comedendu porrexit, ut habetur in Legendis *â Sedulio* edit p. 97. Plurima exempla incantationum & exo cismorum Magicorum in papatu florentium r censent *Delrio in disqvisitionibus Magicis, Bodin in Dæmonomania, & Wierus de præstigijs Dæm num.*

49] Sub finem de *Idolo Mausim* scribit *Jan senius* p. 26. qvod *illud sit Rex Septentrionis, in qve pugnabunt Australes atq; Itali; imò Lutherum s Melanchtonem Mausim esse posse.* Respondetu Nos cum Luthero per Idolum Mausim intellig mus *cultum Missaticum in Papatu usitatum*, & p aliqvot secula observatum, qvod hisce probatu damus argumentis. *(1) Ex significatione vocis M otz* vel *Mausim qvæ significat robur* seu præsidium Missa verò est robur & præsidium Papatus, qvi qvid enim Papa sibi arrogat in cœlo, terra, pu gatorio, id mediante Missa sese efficere putat, u de missa rectè dicitur papatus robur & universa præsidium; sicut Gesnerus in Disput: super Dan elem hanc vocem exponit. *(2) Ex veneratione D Mausim* Dan. 12. v. 38. in hebræo est vox *divin honores significans*; ita Pontificij venerantur Deu Mausim, panem inclusum adorando, circumg stando, spem in eo ponendo, qvasi peccata expi

stati

ſtatuendo, qvi honores ſoli Deo vero competunt. (3) *Ex novitate Dei Mauſim*, fuit enim *Patribus ignotus* v. 38. de Miſſâ hoc eſt veriſſimum. Patres enim, hoc eſt, ſancti Apoſtoli nihil ſciverunt aut docuerunt de Tranſſubſtantiatione, de ſacrilegio calicis, de canone Miſſatico, de oblatione pro vivis & mortuis. (4) *Ex cultu per aurum & argentum*: Ita enim pontificij miſſam honorant, aureis tintinnabulis, argenteis monſtrantijs, qvorſum pertinet aurum & argentum qvod pontifex celebratione Miſſarum acqvirit, fit hoc per pecuniarias ſatisfactiones, per bonorum legationes, per nundinationes indulgentiarias, per venditiones ſacrorũ ordinum & modo ſimili. (5) *A præmijs qvæ diſtribuuntur cultoribus Mauſim*, ut ſunt gloriæ multiplicatio, Dominiorũ ſuper multos cõſtitutio, terræ diſtributio v. 39. Cõpletur hoc in Cardinalibus, Archiepiſcopis, Prælatis, qvi evehuntur ſupra regiam dignitatẽ, regna & principatus poſſident, ac in ſummis divitijs & honoribus vivunt. (6) Lutherus urget *alluſionem vocabuli* Mauſim ad Miſſam, in Explicat: cap. 12. Daniel.

50] Falſum eſt autem per *Mauſim* notari *Regem Septentrionis, contra qvem Auſtrales, Itali & Romani ſint pugnaturi, illumq; Regẽ eſſe, Lutherum ſeu Melanchtonem*: nam (1) hæc interpretatio eſt cõtra inconſtantẽ *Bellarminũ*, qvi lib. 3. de *Roman. Pontif.* cap. 14. ſcribit: Deum Mauſim eſſe *vel Antichriſtum, vel Diabolum ipſum*, qvem Antichriſtus ſit adoraturus. (2) Confundit *Janſſenius Deum Mauſim* & *Regem Septentrionis, qvi adoraturus eſt Deum Mauſim*. Daniel enim hæc dúo diſtinguit cap. 12. v. 38.

v. 38. ergo Deus Mausim non potest esse Rex ipſ
aliàs Rex aqvilonis ſeipſum adoraret. (3) Sicu
Antiochus (typus Antichriſti) vocatur Rex Se
ptentrionis, Philometor autem (Eccleſiæ typus
Rex Auſtri & Ægypti, ita per Regem Aqvilonis i
Antitypo intelligendus eſt Antichriſtus Romanu
per Regem verò Auſtri principes Chriſtiani, qvi ſe
ſe oppoſuerunt tyrannidi Romanorum pontifi
cum. Tales fuerunt *Ludovicus Caroli Magni Filiu*
Otto qvi Johannem depoſuit & Leonem ſubſtituit, Hen
ricus III. qvi tres Papas abdicavit. Henricus IV. qv
bella movit adverſus Gregorium VII. Fridericus Bar
baroſſa, qvi Romam expugnavit, & alij plures. (4
Per *Regem Auſtri* non poſſunt intelligi Romani
Antichriſtus enim, qvi eſt Rex Septentrionis, di
citur conſternandus eſſe rumoribus ab oriente &
Septentrione; Roma autem & tota Italia obti
nent plagam occidentalem, Antichriſtus verò Ro
manus *ab Oriente*, hoc eſt, cœlitus per Spiritum
oris Chriſti, *à Septentrione*, hoc eſt ab Eccleſij
Septentrionalibus per Angelum Apoc. 14. v. 6
revelatus eſt: qvia igitur Italia occidentem verſu
ſita eſt, Itali non poſſunt dici Auſtrales, adeoq; pe
Regem Auſtri non intelliguntur. (5) Lutheru
& Melanchton non poſſunt per Mauſim intelli
gi, divinis enim honoribus â nemine coluntu
nec auro, nec argento, nec pretioſis monilibu
abundarunt, præmia nulla diſtribuntur illis; q
illorum doctrinam amplectuntur, in paupertat
potius illi vixerunt, illorum ſectatores contem
ptui, exilio & perſecutionibus ſunt obnoxij. E
qvibus omnibus patet, non Lutherum aut Me

lanch

lanchthonem, sed sacrificium Missaticum per Idolum Mausim apud Danielem intelligi.

Caput Secundum.

De Contemptu Scripturæ Papistico.

51] HActenus contra *Præfationem* meæ *Admonitionis* Janssenius disputavit: seqvitur nunc *Opusculum ipsum*, qvod severo examine aggreditur. *Tria* verò *Capita principalia* in eo tractantur; *Primò producuntur aliqvot argumenta, qvibus demonstratur Papismum esse fugiendum. Secundò duobus argumentis ostenditur, doctrinam Lutheri Evangelicam esse amplectendam & retinendam. Tertiò paucis respondetur ad ea, qvæ Pontificij nobis objicere solent.* Janssenius ista omnia assumit refellenda, cujus responsiones κατὰ πόδα, ut ajunt, inseqvar & excutiam.

52] *Pro Papismo deserendo* novem produxi argumenta *(1)* est Contemptus Scripturæ *(2)* Regulæ fidei prorsus illegitimæ & erroneæ *(3)* Contemptus meriti Christi *(4)* variæ Traditiones præter & contra scripturam excogitatæ *(5)* Tortura conscientiarum & consolationis defectus *(6)* Compilatio ex Ethnicismo. *(7)* Cõtemptus Magistratus. *(8)* Fraudum & fallaciarũ multitudo. *(9)* Caput Antichristianũ: qvæ omnia in Papatu inveniri, demõ-

stravi,

ſtravi, adeoq; Papatum ipſum propterea evitan-
dum eſſe concluſi. Primum argumentum deſum
pſi *â contemptu Scripturæ Papiſtico*, qvem qvatuo
duntaxat membris demonſtrandum aſſumſi, (1
fuit qvorundam Pontificiorum, *ut Coſteri*, *Hoſi*
Haÿ Confeſſio. (2) Lectionis Bibliorum prohibi
tio. (3) Fuga Scripturarum apud Pontificios, ub
ad certamen deventum fuerit. (4) Scripturæ ipſi
us depravatio. Ad qvæ Janſſenius reſpondet ho
modo.

53] *1.* Negat *Coſterum, Hoſium, Haium ea Scri
pſiſſe*, qvæ in *Admonitione* mea citaveram p. 29 ſeq
Reſpondeo: veriſſima ſunt omnia qvæ ſcripſi, pro
ut ad oculum demonſtrabo. *Coſterus* cap. 1. de
ſcriptura p. 42. ita ſcribit: *Chriſtus Eccleſiam ſu
am, nec â chartaceis ſcriptis pendere, nec membran
myſteria ſua committere voluit, qvod Moſes olim ma
gna ex parte fecerat populo carnali, ſed cum ſpiritua
lem conſtitueret Eccleſiam, ſuo Spiritu Sancto infor
matam, uſus eſt ſublimiori charactere, ſcribens digi
Dei in corde Eccleſiæ.* & p. 43. Iſtæ ſcil. Scriptur
ſunt *literæ mortuæ, ſcripta atramento in membran
vel charta, qvam ſi qvis, vel truncare velit, vel to
qvere, vel pravis expoſitionibus corrumpere, nihil ſe
tiat.* Et poſt pauca: *proinde hoc eſt inſtar vaginæ, q
qvemlibet gladium admittit, non modò chalybeum
ſed etiam plumbeum, ligneum æreum: patitur enim
qvavis interpretatione trahi.* Verba ſunt manifeſt
in qvibus Cőſterus non ex mente Hæreticorur
ſed ex mente propriâ de Scripturis judicat.

54] *Stanislaus Hoſius* lib. 3. de autor. Scri
ſacræ Edit: Colon. p. 530. expreſsè aſſerit :
ſen

sensu scripturas posse æqviparari fabulis Æsopi, si destituantur authoritate Ecclesiæ. Verba formalia ita se habent: *Fingamus autem nunc verum esse, qvod tu scripsisse, nescio qvem narras: nam nomen non exprimis, ac fieri potest, ut sit commentum tuum: Scripturas valere qvantum fabulas Æsopi, si destituantur autoritate Ecclesiæ.* Cedo *Brenti, num hic minus reverenter de scripturis locutus est, qvàm qvi vocat eam librum hæreticorum, cùm tamen nullorum sit minus qvam hæreticorum: est enim Catholicorum propria, qvi tot seculis in ejus possessione præscripserunt. Et potuit illud tamen pio sensu dici, qvem homo pius, qvi charitatem habet, qvæ non cogitat malum, ex ijs verbis eliceret. Nam revera, nisi nos Ecclesiæ doceret autoritas, hanc scripturam esse Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* Similia scribit *Pistorius contra Mentzeri disput.* primam hodogetico illius oppositam, falso 898. Imo qvod noster Janssenius in hoc loco negat de Hosio scribente, illud infra p. 515. veritate & conscientiâ convictus fatetur, Hosium defendere effatum illius qvi scripserat, *Scripturas valere qvantum fabulas Æsopi*, si Ecclesiæ authoritate destituantur; resorbet itaq; affirmando qvod in hoc loco negando effutiverat.

55] Qvæ beatus *Hutterus* ex *Hajo* Jesuita citat, ficta non sunt: in Locis Theol. p. 69. ita scribit: *eò usq; progressi sunt audaciæ vel potius blasphemiæ, ut Jesuita qvidam Scotus, cognomento Johannes Hajus scribere non exhorruerit, p. 114. 119. de Eccles. authoritate; his extremis temporibus non modò imperfectam & inutilem esse scripturam, sed plane perniciosam ac proinde ab Ecclesia exterminandam.* Assignat

D Hut-

Hutterus nomen, librum, paginā, formalia verba
Hutterus habuit Hajum in ſua Bibliotheca, Au
torem, locum & verba produxit, & tamen Mo
nachus pro figmento iſta omnia habet. Fruſtra e
go tumultuatur Janſſenius negando iſta in Coſt
ro, Hoſio, Hajo inveniri: judicent ipſi doctior
pontificij de impudentia hominis negantis, q
omnium oculis ſunt expoſita. Qvæ de obſcurita
Scripturæ p. 34. 35. 36. adducit, illa *nihil ad rhon
bum*; qvæſtio enim non eſt, *an Scriptura ſit obſcura
locis qvibusdam*, ſed *an in Coſtero, Hoſio & Hajo
tata teſtimonia inveniantur?* Nos ſcripturam eq
dem lucidam & perſpicuam eſſe dicimus Deut. 3
v. 1. Pſal. 19. v. 9. Pſal. 119. v. 105. Prov. 6. v
interim tamen media interpretationis non tol
mus, ſed obſcuritatem in qvibusdam ultrò fa
mur, qvæ tamen non ex fictis traditionibus, ſ
ex viſceribus ipſius Scripturæ declaranda ſunt, e
exemplo Chriſti Diſcipulos informātis Luc. 24 v. 2

56] 2. Objeci, *qvod in Papatu prohibeatur lect
Scripturarum*, id confirmavi ex *Bellarmino* aſſeren
*lectionem Bibliorum facilè præbere occaſionem p
candi.* Item ex *Hoſio* ſcribente *Biblia Laicis legen
permittere, eſſe idem ac ſi Sanctum daretur canib
& margaritæ porcis projicerentur.* Adduxi capit
eſſe in Hiſpania & Italia ſi qvis deprehendatur
gēs Biblia in lingva vernacula &c. Reſpondet M
nachus (1) *Eccleſiam permittere omnibus lectione
Scripturæ in lingva Hebræa, Græca & Latina, non
tem in verſionibus, qvæ ſint vitioſæ. In lingva vulgar
qvidem concedi lectionem Bibliorum, ubi prius pa
rum judicio examinata fuerint, ijs autem qvorum

tus probata sit. (2) *Ex Florimundo integram declamationem citat, in qva versio Lutheri Germanica multorum vitiorum accusatur.* (3) *Periculum seductionis ex lectione Bibliorum metuit.* (4) *Objicit Lutherum vocasse Biblia librum hæresium.* (5) Negat *in Hosio locum citatum inveniri,* p. 37. usq; ad 46. Respondebimus ad singula.

57] *1.* Ecclesia Romana fucum facit Laicis multiplicem. (1) Concedit illis lectionem Bibliorum *in lingvis Hebræa & Græca,* sed qvotusqvisq; est ex Laicis, qvi lingvas istas intelligat? in ijs ergo lingvis permittit lectionem Bibliorum Laicis, qvas tamen Laici non intelligunt. (2) In lingvâ latinâ etiam concedit, *sed non in versionibus* propter vitia adhærentia; atqvi ipsa lingva latina qvoq; est versio. Patres Concilij Tridentini declarant qvidem illam versionem pro authenticâ, verùm nec Prophetæ nec Apostoli in illâ scripserunt lingvâ: contradictio igitur est, concedere Laicis lectionem Bibliorum non in versione, sed in lingva Latina, in qvam tamen Biblia sunt versa & translata. (3) *Ob vitia* non permittit lectionem Bibliorum in versionibus; atqvi Latina Biblia scatent vitijs supra modum. Evolvat Monachus, qvæ scripsit Ægidius *Hunnius* contra Bellarm. *Tom. 2. Oper. Latin.* p. 147 seq. videbit vitia Latinæ versionis plurima, qvæ nullo modo excusari possunt; falsum igitur est, qvod Pontificij jactant, se Lectionem Bibliorum permittere in ijs lingvis ubi errores non irrepserunt. (4) Hac ratione nec in Hebræa nec Græcâ lingvâ Bibliorum Lectio â Pontificijs concedi posset,

cùm *Bellarminus* contendat fontes Hebræos &
Græcos qvoq; corruptos esse lib. 2. *de verb. D*
cap. 2. & 7. Qvod etiam Melchior *Canus* facit i
Locis Comm: lib. 2. cap. 13. *(5) Judicio Pastoru*
prius examinata esse debere, ait *Janssenius*, *qvæ La*
cis legenda permittuntur; atqvi Pastorum judiciu
non est authenticum, imò hoc ipsum est in qvæ
stione an Pastores in Papatu de sacrâ scripturâ r
ctè judicent: & si Laicus desideret ipsam Scriptu
ram sine commentis & glossis humanis, qvid ju
dicio Pastorum opus erit? *(6) Jis qvorum virtus pr*
bata est, Lectionem Bibliorum concedi, ait: at qvænar
est ista virtus? scil. *superstitio Pontificia*, qvæ rad
ces egit in corde alicujus hominis, qvi non ni
præconceptis opinionibus, animo jam præocc
pato scripturam legit. Ex hisce omnibus patet u
niverso mundo fraus & fucus insignis qvem E
clesia Romana in Lectione scripturarum Christ
anis obtrudit.

58] Vitia autem in versione vulgatâ, qva
Janssenius incorruptam putat, inveniuntur qva
plurima, qvædam sunt *Graphica*, ut Judic. 11. v. 2.
dultera mater, pro *altera mater*. Luc. 15. v. 8. *ever*
domum, pro *everrit*. Joh 21. v. 22. *sic volo* eum m
nere, pro, *si volo* eum manere. Hebr. 12. v. 8. *adu*
teri non filij estis, pro, *adulterini filij estis*. Qvæda
vitia fontibus directè sunt *contraria* Gen. 19. v 1
qvæso Domine mi, pro, *ne qvæso Domine mi*. Ge
49 v. 24. *dissoluta sunt vincula brachiorum ejus*, p
roborata sunt brachia manuum ejus. 1 Cor. 15. v.
Omnes qvidem resurgemus, sed non omnes immut
bimur, pro, *non omnes qvidem obdormiemus, omn*
tame

tamen immutabimur. 1. Pet. 2. v. 23. *tradebat autem judicanti se injustè*, pro *justè*. 2. Pet. 1. v. 16. *indoctas fabulas secuti*, pro, *doctas*. 1 Joh. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem*, pro, *non ad mortem*. Vitia qvædam sunt *Chronographica* Gen. 8. v. 4. *dies vigesimus septimus*, pro, *decimo septimo*. Gen. 11. v. 13. *anni trecenti tres*, pro *qvadringentis tribus*. cap. 37. v. 2. *Joseph fuit annorum sedecim*, pro *septendecim*. Sic *vitia Dogmatica* sunt Gen. 3. v. 15. *ipsa* (Maria) *conteret caput serpentis*. cap. 4. v. 13. *Major est iniqvitas mea, qvam ut veniam merear*, pro *conseqvar*. Rom. 12. v. 19. non vosmetipsos *defendentes*, pro, *ulciscentes*. Gal. 3 v. 24. Lex pædagogus fuit *in Christo*, pro, *ad Christum*. Sic in fontibus multa habentur, qvæ in latina versione *omittuntur* Gen. 34. v. 29. *diripuerunt qvicqvid in domo qvalibet erat*. Matt. 6. v. 4. *in propatulo*. Joh. 5. v. 16. & *studebant illum interficere*. Talia multa, ubi aliqvid deest, inveniuntur Luc. 2. v. 40. Rom. 14. v. 6. 1. Cor. 15. v. 54. 1. Tim. 6. v. 5. 1. Pet. 4. v. 14. Ejusmodi vitia occurrunt qvam plurima in illâ versione, qvod agnoverunt *Jacobus Faber Stapulensis*, *Pagninus*, *Benedictus Ariasmontanus*, *Erasmus* & alij Pontificij plures, qvi propterea tum in versionibus tum in expositionibus suis â vulgata editione recesserunt, eamq; correxerunt.

59] 2. Citat *Janssenius ex Florimundo declamationem in qvâ taxat Lutheri versionem, eamq; multorum errorum accusat*. Respondemus: hoc diu fecerunt *Ulenbergius*, *Prateolus*, *Emserus*, *Cochlaeus* & alij, qvi in exagitandâ Lutheri versione suam libidinem expleverunt, sed nemo inter eos repertus

 fuit

fuit, qvi eam potuisset alicujus erroris solidis ar-
gumentis convincere: imò illi ipsi, qvi contemne-
bant versionem Lutheri, eandem usurparunt, u
Emserus & Tietenbergius, ipso scilicet facto testan
tes, sese vitulo Lutheri arasse. Videatur hac de r
Epistola *Lutheri* prolixa in Tom. 5. *Jenens. Germ*
fol. 140 Ubi de *Emsero* scribit, qvod fassus sit, idi
oma Lutheri elegãs esse, nec se melius vertere pos
se Novum Testamentum, & tamen Emserus sul
suo nomine illam ipsam versioně Lutheri de ver
bo ad verbum paucis mutatis edidit, præfation
Ducis Georgij præfixâ. Si verò *Lutheri* versio to
scatet vitijs, miror, cur Janssenius aut *Florimundu*
ea non produxerint.

60] 3. *Periculum seductionis metuit Janssenius e*
Florimundo & *Bellarmino* p. 41. 45. Verba *Bellarmi*
ni sunt: *Populus caperet detrimentum ex scriptura*
acciperet enim facilimè occasionem errandi, tũ in do
ctrina fidei, tum in præceptis vitæ & morum. Respon
demus: Lectio Scripturæ non potest esse causa er
rorum in doctrina. Nam (1) Christus testatur *Mat*
22. v 29. non lectionem sed ignorantiam Scriptu
rarum esse causam errorum (2) Non lectio sed de
torsio & depravatio Scripturæ errores causatur
concedimus ergò Laicis lectionem, at detorsio
nem & depravationem prohibemus (3) Paulus te
statur: Scripturam utilem esse πρὸς ἔλεγχον 2
Tim. 3. v. 16. Scriptura igitur est instar munimen
ti, qvo errores in doctrina possunt profligari, ar
gui & refutari. (4) Concedimus Laicis, ut juxta
Scripturæ normam de articulis fidei judicent &

Spir

Spiritus probant, prout docetur *Matt.* 7. v. 15. 1. *Theſ.* 5. v. 20. 1. *Joh.* 4. v. 1. Sed ut ſecundum proprium judicium aut rationis principium ſcripturam explicent, hoc nec Laicis, nec Clericis concedimus. (5) Conceſſum eſt qvidem Laicis ex ſacris judicare, ſed non publicum Miniſterium contemnere, pro publicis fidei & Religionis judicibus ſe venditare, verùm dona Dei in Doctoribus & ſuperioribus reverenter agnoſcere, qvorum manuductione in legendis Scripturis utuntur. (6) Apoſtoli periculum erroris in fide ex Lectione Scripturarum non timuerunt. Petrus potius laudat illos ad qvos ſcribit 2. *Epiſt:* cap. 1. v. 16. *qvod Scripturis Propheticis attendant, velut lucernæ in loco caliginoſo lucenti.*

61] Periculum erroris in vitâ Pontificij qvoq; fruſtra metuunt. Nam (1) hæc accuſatio in Deum redundat, qvi voluit peccata Sanctorum annotari. (2) Talia Sanctorum delicta non ſunt ſcripta ad imitationem, ſed cautionem, correctionem & conſolationem, cum ejusmodi delictis ſemper adjungatur vel pœna, vel factâ pœnitentiâ, peccati venia. (3) Diſtingvendum eſt inter id, qvod *ex natura rei fluit*, & inter illud qvod *accidentarium eſt*; ſi qvis ſcandalum acciperet ex lectione peccati Sanctorum, id non proveniret ex intentione Dei, aut ſcopo Scripturæ, ſed ex perverſâ legentis naturâ: qvod autem rei per accidés obtingit, non poteſt tollere rem ipſam, aut proprium ipſius uſum. (4) Cur Pontificij non ſunt ſolliciti de tollendis ijs rebus qvæ ex ſe ſcandalum pariunt?

 riunt?

riunt? Lupanaria publica certè magno ſunt ſcandalo & periculo Chriſtianis, & tamen Pontifex Romanus ea publicè tolerat. Lectio Amadiſi & aliorum librorum amatoriorum juventutem miſerè ſeducit, cur ergò publico Pontificis edicto tales libri non prohibentur? Qvot ſcandaloſæ imagines paſſim in templis Pontificiorum inveniuntur, qvas Monachi tolerant ſine metu erroris in vitâ. Trabem igitur ex proprijs oculis iſti Hypocritæ prius eruant, qvàm ſcripturam qvaſi ſcandaloſam accuſent. (5) Veteres longè aliter de Scripturis judicarunt: *qvid in ſacris libris poteſt turpe memorari?* ſcribit *Hieron* in *Apolog. adverſus Ruffinum* p. 108. *Scriptura ſacra vitalis eſt & nihil offendiculi habet in fidelibus*, ait *Epiphan.* Hæreſ. 69 p. 342.

62] 4. Objicit *Janſſenius Lutherum ſacram ſcripturam contempſiſſe, dum eam vocavit librum hæreſium.* Reſpondemus: Lutherus non *ex ſuâ mente*, aut *ex naturâ Scripturæ* ita judicat, ſed qvid fiat *ex malitiâ hominum* refert: *Qvidam ſtulti vocant Biblia librum Hæreticorum* ſcribit Tom. 1. *Jenenſ. Germ.* fol. 152. *Satan*, ait, *hoc excitavit, cum tamen ſcriptura deberet eſſe Imperatrix Chriſtianorum* Tom. 3. *Jenenſ. Germ:* fol. 336 Tom. 7. *Jenenſ.* fol. 127 conqveritur, *qvod mundus clamet, ex Scriptura provenire hæreſes & errores: qvod depingat Biblia qvaſi librum hæreticorum*, ſicut Pontifex Biblia vocat. Aliàs Lutherus Biblia magnifecit, qvod teſtantur labores ipſius immenſi, qvos impendit verſioni Germanicæ, uti etiam commentarijs librorum Scripturæ. Biblia vocat *librum Chriſtianorum*

Tom.

Tom. 6. fol. 72. *Deus nobiſcum loqvitur in Biblijs*, Tom. 8. Jenenſ fol. 323. *Pontificij autem fugiunt Biblia ſicut Diabolus crucem* Tom. 1. *Jenenſ.* fol. 375.

63] 5. *Tandem negat Janſſenius locum allegatum in Hoſio inveniri :* Sed omninò ibidem invenitur, Tom. 1. Operum *Coloniæ* An. 1584 impreſſ: *de expreſſo verbo* Dei p. 640. *Unde nobis tot lites ? tot contentiones ? tot ſeditiones, tot pugnæ ? tot hæreſes ? tot ſectæ ? qvibus miſerandum in modum diſſectam Eccleſiam videre licet, niſi ex eo, qvod dum expreſſum Dei verbum ad ſe qviſq; rapit, dum ſibi qviſq; propriè conatur illius intelligentiam uſurpare, ſcripturis legendis, nihil minus qværitur, qvam ut charitas ædificetur. Rude vulgus etiam & indoctum intolerabili qvadam ſuperbia manibus, qvod ajunt, & pedibus illotis imprudenter ad S. Literarum lectionem acedere, qvin & ſtultas hoc ſibi mulierculas arrogare videmus &c. Sed ſic viſum eſt Hæreſiarchæ noſtri temporis qvi primus dare ſanctum canibus, & ante porcos auſus eſt projicere margaritas, qvorum pedibus qvam fœdè cõculcentur, qvis eſt, qvi ſine lachrymis adſpicere qveat ?* Notetur autem qvod Janſſenius p. 46. *impudens mendacium* vocet iſtam Hoſij citationem, qvam tamen veriſſimam eſſe infra p. 517. verbis ibidem adſcriptis fateri cogitur. Ita modò negat, modò adfirmat Monachus iſte Authorum allegata pro libidine, qvod eſt certiſſimum argumentum negligentiæ & levitatis, dum authoribus non inſpectis citata negat, poſtmodum verò convictus veritate adfirmat; de qvâ levitate & negli-

gentiâ qvid sentiendum sit, doctioribus Pontifici
judicandum relinqvo.

64] Idem repetit *Alphonsus de Castro adver-sus hæreses, lib. 1. cap. 13. fol. 35.* Edition. Antver apud Johannem Steelsium, An. 1556. *Christiano decebat sacris Literis illam exhibere reverentiam, non passim omnibus legendæ traderentur, sed iis dun taxat, qvi fide & aliqvanta cæterarum rerum scien tia probati sunt. Nam de fide dicitur apud Esaiam nisi credideritis non intelligetis. Et de scientiâ reru humanarum, qvod hæc sæpe sit necessaria ad sacræ scri pturæ intelligentiam, jam aliàs docuimus. Utrum Dominus uno orationis contextu insinuavit, dicens nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margarita vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibu suis, & conversi disrumpant vos. Qvod exponen Theophylactus ait: Canes sunt infideles, porci auter vitam porcinam agentes. Mysteria igitur incredu lis non sunt prodenda. Porci enim conculcant, qv dicuntur, canes autem conversi lacerant eos: qvo fecerunt Philosophi cum audirent Christum Cruci xum. Dilacerant autem vos ratiocinando impossib le esse cavillantes: Hæc Theophylactus. Qvapropte laudandum meritò venit edictum Illustrissimorum Catholicorum videl: Hispaniæ Regum, Ferdinan scilicet, ejusq; Conjugis Elisabethæ, qvo sub graviss mis pœnis prohibuerunt, ne qvis sacras literas in lin gvam vulgarem transferret, aut ab alio translat qvoqvo pacto retineret. Timuerunt namq; pruden ter plebi suæ, qvam regendam susceperant, ne ulla occasio illi daretur errandi: nec tamen gratis & sin causa timuerunt: qvoniam longâ experientiâ com*

pertu

pertum fuerat, plures hac occasione hæreses fuisse olim suscitatas. Ex hac siqvidem radice prodierunt Valdenses, qvi alio nomine pauperes de Lugduno appellantur &c.

64] 3 Objeci, Pontificios fugere scripturam in disputando, qvod exemplo Pigghij, Eccij, Jesuitarum in Colloqvio Ratisponensi probavi. Regerit *Janssenius* (1) hos *Doctores esse privatos* (2) *Pigghium voluisse, ut nullo modo disputassent Clerici cum Luthero* (3) *Eccij testimonium esse falsum.* (4) *Jesuitis Bavaricis qvoq; affingi, qvasi dixissent, nullam hæresin ex scriptura absolutè fuisse refutatam*, p. 47. 48. Respondemus ad singula.

65] 1. *Bellarminum, Hosium, Costerum, Pigghium, Eccium* esse privatos Doctores, qvâ fronte *Janssenius* hoc asserit; nonne *Bellarminus* fuit Cardinalis & Jesuita, magna Ecclesiæ Romanæ columna & propugnaculum? nonne *Hosius* fuit Cardinalis & Episcopus Varmiensis, vir magnæ authoritatis in Pontificatu? *Pigghius* & *Eccius* fuerunt celeberrimi viri, inprimis Eccius, qvi Luthero acriter restitit, & totam Ecclesiam Romanam propugnavit, qvi aderat vocatus in comitijs Augustanis. *Costerus* fuit Jesuita magni nominis, cujus Enchiridion Theologi Moguntini, Colonienses, Lovanienses, & Trevirenses approbarunt, & tamen *Janssenius* hos Doctores, Jesuitas, Episcopos & Cardinales audet proclamare Doctores *privatos*? Qvia igitur Scripta istorum Virorum prodierunt consensu & authoritate superiorum, qvi à Pontifice constituti sunt librorum Censores, & Pontifex Romanus

Scri-

Scripta ista hucusq; nullibi improbavit, seqvitur certè hos Authores neqvaqvam privatos dici posse.

66] 2. *Pigghium excusat, qvasi mens ipsius fuisset, nullo modo cum Luthero fuisse disputandum; non tamen ex metu & diffidentiâ certamen ex Scripturis defugisse*; verùm qvæ mens fuerit Pigghij ex proprijs ipsius verbis patebit, lib. 1. *de Hierach: Eccles.* cap 4. *Dum ostentandi ingenij & eruditionis gratia cum Luthero in certamen descenditur scripturarum* &c. *excitatum est hoc, qvod nunc, proh dolor, videmus, incendium.* Qværitur hic: an Pigghius certò crediderit dogmata pontificia fundata esse in Scripturis? si hoc credidit, potius suadere debuisset, continuanda esse certamina ex scripturis, exemplo Christi & Apostolorum, qvi ea non subterfugiebant, sed continuabant. Sic *Christus* non fugiebat certamen cum Saducæis, sed convincebat eos ex Scripturis *Matth.* 22. v. 31. 32. *Deum non esse Deum mortuorum, sed viventium.* Surgebant Pharisæi ex Scripturis contra illum disputantes, at convincebat illos iterum ex scripturis v. 37. 44. 45. 46. *Ut nemo qvicqvam ipsi potuerit respondere.* Sic *Paulus* convincebat Judæos *Jesum esse Christum* Actor. 9. v. 22. *Apollo* Judæos ex scripturis disputantes, Scripturis iterum convincebat, & publicè demonstrabat, *Jesum esse Christum Act.* 18. v. 28. Si ergo Christus & Apostoli non alio modo detinuerunt adversarios, aut ad palinodiam ipsos adegerunt (ut Janssenius loqvitur) qvam per Scripturas; utiq; vos Pontificij non alio modo debuissetis, & adhuc debetis Luthero & Lutheranis, resi-

resistere, qvàm ex scripturis eos convincendo. Qvia verò *Pigghius* dissvasit certamen ex scripturis, innuens alio modo Lutherum debuisse coerceri, eo ipso demonstravit, dogmata pontificia in scripturis fundata non esse, adeoq; ex metu & diffidentiâ certamen scripturarum subterfugit.

67] 3. *Eccium falsum fuisse coram Duce Bavariæ Confessionem Augustanam non ex scripturâ, sed ex Patribus posse refutari, Janssenius vocat mendacium, addens, qvod Lutherus in propriâ causâ ut testis audiri non debeat.* Respondeo, non *Lutherus* sed *Georgius Spalatinus* in Comitijs Augustanis hoc audivit ex aliqvot Bavaris, qvi testati sunt *Wilhelmum Ducem Bavariæ* dixisse: *de Doctrinâ Lutheri sese antea longè aliter fuisse informatum, atq; nunc audivisset, cui Eccius responderat: non ex Scripturis, sed ex patribus sese hanc doctrinam refutare posse; qvo audito, Dux Bavariæ faciem avertens abijt. Tom. 5. Jenens.* fol. 41.

68] 4. *Accusat me qvasi affingam Jesuitis Bavaricis, eos in Colloqvio Ratisponensi dixisse: nullam hæresin ex Scriptura fuisse refutatam*; at legitur hoc expressè in Colloqvio Ratisponensi Spiræ excuso, *Sess.* 8. p. 175. ubi *Tannerus* dixit *nulla, nulla, nulla harum hæresium enumeratarum sufficienter ex Scripturâ est refutata.* Miror Janssenium tam audacter negare ea, qvæ omnium oculis sunt exposita.

69] 4. Objeci depravationem Scripturarum, qvas ex mente & sensu Pontificis Romani explicant, exemplo dictorum *Matth.* 16. v. 18. & cap. 26. v. 27. additis testimonio *Bellarmini*, & historiâ *Sleidani* de novem viris Lugduni combustis, qvi nega-

negaverant scripturam suam authoritatem ab Ecclesiâ habere. Respondet (1) *otioso garritu principium petendo* p. 49. 52. (2) *Dictorum allegatorum explicationem Papisticam defendendo*, p 53. (3) *negando Pontificios docere, authoritatem Scripturæ ab Ecclesiâ dependere* p. 54. (4) *Exempla aliqvot proferendo, qvibus demonstratur sensum Scripturæ non nisi ex Ecclesiæ authoritate haberi posse*, p. 55. 57. Respondebimus ad singula.

70] 1. *Otioso garritu meras petitiones principij committit*; ita enim scribit p. 49: *Mullere, Catholici qvotqvot sunt, maximo honore & reverentiâ dignantur Scripturam: qvod vel ipse livor fateatur, si eorum libros & monumenta perlegerit. Scripturæ verò verbis & testimonijs omnes Fidei articulos libenter ac meritò confirmant, non aliter illa intelligentes, qvā orthodoxæ Ecclesiæ Doctores in primitivâ Ecclesiâ interpretati sunt. Atqve adeò, non est cur falsò objicias, illos Scripturæ verba in alium sensum pro se torqvere, suasq; opiniones verbis & phrasibus, quas præscribit Pontifex, involvere. Qvanqvam ubi is aliqvid credendum aut docendum præcipit; cum Caput sit ejus Ecclesiæ, qvam Spiritus Sanctus in controversijs Fidei decidendis semper docuit & nunqvam deseruit; Catholici lubenter ejus sententiæ acqviescunt, certi nihil ab eo sustineri posse adversus scripturam, & qvicqvid ille statuerit, id priscis etiam Ecclesiæ patribus fuisse approbatum, aut, si hodie viverent, ab ijsdem receptum iri.* Consideret Lector responsionem, videbit omnia gratis dici sine testimonio, sine ratione: qvod Catholici scripturam honorent, qvòd omnes fidei articulos verbis Scripturæ confirment,

ment, qvod ea non aliter intelligant, qvàm olim Doctores Ecclesiæ orthodoxi intellexerunt, qvòd Pontifex sit caput Ecclesiæ, qvòd Spiritus Sanctus eam nunqvam deserat, qvòd prisci patres approbarint ea qvæ Pontifex statuat, qvòd essent approbaturi si hodie viverent: hæc omnia effutit otioso garritu sine demonstratione, cœlum terrâ miscendo, & qvæstiones diversas confundendo.

71] 2. *Dictorum Scripturæ Matt.16.v.18. Matth. 26.v.27. explicationem Pontificiam defendere satagit*; sed frivolè satis & jejunè. Ad prius enim Matt. 16. respondet: *Petrum primò accepisse pontificatum â Christo, postmodum mediante Petro ipsius Successores:* hoc est nihil respondere & principium petere, id enim est, qvod qværitur, *an Christus Petrum constituerit Pontificem & Universalem Episcopum Ecclesiæ, Petroq; mediante alios Pontifices Successores. Tu es Petrus*, inqvit, & *super hanc petram*, scil. *qvam Petrus fuerat confessus, ædificabo Ecclesiam meam. Confessio* autem Petri erat, *Christum esse Filium Dei viventis*; *qvi Filius Dei viventis dicitur Petra* 1. *Cor.* 10. v. 4. Manet itaq; pontificios hoc dictum explicare ex proprio sensu, qvem Scripturis ingerunt, cùm tamen sensum ex scripturis efferre & eruere deberent. Ad posterius Matth. 26. respondet: vocem *Omnes* (*bibite ex hoc omnes*) *non solos Ecclesiasticos notare seu Clericos, sed illos tantùm, qvi tum aderant, scil. Apostolos.* Verum tripliciter errat Monachus. Primò enim contradicit alijs pontificijs, qvi vocem *Omnes* per solos Clericos explicant. *Christophorus Majer* Jesuita

ta Viennensis *in controversijs Fidei* p. 86. cap. 6. expresse scribit, hæc verba *de solis Clericis esse intelligenda:* cur ergò negat *Janssenius* hanc explicationem esse Pontificiorum? Deinde si concedatur solos Apostolos notari hac voce, manet tamen ultrò, solos Clericos notari, Apostoli enim utiq; erant Clerici, Pontificijs non diffitentibus, nisi fortè Janssenius novam opinionem introducat, Apostolos fuisse Laicos. Tandem si per τὸ *omnes*, soli intelliguntur Apostoli, ut *Janssenius* ait, qværo, cur Clerici in Papatu ex calice benedicto bibant, cum illi non sint Apostoli, & sub voce omnes non comprehendantur. Ita Monachus iste sese confundit, & cæteris Pontificijs contradicit. An verò vox bibite, sit vox præcepti, qvinam per vocem omnes intelligantur, & qvid Lutherus docuerit de hoc capite Christianæ doctrinæ, infra suo loco sufficienter demonstrabitur.

72] Ejusmodi interpretationes Scripturæ ex proprio sensu Pontificis intrusæ, magno numero occurrunt in Jure canonico & Epistolis decretalibus. *Nicolaus III.* locum Gal. 6. v. 16. *Ego stygmata Domini Jesu in corpore meo porto*, de religione Franciscanorum explicat, qvasi Christus Stygmatibus suæ passionis eandem confirmasset. *Sexti Decretal. lib. 5. tit. 12. de verbor. signif.* cap. 3. *Exijt qui seminat. Bonifacius III.* locum Luc. 22. v. 38. *Ecce duo gladij hic*, interpretatur de potestate Spirituali & temporali in Ecclesia. *Etravag. comm. lib. 1. tit. 8. de major. obedientia* cap. 1. *unam Sanctam.* In *Ceremoniali Eccles. Romanæ* lib. 1. fol. 85. Dicta Matt. 28. v. 18. *data est mihi omnis potestas in*

cælo

cœlo & in terrâ. Pſal.72.v.8. *dominabitur â mari usq; ad mare,* de ſummâ poteſtate temporali Pontificis Romani explicantur. *Becanus in Manual. Controv. lib.1. cap. 1. qvæſt. 2. p. 5.* illud *Gen. 11. v 1. & erat autem terra labij unius & ſermonum eorundem*, falsò interpretatur de authoritate authenticâ vulgatæ editionis latinæ. *Coſterus* in *Enchir, Controv.* cap. 8. p. 332. vaticinium propheticum *Eſa* 11. v. 10 & *erit ſepulcrum ejus glorioſum:* de aſſervatione & incluſione hoſtiæ conſecratæ exponit. *Bellarm. lib. 2. de ſacram. in Gen. cap. 20.* dictum illud *Ezech. 9. v. 4. de ſigno Thau ſuper frontibus virorum gementium*, explicat de Charactere indelebili, qvem Sacramenta imprimant ex Pontificiorum opinione. *Barradius in comm. Evangel. Tom. 2. lib. 7.* cap 24. p. 475. Verba in Oratione Dominicâ; *panem noſtrum qvotidianum da nobis hodie,* de pane Euchariſtico interpretatur. Hoc eſt privato Spiritu ſcripturas interpretari, ſenſum ex humano cerebro inferre, non efferre.

73] 3. *Mendacium plenum fatuitatis & malitiæ vocat, ſi qvis dicat, Eccleſiam Romanam docere, Scripturæ authoritatem ab Eccleſiâ dependere, & ejus explicationem non eſſe accipiendam aliam, niſi qvæ placuerit Eccleſiæ Romanæ.* Reſpondeo: Os impudens oportet eſſe iſtius Monachi negantis ea, qvæ omnium oculis ſunt expoſita. *Bellarm* lib 4. cap. 2. de Notis Eccleſ. ſcribit expreſsè: *qvæ ſit vera prædicatio verbi, id ab Eccleſiâ diſcimus. Thomas Botzius* lib. 16. *de ſign. Eccleſ.* cap. 10. *qvicqvid divina ſcriptura authoritatis habet, id totum fuit, atq; eſt ab Eccleſiâ. Stapletonus in Relect. princip. fidei contr. 4.*

qvæst. 5. p. 497. scribit: *Inter Scripturam & Ecclesiam hoc discrimen est, qvod illa est qvidem vox Dei, sed non simpliciter, nec semper. Nam & Diabolus & impostor hæreticus Scripturam loqvitur sua voce, non Dei. Est autem Scriptura vox Dei, qvando Ecclesia illam loqvitur, per qvam Deus loqvitur, vox autem Ecclesiæ est simpliciter & semper vox Dei, qvia nunqvam nisi ex Deo loqvitur, qvando de fide loqvitur & nunqvam vel fallit vel fallitur.* Ibidem. *Ad Canonizationem seu consignationem authenticam Scripturæ concurrens Ecclesia, superiorem qvandam authoritatem exercet, non solum respectu illorum, qvibus eam pronũciat, & canonicã facit, sed etiam respectu scripturæ ipsius, qvatenus canonicæ. Huntlæus* Jesuita in Epitome controversiarum *Tom. 1. Contr. 2. cap.* 15. p. 228. scribit: *Dicunt Adversarij Ecclesiam nudum dare testimonium Scripturis, qvale dedit S. Johannes Christo, sed non dare illis testimonium necessarium seu authoritatis Verùm qvod testimonium Ecclesiæ sit omninò necessarium, ut â qvo dependeat autoritas ipsa Scripturarum, satis constat ex his, qvæ diximus præcedente capite. Et post pauca: dat Ecclesia Scripturis non nudum testimonium, sed testimonium authoritatis, ex qvo videlicet authoritas Scripturarum pendet Imò ipse Janssenius* cogitur fateri p. 516. *Hosium* lib. 3. de authoritat. Script: defendere illud dictum; *Scripturas valere qvantum fabulas Æsopi, si destituantur Ecclesiæ authoritate.* Eat itaq; nunc & dicat, mendacium esse, pontificios docere, Scripturam habere ab Ecclesiâ suam authoritatem.

74] *Sleidanum* qvoq; mendacij arguit, recensentem historiam de novem Viris Lugduni combustis: atqvi Sleidani historia privilegio Cæsáreo fuit confirmata, neq; hactenus pontificij solidis argumentis ipsum potuerunt alicujus mendacij convincere. Et si Sleidani historia mendacijs scatet, cur *Florimundus* ad Sleidanum provocat, prout Janssenius testimonium Florimundi p. 137. citat. Ita verò sese habet historia Sleidani ex *Lib. 25. An. 1553. Combusti sunt Lugduni novem Viri, inter qvos qvidam Ludovicus Marsacus, cum multa protulisset Scripturæ dicta pro Confessione suá, Inqvisitores hæreticæ pravitatis dixerunt: unde tu scire potes hos esse sacros libros? nonne Catholicæ Ecclesiæ authoritate tibi hac in re standum est? Præfectus etiam Regius addidit, duos tantùm esse Evangelistas, Matthæum & Johannem: reliqvos duos & Paulum etiam veluti qvosdam centones censuit: & nisi Ecclesiæ Doctores eam Paulo tribuerunt authoritatem, ait, se non pluris facturum ejus Epistolas, qvam Æsopi fabellas. Qvumq; Marsacus invicem diceret de Pauli vocatione & munere præclara extare testimonia, præsertim Gal. 1. tum, nihil, inqvit ille, ad rem istud facit, nam sibi testimonium ipse dicit.*

75] 4. *Exempla qvædam profert, qvibus demonstrare satagit, multa esse Scripturæ testimonia, qvorum legitimus sensus non possit haberi nisi ex traditione & autoritate Ecclesiæ, ut sunt (1) formalia verba, qvæ in Baptismo adhibemus. (2) Numerus septenarius Sacramentorum (3)*

pædobaptiſmus. (4)*Scripturam utriusq; teſtamenti eſſe verbum Dei*, p. 55. 58. Qvanqvam verò iſta omnia ἀπαιδεύτως afferantur, cùm qvæſtio non ſit de qvibusdam dogmatibus, an illa per bonam conſeqventiam ex ſacris literis poſſint deduci, ſed de dictis Scripturæ, an illorum ſenſus ſine traditione Eccleſiæ pateat; ad ſingula tamen reſpondebimus.

76] 1 *Verba formalia in Baptiſmo*, Ego te baptizo in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, *non ex traditione Eccleſiæ*, ſed *ex diſerto Chriſti mandato habemus* Baptiſmum inſtituentis Mar. 16. v. 15. 16. Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Hiſce verbis (1) Chriſtus mandat, ut Apoſtoli baptizent Gentes. (2) Formam Baptiſmi exprimit, qvæ conſiſtit in merſione hominis baptizandi in aqvam, ſeu qvod perinde eſt, in affuſione aqvæ, & in recitatione verborum inſtitutionis. Neq; enim baptiſmus eſt muta ceremonia, ſed talis actio, in qva miniſter exponit, qvid agat, & qvâ authoritate id agat: ſi qvis ergo omitteret verba formalia baptiſmi, is peccaret contra Chriſti inſtitutionem, nec verum Baptiſmum adminiſtraret, perinde ac ſi qvis ſine aqvâ baptizare vellet, cum Chriſtus utrumq; inſtituerit, ut aqvâ baptizemus, & ut in nomine SS. Trinitatis Baptiſmum adminiſtremus.

77] Nec obſtat, qvod Apoſtoli dicuntur baptizaſſe *in nomine Jeſu* Act. 10. v. 48. &c. Verba enim illa non ſunt intelligenda de causâ *formali*, ſed

ſed de cauſa *efficiente*, hoc eſt, non exprimitur verborum forma, qvâ Apoſtoli ſunt uſi, ſed tantùm docetur, eos in nomine Chriſti Baptiſmũ adminiſtrâſſe, hoc eſt, in fidem doctrinam & agnitionem Chriſti baptizâſſe. Sicut enim Iſraëlitæ dicuntur *baptizati in Moſen* 1. Cor. 10. v. 2. hoc eſt per mare rubrum à Moſe ducti ſunt, & eo ipſo fuerunt obligati ad credendum ea omnia, qvæ Moſes juſſu Dei ipſis præcipiebat, ita Chriſtiani in nomine Jeſu dicuntur baptizari, qvo ipſo obligantur ad credendum ea, qvæ Jeſus docuit, ad amplectendum hunc unicum Mediatorem, ut pote *in cujus mortem baptizati ſumus* Rom. 6. v. 3. Qvapropter cum Apoſtoli audiverint vocem Patris cœlitus delapſam, de audiendo Filio, qvis dubitaret, eos qvoq; Filium audiviſſe, & ſecundum formam verborum inſtitutionis ipſius gentes baptizaſſe. Dependent igitur iſta non ex authoritate Eccleſiæ, ſed ex ipſis ſcripturarum teſtimonijs.

78] 2. *Numerum Sacramentorum, ait, in Scripturâ non eſſe definitum; ergo, ex teſtimonio Eccleſiæ dependere concludit, addens, Catholici habent ſuum ſeptenarium ex ſcripturâ, tum ex traditione & declaratione Eccleſiæ.* Notetur hic contradictio Monachi: *Numerus Sacramentorum non expreſſus eſt in Scripturâ*, & tamen ait *Catholicos ſeptenarium ſuum habere ex ſcriptura*, p. 55. ſi numerus Sacramentorum non eſt definitus in ſcriptura, qvomodo ergo poteſtis illum numerum ex ſcripturâ habere? Nos credimus & docemus in Novo Teſtamento tantum duo eſſe Sacramenta, cùm non dentur plures, qvàm duo ritus, qvibus proprietates Sacramen-

mentorum competunt. Tales proprietates sunt (1) ut adsit aliqvod externum & visibile elementum qvod ritu externo tractetur (2) Ut Elementum istud externum â Deo sit institutum (3) & qvidem in Novo Testamento. (4) Ut non ad tempus, sed usq; ad finem mundi sit institutum. (5) Ut adsit promissio divina de annexâ gratiâ, ita ut signũ Sacramenti externum hac gratiâ qvasi vestiatur. (6) Promissio hæc non sit in genere beneficiorum corporalium sed Spiritualium, & sit promissio gratuitæ reconciliationis & peccatorum remissionis (7) Illa promissio necesse est exhibeatur & applicetur virtute Dei singulis, qvi utuntur Sacramentis fide. Hæc reqvisita cum in Baptismo & cœnâ Dominicâ inveniantur rectè concluditur, ea esse Sacramentorum propria, & naturam Sacramentorum ex ijs esse æstimandum.

79] Demonstramus ergò *binarium Sacramentorum numerum in Novo Testamento* (1) *ex reqvisitis Sacramentorum* modò enumeratis, qvæ tantùm Baptismo & cœnæ Dominicæ competunt. (2) *Ex materiâ*, qvæ ex Christi in cruce pendentis latere profluxit, qvæ erat aqva & sangvis Joh. 19. v. 35. aqva Baptismum, Sangvis cœnam denotabat, prout Patres Ecclesiæ primitivæ unanimiter declarant. (3) *Ex testimonio Johannis* 1. Epist. 5 v 8. qvi ait: *tres sunt qvi testificantur in terrâ, Spiritus, aqva & Sangvis*: per *Spiritum* denotatur ministerium Evangelij, per *aquam* Baptismus, per *Sangvinem* Cœna Dominica. Verbo igitur adjunguntur duo testes visibiles, hoc est, duo Sacramenta, Baptismus & Cœna Domini. (4) *Ex Analogia Sacramen-*

mentorum Veteris Teſtamenti, in qvorum locum ſucceſſerunt Sacramenta Novi Fœderis: duo autem tantùm erant Sacramenta, *Circumciſio* & *Agnus Paſchalis*; in locum Circumciſionis ſucceſſit Baptiſmus *Coloſſ.* 2.v.11.12. in locum Agni Paſchalis Cœna Dominica *Matt.* 26. v. 28. hanc analogiam monſtrante *Paulo*: *nolo vos ignorare Fratres, qvoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moſen baptizati ſunt in nube & mari, & omnes eandem eſcam Spiritualem comederunt, & omnes eundem potum Spiritualem biberunt: bibebant autem de Spirituali conſeqvente eos petrâ: petra autem erat Chriſtus*, 1. Cor. 10. v. 1. 2. 3. 4. Videt ergo *Janſſenius* nos binarium Sacramentorum numerum ex ſacris habere πρώτως & primariò, adeoq; Romanæ Eccleſiæ authoritate minimè opus eſſe.

80] 3. *Pædobaptiſmum objicit ex ſolo Eccleſiæ ſenſu & Traditione probari, non verò ex ſacris literis.* Citat Chriſti dictum Joh. 4 ubi notari velim inſcitiam iſtius Monachi, Chriſtus enim non loqvitur de Baptiſmo Johan 4. ſed Johan. 3. v 5. Pædobaptiſmum verò non ex ſola Romanæ Eccleſiæ traditione, ſed ex verbo Dei probare poſſumus, qvod patet ex rationibus ſeqventibus (1) *Ex mandato Chriſti Univerſali Matt.* 28. v. 19 *Euntes docete omnes Gentes & baptizate eos*, ubi particula *omnis* excludit diſcrimen populi, ſexus, ætatis, ideo Apoſtoli integras familias baptizarunt. *Act.* 16. v. 15. 33. *cap.* 18. v. 8. 1. Cor. 1. v 16. (2) Ex *peccati originalis contagio*, qvo etiam infantes ſunt infecti Eph.

2. v. 3. *Rom.* 5. v. 14 Ps. 51. v. 7. Infantibus ergò aut æternum est pereundum, aut regeneratione opus habent: illud Deus non vult Matth. 18. v. 14. *non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus de pusillis*, ergo regeneratione opus habent per ordinarium baptismi medium, & hùc pertinet dictum Joh. 3. v. 5. *nisi qvis renatus fuerit ex aqva & Spiritu, non potest regnum cœlorum* introire. *(3) Ex affectu Dei Paterno* infantes sibi offerri jubentis, eosq; clementer suscipientis Gen. 17. v. 7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te* Matth. 19. v. 14. *sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum cœlorum, & imposuit eis manus.* Act. 2. v. 39 *Vobis & Filijs vestris facta est promissio.* Qvorsum etiam pertinet dictum modò citatum *Matt.* 18. v. 14. Hinc concludimus; qvorum Christus Deus est, qvos vult sibi adduci, qvorum est regnum cœlorum, qvos Christus suscipit, qvibus promissio facta est, illi non sunt arcendi â Baptismo; atqvi de Infantibus hæc omnia leguntur, etiã de tenellis, qvi τὰ βρέφη vocantur Luc. 18. v. 15. ergo illi â baptismo non sunt arcendi. Imò *Janssenius* immemor sui ipsius infra p. 430. pædobaptismum qvoq; ex Scripturis probat, qva fronte igitur in hoc loco negat, eum in scripturis fundari?

81] 4. *Janssenius* qværit, *unde constet, Scripturam utriusq; Testamenti esse verbum Dei, nisi ex authoritate Ecclesiæ?* Respondemus: Ecclesiæ solius authoritas & Testimonium non sufficit. Nam *(1)* Libri utriusq; Testamenti sine testimonio Ecclesiarum authoritatem verbi Divini obtinuerunt, cum

cum Apostoli primò Evangelium prædicarent. *(2)* Ecclesia ipsa non nisi è libris canonicis Scripturæ rectè cognosci potest, utpote qvæ Ecclesiam signat & notat. *(3)* veræ Ecclesiæ membra ut plurimum sunt inconspicua, ergò non semper possunt publicè testificari. *(4)* Ecclesiæ testimonium per se non potest esse fidei Theologicæ fundamentum. *(5)* Eatenus Ecclesiæ testimonium est infallibile, qvatenus cum Scripturis consentit. *(6)* Si Paganus rideret Ecclesiam, aut etiam de Ecclesiâ dubitaret, testimonium Ecclesiæ Divinitatem Scripturarum ipsi demonstrare non posset. Longè alia sunt γνωρίσματα qvibus Divinitas Scripturarum innotescit.

82] Talia sunt *(1)* Dei de se loqventis Majestas: Sic dicit Dominus, os Domini locutum est: hæc dicit Dominus Deus Israel &c. (2) Mysteriorum supercœlestium veritas, ut sunt mysterium Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, Justificationis, Sacramentorum, peccatorum Remissionis, mortuorum Resurrectionis, glorificationis in alterâ vitâ, qvæ mysteria omnem Angelorum & hominum captum transcendunt. *(3)* Visionum Divinarum admiranda varietas in Ezechiele, Daniele, Zacharia, Amos, in Actis Apostolorũ &c. *(4)* Vaticiniorũ demonstrata veritas, qvibus sese Deus ipse â Dijs gentilium separat Esa. 46. v. 9. 10. Talia sunt: de Captivitate Babylonicâ & Judæorum ex eâ liberatione, de adventu Messiæ, de serie qvatuor Monarchiarum, de Imperij Romani magnificentiâ & distractione, de tempore, Matre, Patriâ,

miraculis, passione & morte Christi, de rejectione Judæorum, de Antichristo &c. (5) Præceptorum Sapientissimorū sanctitas, qvæ in libris gentilium & Judæorum non invenitur (6) Styli & sermonis singularitas. (7) Librorum utriusq; Testamenti harmonia & concinnitas. (8) Doctrinæ ipsius in animis percellēdis & penetrandis efficacitas Jer. 23. v. 29. Hebr. 4. v. 12. (9) Librorum Canonicorum & Doctrinæ antiqvitas (10) Miraculorum per Prophetas & Apostolos factorum celebritas. (11) Martyrum qvi suo sangvine hanc doctrinam obsignarunt, magnanimitas. (12) Totius mundi, qvi hāc doctrinam, licet â sensu & ratione abhorreat, recepit, autoritas. (13) vindictæ divinæ severitas adversus eos, qvi hanc doctrinam violarunt, ut in Tyrannis & persecutionibus Ecclesiæ apparet. (14) Internum Spiritus Sancti testimonium loqventis in cordibus nostris, 2. *Cor.* 1. v. 22. *Eph.* 1. v. 13. 14. 1. *Joh.* 4. v. 6. Κριτήρια hæc conjunctim sumpta solidè evincunt sacram Scripturam esse verbum Dei viventis. Agnoscunt hoc ipsum *Bellarm. lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 2. & *Gregor. de Valent. Anal. lib.* 1. *in cap. prioribus*, qvi ijsdem argumentis utuntur pro Scripturarum divinitate demonstrandâ

83] Ad hæc omnia tandem accedit Ecclesia, qvæ testimonium perhibet historicum de Authoribus librorum Biblicorum, per conseqventiam verò demùm de Scripturæ authoritate, dū scilicet hominē deducit ad interna γνωρίσματα qvibus cōsciêntia hominis convincitur Scripturā esse verbum Dei

Dei. Sicut enim mulier Samaritana *Joh.* 4. v. 29. primò deChristo fidem faciebat suis popularibus, illi tamen videntes Christum, credebant non amplius propter sermonē mulieris, sed propter ipsius Christi sermonem, qvem audiebant v. 42. ita Ecclesia ad Scripturam primò hominem deducit, divinitaté autem scripturæ homo non amplius propter Ecclesiā, sed propter interna κριτήρια credit, qvæ in sacris literis invenit. Ecclesia ergò Scripturæ authoritatem non cōfert & ingenerat, sed collatam & ingeneratā agnoscit tantùm & testimonio suo profitetur. Theologi nostrates hoc argumentum satis luculenter & prolixè tractârunt alibi. Vide *Hunnium Tom.* 1. *de Majest. scriptura. Zeamannum in Basi Fidei. Schröderum de principio Theologia*, & alios plures.

Caput Tertium.

De Sanctorum Patrum Authoritate.

84] PAtres dicimus Doctores Ecclesiasticos, qvi à tempore Apostolorum usq; ad Lōbardum docuerunt: vocantur illi Patres, nō tantum propter venerandam canitiem & antiqvitatem, cujus ratione magnū in Ecclesia nomé obtinent, sed etiā propter officium, qvia multos in Christo genuerūt filios per Evāgelij prædicationem & transplātationem. Scripta istorum Ecclesiæ Doctorum magnifacimus in Ecclesijs nostris, legimus ista, & lectionem illorū alijs svademus, non tantùm propter historiā Ecclesiasticā, religio-

ligionis propagationem, hæresium refutationem, sed etiam propter Scripturæ interpretationem, videmus enim in *scriptis* illorum, qvibus medijs ad verum Scripturæ sensum pervenerint; qvæ impedimenta obstiterint, qvo minus ad verum Scripturæ intellectum interdum penetrare potuerint: animadvertimus dona Dei in qvibusdam excellentiora, donum interpretandi exactius & profundius in uno qvam in altero: antiqvitas doctrinæ nostræ in ijs confirmatur, cum videamus olim post tempora Apostolorum eos eandem nobiscum fidem confessos esse; discimus ex illis, qvomodo thesauri admonitionum & doctrinarum ex sacris eruendi sint; qvam cautè verbum Dei tractandum sit, ne in errores incidamus. Hoc nomine monumenta Patrum magnifacimus; unde qvidam Theologorum nostrorum egregia cōpendia ex prolixis Patrum Commentarijs conscripserunt, ut *Chemnitius in Exam. Concil. Trident. Heilbrunn: in Papatu Acatholico*, *Eccardus in Compend. Patrum*, *Pelargus in Jesuitismo novo* & alij plures:

85] *Scripta* verò *Sanctorum Patrum* pro infallibili fidei principio acceptare non possumus propter novē rationes, qvas in Admonitione protuli (1) qvia fuerunt homines erroribus obnoxij (2) non habuerunt promissionem de immunitate errorum (3) erraverunt sæpius ipso actu (4) mutarunt sæpius doctrinam suam (5) contradicunt sibi (6) multa ipsorum scripta perierunt (7) falsa & suppositіtia scripta pro Patrum scriptis venditantur (8) Impossibile est homini omnia Patrum volumina

mina legere. (9) Bellarminus fatetur ipsos non esse regulam credendi. Contrarium asserit *Janssenius* p. 60. 61. & ad datas rationes excipit hoc modo

86] *1.* Ait : *si patres non sunt regula fidei, propterea, qvia fuerunt homines*, (omnis autem homo mendax) *seqvitur Lutherum & Lutheranos Prædicantes qvoq; esse Mendaces, & errare posse, nihil itaq; illis credendum est, etiam cum dicunt se verbum Dei prædicare*. Respondetur (*1*) puerile est Sophisma & turpis ignoratio Elenchi: qværitur an Patres sint regula fidei? nego ego, *qvia errare possunt*; objicit Monachus, *Lutherum qvoq; & alios Lutheranos posse errare*: sed resp. Lutheri & Lutheranorum scripta non obtruduntur pro regulâ fidei & principio Primo ac infallibili. Ergo instantia ista impertinenter objicitur, cum scopum non feriat, & conclusionem argumenti non tangat. (*2*) Cum Scriptura ait *Rom.* 3. v. 4. *omnis homo mendax*, non intelligit omnes homines actu semper mentiri, sed naturam hominis esse ita corruptam, ut ad errores & mendacia inclinet: ita nos non dicimus, Patres semper & ubiq; errasse in omnibus, sed asserimus Patres fuisse homines erroribus obnoxios propter naturam corruptam, intellectus cœcitatem, & humanam infirmitatem. (*3*) Est æqvivocatio in voce Mendax; interdum notat eum, qvi *falsum dicit decipiendi causa*, ut Joh. 8. v. 44. interdum verò notat *omnem* falsitatem, fraudem, errorem in doctrina & vita. Sic *Eph*. 4. v. 25. Paulus jubet *deponere mendacium. Rom*. 1. v. 25. dicitur de Ethnicis, *qvod veritatem Dei in mendaci-*

um

um commutaverint. Et *David* orat Psal. 119. v. 29. *viam mendacij amove à me.* Psal. 116. v. 11. *omnis homo mendax*: ubi errandi proclivitas intelligitur. Ita Paulus *Rom.* 3. v. 4. comparat Deum & homines, Deum vocando *veracem*, id est, ipsam veritatem & bonitatem, qvæ errare non possit, omnes autem homines *mendaces*, qvi erroribus sunt obnoxij, & ad infirmitates proni.

87] 2. *Patres non habuisse Promissionem de infallibili assistentia Spiritus Sancti, retorqvet in Lutheranos qvòd nec illi talem promissionem habeant; imò Patres eam habuisse probat ex Matth.* 28 v. 20. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Joh.* 14. v. 16. Ego *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Respondeo. Iterum committitur ignoratio Elenchi; conclusio mea est; *Ergo Patres non sunt regula fidei,* opponit Janssenius huic aliam propositioné: *Lutheranos non habere promissionem de infallibilitate:* atqvi Lutherani sua scripta non obtrudunt Ecclesiæ pro infallibili fidei Principio & norma religionis independente, id qvod Pontificij faciunt de scriptis Patrum itaq; hæc instantia impertinenter objicitur & conclusionem non infringit.

88] Quòd autem *Patres promissionem de assistentia Spiritus Sancti*, habuerint, respondeo: (1) non tantùm ad Patres, sed ad omnes fideles pertinere illam promissionem Matt. 28 v. 20. Joh. 14. v. 16. sicut autem non seqvitur, omnes Fideles habent promissionem Spiritus Sancti, Ergo in suis scriptis & colloqvijs sunt fidei principia; ita qvoq; de

de Patribus similis conseqventia non poterit necti. (2) Promissiones de assistentiâ Spiritus Sancti sunt conditionatæ, si nimirum homines verbo Dei obediverint, *si manseritis in sermone meo, Discipuli mei eritis, & veritatem cognoscetis* Joh. 8. v. 31, 32. Joh 17. v. 17. *Conserva eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Qvando igitur Patres recesserunt â verbo Dei, facilè potuerunt in errorem delabi. (3) In hac vitâ tantùm *primitias* Spiritus Sancti accipimus Rom 8. v. 23: intellectus noster in tantâ perfectione non illuminatur, ut omnis vetustas carnis aboleatur, ideo assistentia Spiritus Sancti infallibilitatem & ab omni errore immunitatem non infert, sed reqvirit, ut homines semper & in omnibus ductum Spiritus Sancti seqvantur, qvod in hac imperfectione & naturæ corruptibilitate est impossibile.

89] *Pererius Disput.* 20. *in cap.* 14. *Johan.* dictum illud *Joh.* 14. v. 16. ad solos refert Apostolos, ita enim ait: *præstat illa verba, ut maneat vobiscum in æternum, non in commune de universo fidelium cœtu & Ecclesiâ interpretari, sed propriè de ipsis Apostolis, qvibuscum tunc sermocinabatur Dominus, id enim & Christi proposito & sententiæ verborum ejus, & iis qvæ antecesserunt, & qvæ deinceps proximè seqvuntur, magis consentaneum videtur.* Contradicit ergò *Janssenius Pererio*, & hoc dictũ de Patribus interpretatur, cum tamen Pererius de solis Apostolis intelligat. Distingvendũ verò est inter assistentiã Spiritus Sancti *immediatam & mediatam*: Apostoli habebant immediatã inspirationem oraculorum divi-

divinorum. Spiritus Sanctus in die pentecostes incredibili sapientiâ illos replebat, & in omnem veritatem illos ducebat, sed talis immediata & miraculosa adsistentia post tempora Apostolorum non est promissa, verum Christiani sunt ad verbum scriptum alligati, *hoc fœdus meum cum ijs dicit Dominus: Spiritus meus qvi est in te, & verba mea, qvæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus â modò & usq; in sempiternum Esa.* 59. v. 21. Cum ergò sancti Patres non habuerint immediatam & miraculosam Spiritus Sancti adsistentiam, sed mediante verbo â Spiritu Sancto ducti fuerint, patet hinc satis liqvidò, eos â proclivitate errandi & erroribus ipsis non fuisse immunes.

90] Ad 3. *Qvod Patres actu ipso sæpius erraverint*, respondet Monachus p. 64. 65. *eos ideò errâsse, qvod â communi Ecclesiæ sententiâ discesserint, qvi verò manserint in sensu Ecclesiæ, eos nunqvam errasse.* Respondetur. Notandum est *Janssenium* fateri *Patres qvosdam errâsse*, qvod dum concedit, non amplius potest asserere Patres ab errore omni esse immunes. Causam errorum adducit, *qvod â communi Ecclesiæ consensu discesserint.* Sed malè, nam (1) Christus causam errorum in religione non eam nominat, cum qvis â consensu Ecclesiæ, sed cum â Scripturâ recedit; *erratis nescientes scripturas* Matt. 22. v. 29 (2) Ecclesia ipsa ad Scripturam est alligata Esa 8. v 20. *nisi secundum legem & testimonium dixerint, non erit illis matutina lux: attende lectioni* 1 *Tim.* 4. v. 13. *scrutamini Scripturas Joh.* 5. v. 39. *qvotqvot secundum regulam hanc incedunt,*

super

super illos pax & misericordia Gal. 6. v. 16. ergo consensus Ecclesiæ per se non valet, nisi in scripturis fundetur; & si qvis â consensu Ecclesiæ recedens erret, non ideo errat, qvod â consensu Ecclesiæ recedit, sed qvia â tali consensu recedit, qvi in Scripturis fundatus est. (3) Ipsi Patres fatentur se veritatem doctrinæ suæ non habere â consensu Ecclesiæ, sed â consensu Scripturarum, â qvibus si recesserint, nolunt scriptis suis fidem haberi. Videatur *Augustin. de bono perseverant*: cap. 21. Item *Epist.* 3. & *lib. 2. contra Manich. Justinus Martyr. qv.* 119. & alij, non negante *Bellarmino lib.* 3 *de verbo Dei* cap. 10.

91] 4. *Ad inconstantiam Patrum, qvi suas opiniones sæpius mutârunt*, respondet: *in Articulis fidei hoc nunqvam factum esse, Lutherum potius suam sententiam sæpius mutâsse.* Respondetur (1) impertinenter id Luthero objicitur, cum ejus scripta pro ipso fidei principio non habeamus, sicut Pontificij de Scriptis Patrum asserunt; mutatio autem sententiæ nihil ignominiæ Luthero infert; mutavit Paulus qvoq; suam sententiam, cum ad veram fidem se converteret, item Augustinus & alij, qvod laudi potius qvam ignominiæ cedit omnibus illis qvi errant. (2) Si Patres maximè in adiaphoris & alijs circa fidem qvæstionibus tantum suam sententiam mutassent, eo ipso tamen pateret, eos fuisse erroribus obnoxios, qvi enim semel errat, sæpius errare potest, tali absolutè non est credendum. (3) Patres in articulis fidei non errâsse, est falsissimum; notum enim est, qvid docuerint *de Christi agnitione per philosophiam, de regno Christi*

terreno, de *Solis adoratione*, de *generatione* λόγ *non ab æterno*, *de carnis Christi* ἀπαθεία, *de annihilatione animarum impiorum*, *de salute gentilium*, de *viribus hominis ad legem implendam ex natura sufficientibus*, de *Spiritu Sancto*, *qvod non sit persona*. Hos & similes errores non tantum noster *Chemnitius passim in Examine Concil. Trident. inprimis in præfatione super Locos Comm.* annotavit, sed ipsi etiam Pontificij eosdem agnoscunt in *Justino*, *Irenæo*, *Clemente Alexandrino*, *Origene*, *Arnobio*, *Lactantio*, *Hilario* & alijs. Videatur *Sixtus Senensis* lib. 5. & 6. *Biblioth. Sanctæ*, ubi errores & incongruas locutiones Patrum recenset atq; taxat.

92] 5. *Qvod Patres sibi contradicant sæpius*, *inprimis de explicatione* dicti 1. *Cor.* 3. v. 13. respondet *non esse dissensum de articulo fidei*. Nos respondemus (1) *Purgatorium esse* apud Pontificios communis est articulus fidei. Purgatorium *in sacris & qvidem in loco citato* fundari, omnino ad fidem apud Pontificios pertinet, ergò de articulo fidei disceptarunt. *Augustinus* intellexit dictum illud de adflicto vitæ statu. *Hieronymus* de examinatione judicij, *Gregorius de* igne purgatorio. Per *traditiones* 2. *Thess.* 2. v. 15. multi Patres intelligunt traditiones ἀγράφες; *Ambrosius* ipsum scriptum Evangelium. Per opera legis, sine qvibus nos justificari Paulus asserit, *Origenes & Hieronymus* Ceremonialia; *Augustinus & Ambrosius* totam legem intelligunt. De dicto *Gal.* 2. v. 11. ubi Paulus Petro *restitisse* dicitur, dissentiunt *Augustinus & Hieronymus*. Ille Paulum existimat ingenu

& e

& ex animo locutum, hic ſimulatè: ubi ſi hunc probas, illum improbes neceſſum eſt. Res verò illa ſumma contentione multisq; Epiſtolis ultro citroq; miſſis, fuit diſputata. *Hieronymus* ſeptem antiqviores Patres pro ſua opinione citavit; *Auguſtinus* alios oppoſuit. Poſt *Auguſtinum* motæ ſunt turbæ de libero arbitrio â Doctoribus Galliarum & *Caſsiano*, qvibus *Proſper* Auguſtini diſcipulus, & poſtea *Cæleſtinus* Papa reſtitit. Magnus ergo Patrum fuit diſſenſus in rebus non leviuſculis, ſed magni momenti; in hiſce verò contradictionibus dubium eſt, utri parti adſtipuleris, donec tandem ad Scripturam ipſam recurras & veritatē ex eâ elicias. Imò in articulis fidei Patres diſſentire patet ex collatione illorū, qvi adorationē Solis, Chriſti agnitionem per Philoſophiam, generationem λόγȣ non ab æterno Spiritum. Sanctum non eſſe perſonam docuerunt (de qvibus n. præced.) cum Orthodoxis qvi hoſce Patres refutarunt & veritatem fidei Chriſtianæ propugnàrunt. Qvi Pauliſper evolvit Bellarminum, Maldonatum, Barradium, mirari cogitur diſſenſum Patrum circa graviſſimas fidei qvæſtiones, in ſingulis ferè capitibus allegatum.

93] 6. *Qvòd multa Patrum Scripta interierint,* reſpondet *Janſſenius, inde non ſeqvi, Patres non poſſe eſſe regulam fidei, cum multi libri Scripturæ perierint, ut tria millia parabolarū Salomonis, qvinq; millia carminū, & Epiſtola Pauli ad Laödicenſes, nec tamen ſeqvi, Scripturam non eſſe regulā fidei* Reſpondetur: multa Patrum Scripta interijſſe pontificij nō poſ-

ſunt negare, ex tribus enim ſeculis prioribus pauciſſima ad nos pervenerunt, qvis autem nobis fidem faciet, illos Patres qvi perierunt, eadem docuiſſe cum his, qvi adhuc ſuperſunt? fortè & illi multa retractarunt, multa correxerunt, in multis ſibi contradixerunt, qvâ de re cum certi eſſe non poſſumus, conſenſum omnium Patrum pro normâ fidei infallibili acceptare neqvimus. Ait Janſſenius *interijſſe qvosdam libros Scripturæ, nec tamen ſeqvi, Scripturam non eſſe regulam fidei.* Reſpondetur: etiamſi longè plures libri interijſſent, de conſtantiſſimâ tamen veritate Bibliorum dubitari non poſſet; Spiritus Sanctus enim ſibi non contradicit, non corrigit aut retractat ſua vaticinia, ſicut Patres fecerunt, in ijs ergo qvi perierunt, contrarium non fuit propoſitum illi dogmati, qvod proponitur in libris biblicis, qvos in manibus habemus, qvâ de re certi ſumus; de ſcriptis autem Patrum, qvæ interierunt, id certò aſſeverare non poſſumus.

94] Parabolas & Carmina Salomonis qvod attinet, qvorum mentio fit 1 *Reg.* 4. v. 33. monſtrat Contextus libros illos fuiſſe Phyſicos, ita enim legitur: *locutus eſt ter mille ſententias, & Cantica ejus fuerunt millia & qvinq;, & locutus eſt de arboribus â Cedro Libani usq; ad hyſſopum naſcentem ex pariete. Locutus eſt etiam de jumentis, de volucribus, de reptilibus, de piſcibus.* In his libris, aut mera fuerunt naturalia, aut ſi myſteria fidei fuerunt intermixta, nihil tamen alienum potuit Salomon dicere ab ijs, qvæ in cæteris Scripturæ libris proponuntur, qvod de Patribus nemo audet aſſeverare.

rare. Epiſtolam *Pauli ad Laodicenſes* ſcriptam interijſſe nullibi legitur: Paulus Coloſſ. 4. v. 16. ait: *facite ut eam Epiſtolam, qvæ Scripta eſt ex Laodicea, vos qvoq; legatis.* Hic non fit mentio Epiſtolæ alicujus *ad Laodicenſes* ſcriptæ, ſed Epiſtolæ *ex Laodiceâ* ſcriptæ. *Chryſoſtomus* & *Theodoretus* ſtatuúnt, illam Epiſtolam fuiſſe â *Laodicenſibus ad Paulum* ſcriptam, qvam â Coloſſenſibus qvoq; legi voluit. Qvod ſi verò maximè ejusmodi Epiſtola â Paulo ſcripta eſſet, & intercidiſſet, Canon biblicus tamen non eſſet imperfectus; illius enim integritas non conſiſtit in numero librorum, ſed in paterna Dei voluntate, qvæ humano generi tantum communicat, qvantum ad ſalutem neceſſe eſt. Notandum verò eſt, qvod *Janſſenio* contradicat *Sixtus Senenſis* lib. 2. *Biblioth. Sanctæ* fol. 87. 88. qvi hanc Epiſtolam adhuc ſupereſſe ait, eandemq; ibidem recitat. Qvomodo ergo iſti fratres Cadmæi inter ſe conveniunt?

95] Ad 7. *multa ſuppoſititia ſcripta Patrum nomine prodiiſſe*, reſpondet *Janſſenius, Calvinianos & Lutheranos hujus criminis reos eſſe, qvod ex Florimundo demonſtrare ſatagit.* Reſpondetur: Notandum eſt, Janſſenium non poſſe negare, *multa ſuppoſititia pro veris Patrũ ſcriptis obtruſſa eſſe*, qvod ſufficit. *Robertus Cocus* in Cenſurâ Scriptorum veterum Londini impreſſâ An. 1623. ſolidè demonſtrat multa ſcripta nomine patrum ſubſtituta eſſe, talia ſunt, Ariſteæ Hiſtoria, Lentuli Epiſtola, Chriſti Epiſtola ad Abagarum, Canones Apoſtolorum, Liturgia Marci & Jacobi, Epiſtola Pauli ad Senecam, Epiſtola Mariæ Virginis ad Ignatium &

Florentinos, Opera Hermæ, Conſtitutiones, Recognitiones ac Epiſtolæ Clementis, Analectæ Epiſtolæ, Liber Abdiæ, Opera Dionyſij. Liber paſſionis Andreæ, aliqvot Epiſtolæ Ignatij, Libri Hegeſyppi, qvædam Opera Hippolyti, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Euſebij Alexandrini, Arnobij in Pſalmos, Victorini in Apocalypſin, Poëmata Lactantij, qvædam Opera Athanaſij Euſebij Emiſſeni homiliæ, Cyrilli Hieroſolymitani Epiſtola ad Auguſtinum, qvædam Opera Baſilij & Ambroſij, Hieronymi ac Ruffini, Gregorij Nyſſeni ac Chryſoſtomi, qvædam Opera Auguſtini ac Theodoreti, qvædam Proſperi Virgilij & Fulgentij, qvædam Gregorij Magni & Iſidori Hiſpalenſis, qvædam Bedæ, Damaſceni, Anshelmi & Bernhardi. Hæc & plura alia ſcripta ſuppoſititia eſſe, argumentis & teſtimonijs evidentiſſimis Robertus Cocus demonſtrat. Calvinianos autem & Lutheranos hujus criminis reos eſſe, qvomodo probat ex Florimundo Janſſenius? ait, *qvod qvidam Opera Patrum vertere & interpretari conati ſint.* Reſp: *Vertere*, & *interpretari* non eſt *ſupponere* aut *ſubſtituere* ſcriptum, ipſi pontificij multa *vertunt* & *interpretantur*, non tamen volunt videri, qvaſi ea *ſubſtituant*, falſa pro veris venditantes. Si Janſſenius falſam verſionem & interpretationem intelligit, loca corrupta producat neceſſe eſt.

96] 8. *Impoſſibile eſſe dixi, ut omnium Patrum ſcripta omnia perlegantur*; reſpondet: *nihil eſſe facilius eo labore.* At teſtor ego tuam Conſcientiam Janſſeni, & omnium Pontificiorum, qvod nec unus qvidem ſit in veſtrâ Eccleſiâ Romanâ, qvi omnium

mnium Patrum scripta omnia perlegerit â capite ad calcem usq; : angustum vitæ humanæ spatium non sufficeret homini uni ad labores hosce perficiendos Assumantur Patres, *Ignatius, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, Eusebius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nissenus, Gregorius Nazianzenus, Arnobius, Lactantius, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Cassianus, Fulgentius, Cassiodorus, Gregorius Magnus, Isidorus, Damascenus, Theophylactus, Anshelmus, Bernhardus*, qvorum qvidam grandia Opera & multa scripserunt Volumina: Non sufficit unum alterumve legisse, & qvasdam sententiolas ex Patribus citare posse, sed reqviritur accurata omnium & singulorũ lectio. Si accederent Tomi & Volumina Conciliorum, qvæ Pontificij etiam pro regula fidei venditant, impossibile esset uni homini, etiam longævo, omnia perlegere, vel non nisi in summâ senectute finire, ita de fide ipsâ dubitandum esset usq; ad extremam mortis horam.

97] 9. *Ex Bellarmino adduxeram testimonium* lib. 2. *de Concil. cap.* 12. fatente: *Patres non esse regulam, nec habere autoritatem obligandi.* Respondet Monachus: *Bellarminus hoc tantum incidenter negat.* Dico ego, sive incidenter neget, sive datâ operâ neget, certum tamen est, ipsum hoc negare. Bellarminus expreſsè ait: *Gratianum dixisse, decreta Pontificum esse Scripturas Canonicas, ut distingvantur à scriptis sacris Patrum, qvæ non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* Ita ar-

gumentor: qvicqvid non est regula, nec habet autoritatem obligandi, illud pro norma fidei non potest haberi; sed scripta Patrum, ex mente Bellarmini, non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi, ergò pro normâ fidei non possunt haberi; imò contradictorium esset, credere Scripta Patrum non esse regulam obligatoriam, & tamen dicere velle, ea esse regulam fidei. Ejusmodi textus plures in Bellarmino inveniuntur. *Constat qvosdam Patres ex præcipuis eorum non leviter in qvibusdam esse lapsos*, ait, *lib*. 3. *de verbo Dei cap*. 10. *Scriptura est regula ad qvam examinari debent Scripta veterum Patrum ut ea recipiamus, qvæ Scripturæ consona sunt, illa reÿciamus, qvæ Scripturæ adversantur*, scribit lib. 4. de Verbo Dei cap. 12.

98] Notandum verò est, *Pontificios fraudulenter nobiscum agere, qvando tam fervidè disputant de scriptis Patrum, qvasi sint regula fidei*, ipsi enim titubante conscientiâ de Patribus ita scribunt & sentiunt, ut ex proprijs hypothesibus satis refutari possint. *(1)* Eatenus tantùm recipiunt Scripta Patrum, qvatenus cum Ecclesiâ Romanâ consentiunt, Janssenius fatetur p. 65. illos Patres errare qvi ab Ecclesiæ Romanæ sententiâ discedunt, qvi verò eam retinent, illos de falsitate & errore suspectos non esse. Ergo qvando Patres aliqvid docent, qvod Ecclesia Romana, id est Pontifex non statuit, non sunt audiendi. *(2)* Fatentur Scripta Patrum sacris Biblijs non posse æqviparari, *Hosius de autorit. script.* p. 584. *(3)* Opponunt Patres Patribus, fatente *Hosio* de autor. Script. p. 577. Exempla multa occurrunt apud *Canum* lib. 7. L. C. p.

C. p. 347. apud *Bellarminum* lib. 1. de verbo Dei cap. 3. Apud *Maldonatum Tom.* 1. *in Matth.* cap. 19. v. 11. & alios plures. (4) Fatentur Patres in qvibusdam graviter errasse, qvod facit *Salmeron Disput:* 4. *super* 2. *Tim.* 3. & *Bellarm.* lib. 3. *de Verbo Dei cap.* 10. (5) Fatentur esse difficile ex multis Patribus certitudinem cognoscere, qvo in casu Pontificem debere aliqvid decernere & concludere in rebus fidei, scribit *Gregor. de Valent:* lib. 8. *Analys: cap.* 8. p. 119. (6) Imò propriam opinionem Patribus sæpe opponunt ac præponunt, qvod facit *Canus lib.* 7. *Locor. Com. cap* 1. p. 348. *Maldonatus in Matth.* cap. 11. v. 11 13. cap. 16. v. 18. 19. cap. 19. v. 11. & alibi. Qvod ipsum dum Pontificij faciunt, eo ipso demonstrant, se ex animo Patrum scripta non venerari, sed tantùm ad suos errores palliandos torqvere, ac orbi Christiano fucum obtrudere.

99] Imprimis notetur singualris Papistarum *Calliditas*, qvâ utuntur in doctrinâ de Ecclesiâ & Patribus; qvando enim qværimus, *qvis sit verus Scripturæ sensus?* respondent: *qvem Ecclesia Romana habet;* si ulterius qværimus, *unde novit Ecclesia Romana se habere verum Scripturæ sensum?* respondent: *ex Patribus*; si qværitur ulterius, *unde certum est Patres habere verum Scripturæ sensum?* respondent: *qvia sentiunt cum Ecclesiâ.* Ita Ecclesiæ consensus est norma Patrum, & Patrum consensus est norma Ecclesiæ; qvæ probatio est circularis, adeoq; inepta & reijcienda.

100] Nos verò Patres ex animo veneramur, & lectionem scriptorum illorum salutarem & u-

tilem esse, candidè profitemur, certis tamen cum conditionibus. (1) Ut secundum Scripturam omnia probentur, & qvæ Scripturis sunt consona, retineantur. (2) Ut distingvantur genuina â suppostitijs Patrum Scriptis. (3) Ut si alicubi errarint ex humanâ infirmitate, eos propterea non contemnamus, sed propter zelum, pietatem, eruditionem, & multa dona excellentia, magnifaciamus ac honoremus. Stant itaq; firma & inconcussa omnia, qvæ de Patribus & illorum scriptis in Necessaria Admonitione fuerunt adducta.

Caput Qvartum.

De Conciliorum Authoritate.

101] CONciliorum magnam esse authoritatem atq; usum in Ecclesiâ non diffitemur; prosunt enim ad sinceram doctrinam confirmandam & propagandam, faciunt ad reprimendas hæreses & falsa dogmata, sunt utiles isti congressus Synodales ad disciplinam Ecclesiasticam emendandam, sunt etiã nervi amicitiæ & conjunctionis Spiritualis in Ecclesiâ. Dupliciter autem considerari possunt decisiones Conciliorum. Primò *absolute*, in qvantum sunt decisiones Synodales, deinde *limitate*, in qvãtum sunt ex Scripturâ deductæ & in ijs fundatæ. Modo posteriori sunt certissimæ & infallibiles, nõ eqvidem propter se, sed propter verbum Dei, in qvo fundãtur. Priori modo simpliciter infallibiles esse contendunt Pontificij, *præsertim si â pontifice Roma-*

Romano confirmentur, utpote qvi gaudeat absoluto nõ errandi privilegio Huic opinioni opposui nové rationes (1) qvod homines in Concilijs sedeant, qvi possint errare. (2) Qvod non habeant promissionem de immediata Spiritus Sancti adsistentiâ. (3) Qvod fatente Bellarmino Episcopi possint errare cum sint soli, ergò etiã cũ sint congregati. (4) qvod contraria dogmata sæpius deciderint (5) Si pro se non errant, qvid ergò opus est Pontificis cõfirmatione? (6) certant adhuc Pontificij, an Papa sit supra Concilium, vel Concilium supra Papã (7) Errarunt sæpius, teste Scripturâ (8) Post Apostolorum tempora plurima errarunt, ut demõstravit Gesnerus (9) Bellarminus qvoq; id tãdem agnoscit. Respõdet Janssenius aliqvot testimonia Scripturæ ex Bellarmino adducẽdo p. 72. qvæ ordine videbimus.

102] 1. *Matt.* 18. v. 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Respondemus (1) Promissio hæc est generalis data omnibus fidelibus. Sicut autem nõ seqvitur ex hac promissione, omnes fideles habere absolutum non errandi privilegiũ, ita etiam non seqvitur, Episcopos in Concilio illo privilegio gaudere (2) Dictum ipsum loqvitur de præsentiâ Christi θεανθρώπου. Aliud autem est præsentia Christi, aliud privilegium nõ errandi, qvod Christus in hoc loco nõ promittit; qvod ex præsentiâ Christi etiam non seqvitur. Christus in terris Discipulis suis visibiliter erat præsens, nec tamen illi ab erroribus erãt immunes, ut testatur opinio de regno Christi terreno, multo minus ex invisibili ipsius præsentia talis non errandi prærogativa seqvetur. (3) Non eqvidem negamus

bamus, pios in nomine Christi congregatos veritatem posse inqvirere, sed cum hac conditione, si verbo Dei adhæreant, *si in sermone meo manseritis, Discipuli mei eritis* Joh. 8. v. 31. Immunitas verò ista errorum non â personis congregatis dependet, sed â verbo Dei, cui personæ sunt alligatæ. (4) Pontificios in nomine Christi congregari in Concilijs negamus, depravant enim veram fidem in Christum, opponunt merita operum suorum merito Christi, docent dubitandum esse de remissione peccatorum, præter Christum, Mariam & Sanctos invocant, contra verbum Dei scriptum decidunt, & hominum traditionibus Christum honorant, imò omnipræsentiam Christi negant. Tali congregationi Christus non vult adesse, Spiritum potius vertiginis illis immittit, ut Oracula Prophetarum & dicta Apostolorum illis sint instar *libri clausi*, Esa. 29. v. 11.

103] *2. Johan.* 16. v. 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Respondeo: Multiplex fallacia hic committitur: *(1)* Loqvitur Christus propriè hæc ad Apostolos, qvibus adventum Spiritus Sancti miraculosum promittit: *multa habeo vobis dicere, qvæ non potestis portare modò, cum autem venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Pontificij autem Episcopi talem miraculosum adventum Spiritus Sancti non habent promissum in Concilijs. (2) Pertinet postea promissio illa eqvidem ad omnes fideles, qvi non nisi Spiritu Sancto in veritatem ducuntur; sicut autem non seqvitur, neminem fidelium posse errare propter hanc promissionem, ita de Conciliorum

rum congregatione hce etiam non poteſt ſeqvi. (3) In Græco non habetur vox *docebit* διδάξει. ut putat Monachus, ſed ὁδηγήσει *ducet*, non enim promittit Chriſtus, qvaſi Spiritus Sanctus ſit *novam* doctrinam traditurus in verbo patefacto antea non revelatam, ut fit in Papatu per Concilia & Traditiones, ſed qvod Spiritus Sanctus ſit ducturus Apoſtolos in veritatem, *illam* ſcilicet, qvam antea Chriſtus docuerat, hinc addit: *non loqvetur de ſemetipſo, ſed qvæcunq; audiet, loqvetur, item de meo accipiet, & renunciabit vobis:* malè itaq; Concilia Pontificiorum hoc dictum pro ſe citant.

104] 3. *Act.* 15. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* inqviunt Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano. Reſpondeo (1) Spiritus Sanctus immediatè & miraculosè Apoſtolis adſiſtebat, qvod Epiſcopi Pontificij de ſe non poſſunt adfirmare, propter defectum promiſſionis. (2) Apoſtoli non cudebant dogma aliqvod novum in illo Concilio, ſicut Pontificij faciunt in ſuis Concilijs, ſed defendebant antiqvam illam Prophetarum doctrinam: *hominem juſtificari per fidem in Chriſtum ſine operibus legis, ſicut olim Patres ſalvati* ſunt v. 11. Contradicunt pontificij huic dogmati & decidunt; hominem ſalvari operibus ſuis, qvibus vitam æternam promereri poſſit. Ergo hoc exemplum ad illos plane non pertinet.

105] 4. *Matth.* 28. v. 20. *Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus usq; ad conſummationem ſeculi.* Reſpondeo (1) Dictum illud qvoq; loqvitur de præſentia Chriſti θεανθρώπου, Chriſtus enim ad

Patrem

Patrem abiturus ſolatur diſcipulos, qvod eqvidem præſentiam viſibilem illis ſit ſubtracturus, interim ſecundum modum gloriæ & Majeſtatis ſuæ ineffabilis ſeſe præſentem illis adfuturũ promittit usq; ad cõſummationem ſeculi: præſentia autem Chriſti non infert abſolutum non errandi privilegium, exemplo Apoſtolorum, qvi errabant, cum Chriſtum haberent viſibiliter præſentem. (2) Concilia Pontificia non habent Chriſtum præſentem, nam ipſi non concedunt, ut ſit ſolus & ſupremus Conciliorum Præſes: dicant enim nobis an Chriſtus illis adſit vel mediatè vel immediatè; ſi *mediatè* per Verbum, eo ipſo nos victoriam obtinuimus, hoc enim volumus, Spiritum Sanctum non alio medio niſi verbo Dei & Sacramentis efficacem eſſe in cordibus noſtris, Chriſtumq; *per fidem habitare in cordibus noſtris Epheſ.* 3. v. 17. Sin autem immediatè illis adeſt ſine verbo, & ſententias ipſis miraculosè inſtillet, monſtrẽt nobis promiſſionem ipſis factam de tali miraculosâ adſiſtẽtiâ, qvod ſi nõ fecerint, erunt Enthuſiaſtæ; verbũ enim manet mediũ ordinarium *Joh.* 8. v. 47. *Joh.* 10. v. 27.

106] 5. 1. *Tim.* 3. v. 15. *Eccleſia Dei viventis eſt columna & firmamentum veritatis.* Reſpondeo: (1) Diſtingvendum eſt inter *fundamentum* & *firmamentum.* Eccleſia non eſt fundamentum & Principium veritatis, hoc enim ſoli Chriſto attribuitur *Eph.* 2. v. 20. ille eſt *lapis angularis* 1. Cor. 3. v. 11. *illius vocem audire jubemur* Joh. 10. v. 27. ſed tantùm eſt firmamentum ſeu columna, ut Apoſtolus ait, columna autem ſicut eſt fundamento ſuperſtructa, ita Eccleſia verbo & effatis Chriſti. (2) Eccleſia dicitur

dicitur firmamentum veritatis, qvia confirmat illam custodiendo, explicando, vindicando, propagando, non autem novos fidei articulos tradendo, qvod fit in Concilijs Pontificijs, verbo scripto contrariantes, eatenus enim esset non firmamentum, sed fundamentum. (3) Distingvendum semper est inter Ecclesiam *veram*, & inter Ecclesiam *Romanam*: de Ecclesiâ Romana adhuc manet κρινόμενον, an sit vera Ecclesia Dei viventis, qvod nos negamus, & demonstramus eam nō esse Christianam, qvod fecit *Nicolaus Hunnius* in Tractatu: *Ecclesia Romana non est Christiana.* (4) Aliud est *Ecclesia*, aliud sunt *Episcopi* in Concilijs congregati. Prælati non sunt tota Ecclesia, sed unicum tantum ordinem repræsentant, Ecclesia autem plura hominum genera complectitur, qvod ergò de tota Ecclesia dicitur, id Episcopi ad sese solos applicare non possunt, cum præter illos plures sint status atq; membra Ecclesiæ.

107] 6. *Luc.* 22. v. 32. *Rogavi pro te, ne fides tua deficeret.* Respondeo: hoc dictum impertinenter allegatur. Nam (1) Loqvitur hæc Christus ad Petrum non ad Pontificem Romanum, & qvia Pontifex Petro non succedit in Apostolico munere, nec doctrinam illius seqvitur, pro se hoc dictum allegare non potest. (2) Non de tantâ fidei firmitudine loqvitur Christus, in qva Petrus simpliciter non possit errare & Spiritum Sanctum vel ad momentum offendere, erravit enim paulò post *Matth.* 16. v. 22. 23. & cum Christum abnegaret *Matth.* 26. v. 70. 74. verùm loqvitur de *finali defectione*, â qvâ Petrum custodiri Christus

ſtus Patrem ſuum rogaverat; cum ergo Petrus ab omni errore non fuerit immunis, multò minus Pontifex Romanus erit. (3) Nos qværimus de Concilijs, an deciſiones illorum ſint per ſe infallibiles? an Epiſcopi in illis congregati errare non poſſint? ſive Pontifex confirmet, ſive non; ita argumentor: Concilia aut per ſe veritatem ſemper tuentur, aut per Pontificis confirmationem; ſi poſterius, ergo non opus erit Concilijs, ſolus enim Pontifex veritatem ſine Concilijs poſſet ſtabilire; ſi prius; non opus habebunt Concilia confirmatione Pontificis, ſine qvâ etiam veritatem tueri poſſent.

108] 7. *Luc.* 10. v. 16. *qvi vos audit, me audit.* Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpoſitis veſtris.* Reſpondeo (1) Si hæc dicta faciant Epiſcopos immunes ab omni errore, ſeqvitur nec Judam potuiſſe errare, nec cæteros Apoſtolos, de qvibus tamen teſtatur Scriptura, qvod ille Chriſtum tradiderit, hi altercando, regnum Chriſti terrenum ſibi imaginando, paſſionem & reſurrectionem non credendo, graviter errarint. (2) Hæc dicta in genere pertinent ad omnes verbi Præcones, interim non ſeqvitur, qvia per illos Chriſtus auditur, ergò non poſſunt errare, contrarium enim manifeſta experientia in multis teſtatur; ſimili modo de Epiſcopis in Concilio congregatis non poteſt ſeqvi. (3) Qvomodo Epiſcopi Romani hoc ſibi ſolum applicant, qvam illi prærogativam præ alijs Doctoribus habent, ediſſerant? Chriſtus non ſolùm per Romanos Epiſcopos, ſed per omnes fideles verbi Miniſtros loqvitur, 2. *Cor.* 5. v. 20. *Deus per nos*

nos adhortatur. (4)Qvam diu præcones verbi verbum ſeqvuntur, tamdiu non poſſunt errare, atqvi hoc etiam poteſt fieri extra Concilium, ergo hæc immunitas errandi ad Concilia non eſt alligata. Videt igitur *Janſſenius* dicta ex *Bellarmino* adducta Conciliorum immunitatem ab erroribus prorſus non ſtabilire. Tranſit nunc Adverſarius ad meas rationes.

109] Ad primam & ſecundam rationem qvod Epiſcopi ſint homines qvi poſſint errare, nec habeant promiſſionem aſſiſtentiæ Spiritus Sancti immediatæ, reſpondet: *ad eas ſuperiori Capite eſſe reſponſum.* Igitur ego provoco ad Caput proximè antecedens in hoc libro, in qvo reſponſum Monachi eſt refutatum. Dictum *Joh.* 10 v. 14. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas*, non pertinet ad ſolos Epiſcopos Romanos, ſed ad omnes fideles, qvi ſunt oves Chriſti, dum vocem ejus audiunt.

110] Ad tertiam rationem, qvòd Epiſcopi, ſi poſſunt errare ſoli, etiam in Concilio hoc poſſint conjuncti, reſpondet, *qvòd in Concilio à Pontifice indicto & confirmato habeant infallibilem Spiritus Sancti adſiſtentiam.* Atqvi hoc ipſum in qvæſtione eſt, nugatur αὐτόλογος iſte, tale enim foret argumentum: qvi habet infallibilem Spiritus Sancti adſiſtentiam, is habet infallibilem Spiritus Sancti adſiſtentiam; ſed Epiſcopi in Concilio à Pontifice indicto & confirmato congregati eam habent; ergo habent eam. Ipſum κρινόμενον non poteſt eſſe medius terminus in confirmatione.

111] Ad qvartam rationem, Concilia ſæpe

contraria decreta fecisse, respondet Monachus duo (1) *qvod Gangrense Concilium decreverit, esse abhorrendum à presbyterio non illi, qvi uxorem habuisset*, sed *qvi adhuc haberet.* (2) Si *in Arelatensi Concilio ante 1200. annos celebrato, conjugium Clericis sit interdictum, seqvi Philippum Melanchtonem mentiri, qvi dicat art. 23. ante annos 400. cœlibatum Clericis esse impositum.* Respondeo ad prius: evolvatur *Socrates lib. 2. cap. 3.* qvi expresse testatur, qvod Eustathius in isto Concilio sit condemnatus, qvod præcepit benedictionem & communionem presbyteri *habentis Uxorem, qvam lege, cum esset Laicus, duxisset, tanqvam scelus declinandum.* Vides qvod loqvatur de *Clerico Uxorem habente*, qvam antea duxerat, de tali Clerico, qvi *non tantùm Uxorem habuerat*, sed etiam *habebat*. Ad posterius autem dico: qvod in *Augustanâ Confessione Art: 23.* non dicatur *primò* ante qvadringentos annos legem de cœlibatu esse factam, sed qvod ante qvadringentos annos Clerici *primò violenter à Conjugio ad vota cœlibatus fuerint coacti*, qvi masculè restiterunt violentiæ Pontificis Hildebrandi, ita ut Episcopus Moguntinus, mandatum Pontificis urgens, ferè interfectus fuisset: aliud igitur est violenter cogere ut abstineant Clerici à Conjugio, aliud est decernere & mandare, qvod in Synodo Arelatensi secundâ factum est. Interim tamen manet, Concilia sibi sæpius contradixisse in contrarijs decretis, qvod Monachus negare non potest. Concilium *Nicenum* probat imagines, *Eliberinum* & *Constantinopolitanum VII.* easdem damnat. *Laodicense* libros, Tobiam Ju-

dith

dith & Maccabæos expungit ê libris Canonicis, *Carthaginense III* autem eos in numerum Canonicorum recipit. Concilium *Gangrense* concedit, ut Presbyter in Conjugio vivat, uti jam demonstratum, *Arelatense* autem hoc prohibet. Plures ejusmodi Conciliorum contradictiones lege apud *Szegedinum in speculo Pontificum* p. 36. 37.

112] Ad qvintam rationem; si Concilia per se non possunt errare, non opus habent, ut â Papâ confirmentur, respondet: *qvod Pontifex sit Caput Concilij* p. 74. verùm hoc in qvæstione est, an istud Caput Concilij sit infallibile? infallibilitas Capitis æqvè est dubia, atqve ipsius Concilij. Et si Pontifex Caput Concilij est per sè infallibile, qvid opus habet Concilijs congregandis, cum solus sine Concilijs posset definire. Merum igitur principium Monachus hoc responso petit. Notet autem benevolus Lector fucum Pontificum: dicunt Concilium errare non posse â Papâ confirmatum, cum Papa sit Caput Concilij. Deinde scribunt, *qvod Pontifex, sententiam suam fuisse á Deo, certò intelligat, cum â Concilio approbatur, ut* ex *Bellarm.* lib. 2. *de Concil.* cap. 11. *Janssenius* ait p. 75. Hic discursus est Circularis adeoq; nugatorius. Qværo enim, unde habeat Concilium infallibilitatem? respondent: *ex Pontifice*, qværo ulterius, unde Pontifex noverit, sese â Deo habere suam sententiam? Respondet *Janssenius* ex Bellarm. *qvia â Concilio approbatur.* Ita Pontificis infallibilitas â Concilio,

lio, & Concilij infallibilitas â Pontifice dependet, qvæ probatio circularis tota est nugatoria.

113] Ad sextam rationem, qvod disputent, an Concilium sit supra Papam, vel Papa supra Concilium, respondet p. 75. 76. *qvod Concilio generali â Christo data sit potestas judicandi tempore Schismatis, qvis sit verus Papa, & providendi Ecclesiæ de vero Pastore, qvando nullus est, aut dubius, qvod Concilium Constantiense fecit.* Respondeo (1) Ubi hanc Christus tradidit potestatem Concilio, qvo libro, qvo Capite, qvo versu? (2) Papa est *non Ens* in sacris, qvomodo ergo de Papa in Concilijs aliqvid fuit traditum & commissum. (3) Constantiense Concilium non habuit Caput, ergo non potuit qvidqvam veri definire, nam p. 74 *Janssenius* ait: tum demum Concilia non errare, si Caput illorum non erret. Tunc temporis autem erant tria Capita, tres Pontifices, hoc est nullum Caput verum & certum, dubius enim Papa est non Papa fatente Janssenio p. 57. & 202. Ergo istud Cõcilium nihil certi potuit definire (4) Contradicit sibi *Janssenius*, p. 76. ait: *Concilium generale habere potestatem judicandi qvis sit verus Papa:* p. 75. autem ait ex Bellarmino: *Concilium Constantiense non fuisse generale.* Cur igitur istud Concilium definivit, qvis sit verus Papa? Ita miserè sese implicat Monachus iste turpissimis Contradictionibus. Manet igitur Pontificios non esse certos, an Concilium sit supra Papam, ut in *Constantiensi*, vel Papa supra Concilium, ut in *Tridentino* Con-

cilio

cilio factum? qvod ipsum fatetur *Tannerus Tom.* 3. *Theol. Schol. disp* 1. q. 4 d. 8. n 309. 310. dicens in *qvæstione; an Papa sit infra Concilium? affirmativam hæresi esse proximam, qvamvis nondum sit definita*. Si nondum est definita, ergò manet in dubio. Concilium potest Papam deponere, ergo est supra Papam. Papa confirmat Concilia, ergo est supra Concilium. Manet itaq; qvæstio hæc in dubio.

114]. Ad Septimam Rationem. Concilia Baalitarum, Judæorum, sæpius errasse ante Christum, tempore Christi, & post Christum, respondet *(1) illa Concilia non fuisse legitima. (2) fuisse prædictum (3) In facto qvædam errasse (4) Non errasse Synedrium sed populum*. Miseræ sunt hæ responsiones. Nam (1) non fuisse legitima Concilia concedo; interim putabant sese legitimè esse congregata, sicut hodie Pontificij putant, & pugnant sua Concilia esse legitima, cum tamen non sint, ut mox audiemus. (2) Fuisse prædictos Judæorum errores, concedo, atqvi hoc etiam est prædictum, Pontificios & alios omnes erraturos *si discesserint à verbo Dei* 2. *Tim*. 4. v. 3. 4. 2. *Thes*. 2. v. 10. 1. *Tim*. 4. v. 1. 2. *Luc*. 18 v. 8. *Apoc*. 13. v. 14. 16. Imò multi errant sine prædictione, interim non seqvitur, eos non errare, cum non sit prædictum; *ἀνομία* manet *ἀνομία* sive prædicta sit, sive minus. (3) *Errasse qvædam in facto*, ait, sit ita, interim tamen errârunt: *sive in facto, sive in dogmate* qvis erret, errat tamen, nec seqvitur, ille in facto errat, ergo non errat. (4) *Non Synedrium sed populum errasse inqvit*, *Jer*. 26. v. 11. Malitiosè Monachus

disputat; ego hoc exemplum non allegavi, itaq; sibi fingit larvas, qvibuscum pugnat. *Concilium Judæorum Act. 4. v. 5. 6.* ait, *me habere pro legitimo*, in eo manifestam mihi facit iniuriam, dico *illud Concilium errâsse*, qvia verò non seqvebatur doctrinam Christi & ductum verbi divini, ex eo potius inferendum erat, illud Concilium me pro legitimo non habere. Notandum autem est, Monachum nihil respondere ad exemplum *Matt.* 22. v. 15. *Joh.* 11. v. 47. seqq. ubi Concilia manifestò errarunt.

115] Ad Rationem octavam, *Gesnerum* lib. 2. de *Concil.* cap. 8. prolixè demonstrare, qvædam Concilia errasse, Monachus ait, *esse ineptias & stuporem*. Non sunt ineptiæ; evolvatur liber ille, videbis Gesnerum ordine refutasse omnes Bellarmini exceptiones de Conciliorum infallibilitate, & demonstrasse, qvam plurima Concilia erraverint, etiam per Pontificem approbata, ut *Neocæsariense, Nicenum I. Chalcedonense, Arelatense II. Laodicæum, Carthaginense III. & IV. Toletanum I. & Constantinopolitanum III. Nicenum II. Videatur* præter *Gesnerum Wittackerus* de Concil. q. 6. c. 177. seq. ubi ad oculum errores Conciliorum demonstrantur.

116] Ad rationem nonam, Bellarminum fateri lib. 1. *de Concil, cap.* 6. qvædam Concilia errasse, respondet, *ea fuisse Arrianorum & hæreticorum.* Respondemus: recenset Bellarminus *Antiochenum, Mediolanense, Ariminense, Ephesinum, Constantinopolitanum*; hæc Concilia, ait, fuisse *generalia*, ergò generalia possunt errare; hæc Concilia

puta-

putarunt sese esse legitima, uti hodie Pontificij de suis jactant, ergo talia, qvæ se legitima esse putant, possunt errare. Imò jam antea dixi, Laodicæum, Nicenum I, Chalcedonense & alia modò enumerata, *fuisse â Pontifice confirmata*, & tamen errarunt. Ergo etiam Concilia â Pontifice confirmata errare possunt.

117] Subjungit hisce omnibus Janssenius *duo*, (1) *qvòd nos Lutherani ideò extenuemus Contilia, qvia expavescamus â flagello nostro* (2) Ex *Bellarmino adducit locum, Lutherum fuisse hostem Conciliorum* p. 77. 78. 79. 80. Respond. Nos Concilia non expavescimus, qvasi flagella nostra, sed petimus Concilia legitima & libera adornari, ad qvæ semper provocamus. Legitima & libera si esse debent, reqviritur (1) ut sint in Germaniâ, ubi lites sunt exortæ (2) ut Papa non præsit, est enim materia litis, & pars altera litigans (3) Fiat judicium ex sacrâ Scripturâ, ceu infallibili fundamento fidei. (4) Non decidatur secundum votorum pluralitatem, sed juxta Scripturæ infallibilitatem, ut olim factum. (5) Absolvat Pontifex Prælatos â juramento fidelitatis, qvo ipsi obstricti sunt, alias liberè non poterunt adesse. (6) Audiantur qvoq; nostri Theologi, & habeant vota decisiva, non minus ac Pontificij (7) Detur salvus conductus non tantum personis, sed etiam causæ principali. His conditionibus si Concilium adornetur, non detrectamus adesse, sicut prolixè hoc deducunt Electores, Principes & Status protestantes in Causis

recusati Concilij Tridentini, & *Gesnerus contra Bellarm.* has conditiones defendit egregiè lib. 3. *de Concil. cap. ultimo, qvod* Caput Monachus sedulo legat, peramanter peto.

118] Interim hoc dicimus, difficultates non exiguas moveri posse, si hoc statu turbulento Concilium generale deberet convocari. Si enim Papa convocaret Concilium, nos ad mandatum ejus non comparebimus, propter causas modò allatas. Si Imperator convocaret, Clerici Papales non stabunt mandatis ipsius, cum negent hoc ad Imperatorem pertinere. Assessores Concilij essent vel soli Papistæ, contra qvos protestabimur & judicio illorum non stabimus, cum sint pars litigans; vel soli Lutherani, & tunc Pontificij reclamabunt; si verò Lutherani & Papistæ conjunctim, tunc numero futuri essēt vel pares vel impares, si impares, major numerus votorum pluralitate vincere posset etiam in malâ causâ, atq; ita altera pars læderetur, si pares, tunc duplex decisio prodiret, qvævis enim pars pro sua sententia decisura esset, adeoq; re infectâ Conciliū dimitteretur. Si verò pōtificij voluerint sine Cōcilio has difficultates tollere, seqveretur, difficultates maximas sine Concilijs qvoq; posse tolli, adeoq; Concilijs non opus esse, qvod tamen pontificij hactenus noluerunt admittere.

119] *Lutherum* verò hostem fuisse Conciliorum ex *Bellarmino* probat, narrante, *Lutherum* scripsisse, *non opus esse Concilijs, cum celeberrima erraverint, & qvilibet Pastor aut Ludimagister in Ecclesia non minus possit, qvam maxima Concilia: & si Conciliorum decreta simpliciter essent amplectenda, se-*

qvi

qvi, nobis abstinendum esse â sangvine & suffocato; qvod in Concilio Hierosolymitano fuit decretum. Imò ait *ipsum reiecisse Concilium Nicenum, cujus decreta, fœnum, stramen ligna & stipulas vocavit & improbavit, qvod Concilium vetat, ne qvi se absciderunt, sacris ordinibus initientur, & ne Clericus ullam domi suæ fœminam habeat.* Resp. Janssenius ista omnia de Luthero probat non ex scriptis *Lutheri*, sed ex *Bellarmino*, qvi mos probandi est ineptissimus; perinde ac si ego de Romano Pontifice aliqvid ex Luthero probarem: qvicqvid autem sit, non video, qvid Lutherus peccaverit in hisce effatis Nam *(1)* Concilia plurima errasse, n. 114. 115. 116. fuit probatum *(2)* Qvemvis Pastorem aut Ludimagistrum in Ecclesia non minus posse, qvam maxima Concilia, rectè dicitur. Cum enim Pastor & Ludimagister ex sacrâ Scripturâ articulos fidei docent, non minus faciunt, qvam Concilium, qvod ex sacra Scriptura eosdem articulos docet. Imò talis Pastor & Ludimagister interdum superant Concilia contra scripturam decernentia, qvo nomine *Lutherus Tom. 7. Jenen. Germ. f.* 260. scribit; *plus Theologiæ in Catechismo puerorum, qvam in multis Conciliis tradi & inveniri.* *(3)* de Concilio Hierosolymitano rectè docuit, si illius decreta sint observanda, seqvi, nobis abstinendum esse â sangvine & suffocato; qvia verò nec ipsi Pontificij ab his abstinent, manifestè seqvitur, decreta Conciliorum non simpliciter esse amplectenda. *(4)* Luthero affingitur qverela de turdis, aviculis, leporibus, capreis, cervis, anseribus, jusculis & farciminibus, qvod vel inde patet, qvod neq; Bellarmi-

nus neq; Janſſenius *Librum* aut *Caput* Lutheri citare potuerint, ubi hæ qverelæ diſcribantur.

120] Neq; *Lutherus* Concilio Niceno injuriam fecit vocando illius decreta qvædam, *fœnum, ſtipulas, paleas*; addit enim rationem (qvam Janſſenius ſupprimit) *qvia ipſa Eccleſia Romana qvædam decreta iſtius Concilij non ſervat Tom. 7. Jenen. Germ.* fol. 221. ſeq. Exempli cauſa Can. 11. illius Concilij legitur, *qvod ille, qvi religionis cauſa à bello ſeſe abdicavit, poſtea verò ad bellum iterum tranſit, toto ſeptennio pœnitentiam agere debeat.* Can. 19. legitur, *qvod illi, qvi à Pauliniſtis & Cataphrygis ad Eccleſiam Chriſtianam tranſeunt, ſint rebaptizandi*; iſta verò in Papatu ipſo hodie non obſervantur, itaq; Pontificij fruſtra clamant, nos ad Conciliorum decreta obſervanda obligari. Imò canone 4. 8, 9. 13. 14. 15. 17. 19. inanes Sacerdotum contentiones tractantur, qvas recte fœnum, ſtipulas & paleas omnes cordati dicent. Imprimis Lutherus reijecit ea, qvæ Can. 1. & 3. leguntur, *qvod Clericus nec fœminam in ædibus ſuis habere, nec ſeſe caſtrare debeat:* exinde ſeqvitur Clericum in uſtionibus illicitis & libidinoſis vivere debere, qvod eſt contra Paulum qvi ſcribit, *melius eſt nubere, qvam uri*, 1. *Cor.* 7. v. 9. donum verò caſtitatis extra cõjugiũ jejunijs laboribusq; imò nec precibus omnes conſeqvi nõ poſſunt; exemplo Franciſci, Benedicti & aliorum, qvi carnem ſuam nivibus & ſpinis macerarunt, nec tamen donum continentiæ conſeqvi potuerunt, qvia *non omnes capiunt hoc verbum Matth.* 19. v. 11.

121]

121] Habent autem ipſi Pontificij qvod domi agant in doctrinâ Conciliorum ; Pontifices ægerrimè admittunt convocationes Conciliorum, in qvibus ſæpius â Pontificatu detruduntur, ut in Concilio Conſtantienſi factum eſt, nihil magis inviſum ac ſuſpectum eſt Pontificibus qvam Concilium, qva de re videatur *Zwingerus in Theatro* p. 737. & *Jovius lib.* 2. *Hiſtor. in Leone X.* Clemens *VII.* Carolo *V.* Imperatori ſeverè contradixit Concilium poſtulanti, ut patet ex Colloqvio Pontificis & Imperatoris apud *Cæleſtinum Tom.* 1. f. 8. 9. *Bellarm.* lib. 2. de Concil. cap. 7. & lib 4. de Rom. Pontif. fatetur, Epiſcopos in Concilio congregatos errare poſſe etiam conjunctos in caſibus certis & particularibus, præſertim ante confirmationem Pontificis; ſi igitur in uno poſſunt errare, qvæ cauſa eſt, qvod in alijs ab errore immunes ſint? An Concilium ſit ſupra Papam ut in Conſtantienſi, Piſano & Baſilienſi, an verò Papa ſit ſupra Concilium, ut Tridenti, fatentur incertum eſſe, *Bellarm. lib.* 2. *de Concil. cap.* 14. *Gregor. de Valent. lib* 8. *Anal. cap.* 7. *Staplet. Relect. Controv.* 6. *qvæſt.* 3. *art.* 5. imò libros hiſtoricos Conciliorum negligenter aſſervatos eſſe conqveritur *Bellarm.* lib. 1. de *Conc.* cap. 2. Ex qvibus omnibus patet, pontificios re ipsâ tantam authoritatem Concilijs non tribuere, qvantam qvidem ſe verbis tribuere videri volunt. Concluſionis loco notetur Concilia qvædam â pontificijs citari, qvæ tamen ſunt ſpuria & ſuppoſititia ; talia ſunt Synodus Antiochena, Concilium Sinveſſanum,

vessanum, Concilium Romanum sub Sylvestro I. Concilij Niceni canones 80. ex Arabico conversi, Acta Concilij Niceni primi, qvidam Canones Concilij Sardicensis, decreta 9. Concilij Constinopolitani Sexti, qvædam decreta Concilij Florentini, recensente & demonstrante Roberto Coco in Censurâ Scriptorum veterum.

Caput Qvintum.

De Traditionibus Ecclesiasticis.

122] TRaditiones ἀγράφους *pari pietatis affectu cum scripto verbo Dei esse acceptandas* docent Pontificij Scriptores, qvibus opposui qvinqve rationes in mea Admonitione (1) pontificios nescire, qvænam sint veræ Traditiones, nec earum Catalogum in Colloqvio Ratisponensi potuisse proferri. (2) Apostolos non tradidisse contrariam doctrinam verbo, qvod scripserunt, qvales enim fuerunt absentes per Epistolas, tales fuerunt præsentes in facto 2. Cor. 10. v. 11. (3) Pharisaicum esse traditionibus non scriptis inniti. (4) Pontificum Traditiones qvasdam esse aliàs in verbo Dei fundatas, qvasdam pertinere ad historias, qvasdam pugnare cum Scripturis, qvasdam reijci ab ipsis Pontificijs. (5) Scripturam esse sufficientem fidei regulam, qvæ hominem perfectum reddere possit 2. *Tim.* 3. v. 17.

123]

123] *Janssenius* verò anteqvam respondeat ad has rationes, Pontificiorum sententiam exponit p. 82. distingvendo inter Traditiones *Apostolicas*, qvæ parem cum Scripturis authoritatem habeant, & vocentur verbum Dei non scriptum, & inter *Ecclesiasticas*, qvæ non sint ab Apostolis profectæ, nec parem authoritatem habeant cum Scripturâ, interim tamen meritò â Christianis servari & retineri. De illis, inqvit, Paulus loqvitur 2. Thess. 2. v. 15. *tenete traditiones*, de his Augustinus loqvitur Epist. 116. Addit Pontificios dicere, *Scripturam sine traditionibus Apostolicis non sufficere* in controversijs fidei decidendis, qvod Lutherani pervertant Pontificios accusando, qvi doceant, Scripturam *sine traditionibus humanis* esse imperfectam, qvod tamen sit mendacium.

124] 1. Distinctionem inter verbum Dei *scriptum & non scriptum, qvod attinet*, illam non simpliciter negamus, fuit enim tempus qvo habebatur verbum Dei non scriptum, ut in Veteri Testamento ante Mosen, in Novo Testamento ante libros Apostolicos: ista divisio autem non est *realis*, qvasi sint duo diversa, verbum scriptum & non scriptum, & qvasi in non scripto longè alia contineantur, qvam in scripto; verùm est distinctio *modalis* rei unius ejusdemq; diversimode consideratæ. Verbum enim non scriptum, & primò per vivam vocem traditum, est illud ipsum verbum, qvod postea fuit in literas consignatum, & cum fidelibus communicatum, sicut mandatum Regis unum idemq; est, qvod primò viva voce profertur, postea verò in literas refertur, & calamo

mo exprimitur. Verùm Pontificij per verbum non ſcriptum intelligunt ſingularia fidei dogmata, à Deo qvidem revelata, ſed in Scripturis non comprehenſa, & de manu in manum viva voce per ſingulas Eccleſiæ ætates tradita. Talia dogmata utiq; ambabus manibus acceptare vellemus ſi modò Pontificij nobis darent ἀπόδειξιν, ea ab ipſo Chriſto & Apoſtolis infallibiliter & immediatè proveniſſe, qvod ipſum, dum nec Janſſenius nec alij hactenus probarunt, dogmata iſta verbi non ſcripti nobis meritò ſuſpecta manent, nec nos ſalvâ fide & conſcientiâ ea poſſumus amplecti. Ad teſtimonim Eccleſiæ Pontificij provocare non poſſunt, cum illud nobis ſit ſuſpectum, nec Pontificij in causâ propriâ ſibi ipſis teſtimonium dare poſſint, cum illorum Eccleſiâ ſit pars altera litigans, cujus teſtimonium in nullo judicio admitti poteſt.

125] 2. Locum 2. *Theſ.* 2. v. 15. *ſtate fratres & tenete traditiones qvas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*, *Janſſenius* de verbo non ſcripto intelligit, ſed errat. Nam (1) Epiſtola hæc ſcripta eſt primo tempore Novi Teſtamenti, anteqvam Evangelium Matthæi ſcriberetur, teſte *Irenæo* lib. 3. *adv. hæreſ.* cap. 1. hoc tempore autem canon Novi Teſtamenti incipiebat, plurima reſtabant usq; ad finem, qvapropter mirum non eſt, ſi Paulus qvædam per ſermonem tunc temporis tradidit. Qværitur autem inter nos & Pontificios non de illo tempore anteqvam Canon Novi Teſtamenti abſolveretur, ſed de

de hoc tempore, qvo absolutus est, an tales traditiones supersint præter verbum scriptum, & ex hoc capite demonstrari posse negamus, cum â tempore Canonis absolvendi ad tempus canonis absoluti nulla sit conseqventia. (2) Si Pontificij habent aliqvas traditiones â Paulo profectas, qvas ex hoc loco demonstrare satagunt, necesse est nobis probent, suas traditiones esse *illas ipsas*, qvas Paulus Thessalonicensibus præscripserit, qvod dum non faciunt, nos certe sine probatione non adducimur, ut hoc credamus. Edisserant Pontificij qvomodo illæ Traditiones â Thessalonicensibus in illorum manus devenerint. (3) Paulus potius hortatur Thessalonicenses, ne patiantur se perturbare ejusmodi traditionibus, 2. Epist: cap. 2. v. 2. & dicit; *ne citò dimoveamini â mente, neq; turbemini vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per Epistolam, tanqvam â nobis profectam*, qvæ adhortatio ad nostram Ecclesiam qvoq; pertinet. Probatio igitur ex hoc loco pro Traditionibus prorsus nulla est.

126] 3. Augustinum citat *Janssenius* de Traditionibus loqventem Epist. 118. sed Augustinus eo in loco exprimit, qvid intelligat per Traditiones, scil. *qvod Domini passio, Resurrectio & ascensio in cœlum anniversariâ solennitate celebrentur*: hæc verò pertinent ad ritus & Ceremonias in Ecclesiâ, non ad nova dogmata, qvalia continentur in traditionibus illis, qvas Apostolicas esse jactitant, de qvibus nobis sermo

mo eſt. Qvapropter iſte locus Auguſtini impertinenter allegatur.

127] 4. *Mentiri* deniq; *nos*, ait; *qvando dicimus, Pontificios docere, qvod ſcriptura ſine traditionibus humanis ſit imperfecta, non enim humanæ cenſentur, ſed divinæ & Apoſtolicæ iſtæ Traditiones, qvas Pontificij Scripturæ, in decidendis fidei controverſijs, adjungunt.* Reſpond: illæ ipſæ Traditiones, qvas Pontificij jactitant eſſe divinas, non ſunt demonſtratæ ut divinæ; in eo enim conſiſtit cardo Diſputationis, hoc Pontificij debent probare. Qvod dum non fecerunt hactenus, nos illas Traditiones humanas eſſe dicimus, qvas Scripturis in controverſijs fidei decidendis adjungere volunt. Qvicqvid non demonſtratur eſſe divinum, illud pro divino cognoſcere non poſſumus.

128] Hiſce præmiſſis aggreditur Janſſenius refutationem mearum rationum. Ad primam, qvod pontificij neſciant, qvænam ſint veræ Traditiones, reſpondet: *Hoſium, Bellarminum eas deſcripſiſſe, imò Collocutores Ratiſponenſes plurimas authoritates ea de re edidiſſe.* Reſpondeo (1) Confundit Janſſenius diverſas qvæſtiones, ego dico, Pontificios *non potuiſſe certum Catalogum iſtarum traditionum proferre,* ut ſciat Eccleſia Chriſtiana qvænam & qvotnam ſint iſtæ traditiones, de qvo argumento tractent: Hoſius autem & Bellarminus traditiones illas *diſtingvunt tantùm, non verò recenſent aut numerant,* de qvo tamen qværitur. (2) Falſum eſt, Collocutores Ratiſponenſes traditiones protuliſſe. Cum enim D. Hunnius & Heilbrunnerus peterent, ut traditiones enumerarent, Pontificij

tificij ſimpliciter noluerunt, ſed Sereniſſimus Dux Bavariæ *Maximilianus* interpoſuit ſuam authoritatem, *ſufficere qvod Judicem nominaſſent*, ut ex *Seſſ.* 1. dilucidè apparet. (3) Si conferatur Traditionum Catalogus apud diverſos authores Pontificios videbimus, qvod neq; in numero, neq; in ipsâ deſcriptione conveniant. *Fevardentius* ſuper *Irenæum* lib. 3. cap. 3. numerat *qvindecim* traditiones: *Calicem Eucharistiæ aqvâ eſſe temperandum; Filium Dei eſſe Patri* ὁμοούσιον; *Spiritum Sanctum eſſe Deum; Mariam eſſe* θεοτόκον; *Duas in Christo naturas eſſe impermixtas; Evangelium Matthæi eſſe Matthæi; tres eſſe Perſonas in Trinitate; B. Mariam eſſe Virginem; Baptiſmum hæreticum non eſſe iterandum; ritus Baptiſmi non eſſe ſpernendos; qvatuor cardinalia Feſta eſſe celebranda; Apoſtolos eſſe baptizatos; jejunè eſſe communicandum; Exorciſmum in Baptiſmo eſſe adhibendum; pro mortuis eſſe orandum & ſacrificandum.* Alphonſus Salmeron Tom. 13. *Diſp.* 8. in *Epiſt. Pauli* decem recenſet: *Signum crucis eſſe adhibendum; Symbolum Apoſtolicum eſſe ſuſcipiendum; Miſſam & ſacrificium eſſe celebrandum; Chriſtum obtuliſſe panem & vinum; eodem die chriſma ipſum confeciſſe; diem Sabbati in diem Dominicum rectè mutatum eſſe; Jejunium qvadrageſimale eſſe obſervandum; qvarto & ſexto die cujuscunq; ſeptimanæ eſſe jejunandum; Virginitatem & vitam Monaſticam eſſe amplectendam; Sacerdotes debere eſſe cælibes. Bellarminus* lib. 4. *de Verbo Dei* cap. 2. *divinas* eſſe, ait, traditiones, qvæ pertinent ad materiam & formam Baptiſmi; *Apoſtolicas*, ut Jeju-

nium qvadragesimale & qvatuor temporum: *Ecclesiasticas*, ait, esse vel *de fide* vel *de moribus*, vel *perpetuas* vel *temporales* &c. recenset qvasdam: *ut qvatuor esse Evangelia; Mariam mansisse Matrem post partum* &c. *Lindanus lib.* 3. *cap.* 8. *Panopl.* qvoq; recenset qvasdam, sed cum alijs in numero & descriptione non convenit. *Chemnitius* ex *Petro à Soto* recitat traditiones alias; *oblationem sacrificij Altaris*; *unctionem Chrismatis*; *invocationem Sanctorum*; *merita operum*; *primatum Romani Pontificis*, *consecrationem aqvæ in Baptismo*; *totum Sacramentum Confirmationis*; *Elementa, verba & effectus Sacramenti ordinis, matrimonij & extremæ unctionis, orationes pro defunctis*; *enumerationem peccatorum Sacerdoti faciendam*; *necessitatem satisfactionis*; part. 1. *Exam.* p. 76. *Clemens Alexandrinus* in libris *Stromatum* recenset alias traditiones; *Græcos per Philosophiam fuisse justificatos*; *Christum uno anno prædicasse*, *Apostolos post mortem etiam mortuis prædicasse*, *eosq; mortuos per prædicationem Evangelij ex inferno ereptos esse*; *Christianos non debere contendere coram judicio* &c. Dicant igitur Pontificij *qvænam* sint veræ traditiones *qvotnam* illarum numerentur, exhibeant nobis certum illarum *Catalogum*, qvod dum non faciunt, manet omninò doctrinam de traditionibus esse rem perturbatissimam, de qvâ ipsi Pontificij certi esse non possunt.

129] Ad rationem *secundam qvod Apostoli non tradiderint contraria ijs, qvæ in scriptis annotarunt* 2Cor. 10. v. 11. respondet Janssenius, *sese nullas habere traditiones cum verbo Dei pugnantes*. Imò verò

verò pugnant plurimæ illarum cum sacris. *Invocatio Sanctorum* pugnat cum locis Matth. 4. v. 10. Apoc. 14. v. 7. Psal. 50. v. 15. Esa. 42. v. 8. Joh. 14. v. 13. cap. 16. v. 23. 1. Tim. 2. v. 5. Joh. 14 v. 6. 1. Joh. 2. v. 12. Rom. 8. v. 34. Eph. 3. v. 12. Rom. 10. v. 14. Jerem. 17. v. 5. 7. Esa 64. v. 16. Joh. 14. v. 21. Apoc. 19. v. 10. Act. 10 v. 26. cap 14. v. 15. *Cœlibatus Sacerdotum* pugnat cum dictis 1 Tim. 3. v. 2. 4. Tit 1. v. 6. Hebr. 13. v. 4. 1 Cor. 9. v. 5 Gen 5. v. 22. Levit. 21. v. 7. Matth. 8. v. 14. Actor. 21. v. 9. 1. Cor. 7. v. 9. Matth. 19. v. 11. Gen. 2. v 24. Joh. 2. v. 11 Dan. 12. v. 37. 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. *Sacrificium Missæ* pugnat cum dictis Hebr. 7. v. 26. 27. cap. 9. v. 12. cap. 10. v. 10. 11. 12. 13. 14 cap. 9. v. 22. Joh. 19. v. 30. Hebr. 1 v. 3. cap. 5. v. 9. 10. Eph. 5. v. 2. 1 Cor. 11. v. 24. 25. *Ciborum delectus* pugnat cum dictis Act. 10 v. 15. Matth. 15. v. 11. 1 Cor. 10. v. 25. Coloss. 2. v. 16. 1 Tim. 4 v. 4. Act. 15. v. 28. 29. 1 Tim. 4. v 1. 2. 3 Rom. 14. v 17. 1 Cor. 8. v. 8. Hebr. 13. v. 9. *Votum Paupertatis* pugnat cum dictis Deut. 15. v. 4. Eph. 4. v. 28. 1 Tim. 6. v. 18. 19. *Castitatis*, Matt. 19. v 11. 1 Cor. 7. v. 2. 7. 9. primatus Papæ pugnat cum dictis Eph. 4. v. 11. Luc. 22, v. 25. 26. Matth. 28. v. 19 Joh. 20. v, 23. Eph. 5. v. 23, 1 Pet. 5. v. 2. 3. 4. Hæ & aliæ plures traditiones cum sacræ Scripturæ oraculis manifestè pugnant, pro ut inferius de singulis suo loco demonstrabitur.

130] Ad *tertiam* rationem, *periculosum esse ejusmodi traditiones accipere exemplo Pharisæorum, qvos Christus propter has traditiones taxat* Matth. 15. v. 9. respondet Janssenius, qvod Pharisæi suas traditiones *malo fine observarint superstitionis causâ, inanem gloriam & sanctitatem sibi*

imaginando p. 83. 84. Respondetur : hoc ipsum est, qvod in Pontificijs qvoq; taxamus, eos malo fine traditiones suas observare. Judæi fingebant *Mosen* in monte *Sinai* a Deo duplicem legem accepisse, aliam qvæ sit *scripto* tradita, aliam qvæ *oretenus* per Mosen ad posteros sit translata, *Mosen* dicunt eam tradidisse *Josuæ*, *Josuam Senioribus*, *Seniores Prophetis*, *Prophetas Viris Synagogæ magnæ*; videatur *Galatinus de Arcanis Cath. verit: lib.* 1. *cap.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4 Ejusmodi traditiones Pharisæi addebant Scripturis tanqvam necessariam partem cultus divini, id qvod erat superstitio: Christus verò in genere has traditiones ἀγράφους damnat, & ad unicam Scripturam eos revocat *Matth.* 5. v. 21. *cap.* 15. v. 6. 9. *Luc.* 16. v. 29. *Luc.* 24. v, 27. *Joh.* 5. v. 39. Idem faciunt Pontificij: fingunt illi more Judæorum præter verbum scriptum, aliud verbum ab Apostolis fuisse traditum, qvod postea oretenus sit ad Ecclesiam translatum; addunt has traditiones verbo scripto, tanqvam necessariam partem cultus divini, qvod superstitiosum est; sanctitatem magnam sibi imaginantur has traditiones servando, mandata verò Domini interim negligunt. Qvod verò Christus Pharisæis id nos Pontificijs opponimus, traditiones has reijcientes, & eas ad verbum Scriptum revocantes. Manet ergò Pontificios judaizare, dum traditiones suas non scriptas jactant.

131] Ad qvartam rationem; *Traditiones esse vel articulos fidei, qvi ex Scripturis aliàs noti sunt, vel historica, vel ceremonialia ad fidem non pertinentia,*

imò

imò *qvasdam ab ipsis Pontificijs reijci*; respondet, *esse mendacia & calumnias*. Resp. Non sunt mendacia & calumniæ mi Jansseni, sed ego verissima esse demonstrabo. Pontificij habent qvasdam traditiones, qvæ tamen sunt *articuli fidei* in verbo scripto satis fundati. Tales sunt: *Spiritum Sanctum esse Deum*; *tres personas esse in Deitate*; *duas in Christo naturas esse impermixtas*, *Filium Dei esse Patri ὁμοούσιον*. Hæc autem dogmata in sacris literis dilucidè sunt expressa, qvid ergo opus est ea probari ex traditionibus incertis? ita argumentor: dogmata ista aut in Scripturis fundantur, aut in traditionibus; si in traditionibus, dogmata ista erunt incerta, cum traditiones ipsæ incertæ sint, nec ullus Pontificum demonstraverit, eas ab Apostolis certò provenisse: si in Scripturis, tunc non opus est traditionibus, probatio talis esse superflua, utpote qvæ majorem Scripturis certitudinem inferre non posset, Scripturam enim esse θεόπνευστον scimus, traditiones verò istæ unde provenerint, ignoramus, nec Pontificij Apostolicam originem demonstrare possunt.

131] Qvædam traditiones Pontificiæ sunt *historicæ*, ut, *Apostolos esse baptizatos*, qvod ipsum ex Scripturis per bonam conseqventiam potest deduci, notante *Augustino* Epist. 108. Ita pertinet ad historiam, *Evangelium Matthæi esse à Matthæo conscriptum*, qvod ipsa inscriptio Evangelij satis arguit, ut non opus sit traditionibus. Qvædam traditiones pertinent ad *ritus & Ceremonias Ecclesiasticas*, ut, *signum Crucis esse adhibendum*; *qvatuor*

Cardinalia festa esse celebranda, jejunium qvadragesimale esse observandum. Hæc & similia cum non sint dogmata fidei, non pertinent ad qvæstionem nostram controversam. Qvasdam traditiones ipsi etiam Pontificij *rejiciunt*, ut, *Christum unico tantùm anno prædicasse, anno ætatis qvinqvagesimo mortuum fuisse, Christianos non debere contendere coram judicio.* Hæc olim *Clemens Alexandrinus* pro traditionibus non scriptis habuit, & tamen hodierni Pontificij ea non admittunt. Qvædam traditiones manifestè *repugnant* scripturis, ut *invocatio Sanctorum, Cælibatus Sacerdotum, Missæ Sacrificium, delectus ciborum, votum Paupertatis & Castitatis, primatus Romani Pontificis, pro mortuis esse orandum & similia*, de qvibus n. 129. dictum est.

133] Non itaq; est calumnia, ut ait *Janssenius*, sed verissimum est & manet, traditiones Pontificias esse rem perturbatissimam & incertissimam, (1) *ratione originis*, non enim demonstratur infallibiliter eas à Christo & Apostolis provenisse. Christus Discipulis suis mandat: *qvod vobis in tenebris dico, dicite in luce, & qvæ in aurem auditis, supra tecta prædicate Matth.* 10. v. 27. Christus ipse in fidei mysterijs nihil occultavit, *Ego palàm locutus sum mundo, semper docui in Synagoga & in Templo, in occulto nihil locutus sum* Joh. 18. v. 20. *Paulus* 1 Tim. 3. v. 14. 15. scribit: *hæc tibi scribo ut scias, qvomodo oporteat te in domo Dei versari.* Illa Epistola verò adhuc in nostris est manibus. *Omne Consilium Dei* annunciaverunt nobis Apostoli *Act.* 20. v. 27. & sicut Christus *omnia, qvæcunq; à Patre audivit*, Apostolis nota fecit Joh. 15. v. 15 *ita illi qvæ audive-*

dixerunt & viderunt nobis annunciarunt & scripserunt 1*Joh.* 1. v. 1. 2. Falsum igitur est, Christum & Apostolos qvædam vivâ voce tradidisse solis Prælatis & Episcopis ad posteros propagandum. (2) *Ratione numeri* qvoq; sunt incertæ. *Fevardentius* super Irenæum numerat *qvindecim*, *Salmeron* numerat *decem*, *Becanus* in Manuali numerat *tres* de dogmatibus fidei, & *octo* de moribus, *Bellarminus alio* numero eas recenset. Dubij igitur adhuc sunt Pontificij de numero, qvem nondum potuerunt definire. (3) *Ratione diversitatis* sunt incertæ: Pontificij enim ipsi pro veris traditionibus non habent, qvæ olim â Patribus, qvibusdam habebantur. *Christum uno anno prædicasse, qvinqvagesimo ætatis mortuum esse, Græcos per Philosophiam fuisse salvatos, supplicia posthanc vitam cessatura, in Sabbato jejunandum non esse, intra Pascha & Pentecosten genua non esse flectenda, in precatione ad orientem faciem esse convertendam, hæc* & similia olim pro veris vendebantur traditionibus, qvas Pontificij saniores hodie rejiciunt. Qvid si ventura secula traditiones hodiernas Pontificiorum etiam rejicerent? Ex hisce omnibus apparet, verissima esse ea, qvæ de confusione & perturbatione traditionum Pontificiarum superius scripta sunt.

134] Ad qvintam rationem, *qvod Scriptura possit hominem perfectum reddere ad omne opus bonum* 2*Tim.* 3. v 17. adeoq; non opus sit traditionibus, excipit *Janssenius* hoc non seqvi; idem enim esse, ac si qvis dicat: *utilis est cibus, ergò su-*

pervacaneus est potus. Item *pietas est ad omnia utilis, ergò Sacramenta, oratio & jejunium sunt supervacanea* p. 87. Respondetur: Scriptura potest hominem *perfectum* reddere ad omne opus bonum, sine traditionibus, sed cibus non potest hominem perfectè nutrire sine potu, utrumq; enim ex DEI ordinatione & naturæ indigentiâ cõcurrat necesse est. Instantia *de pietate, qvod utilis sit ad omnia, interim non seqvi, Sacramenta, orationem* &c. non esse utilia, magnam ἀπαιδευσίαν Monachi arguit. Nam dum Paulus ait, Pietatem ad omnia esse utilem, includit Sacramenta, Orationem, jejunium, Eleemosynas, & omnia ad pietatem excitandam & exercendam pertinentia, sine qvibus omnibus pietas non posset stare, atqvi sine traditionibus Scriptura potest consistere. Impertinenter itaq; ista instantia opponitur. *Lex Domini perfecta est convertens animas* Psal. 19. v. 8. *cui nihil addendum nihil detrahendum* Deut. 4. v. 2. ita ut *etiam Angelus de cælo anathema esset, si aliud Evangelium prædicaret* Gal. 1. v. 8. *omne consilium Dei nobis in eo annunciatur* Act. 20. v. 27. omnes partes Christianismi in eo continentur, διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία, *ut homo Dei perfectus sit ad omne opus bonum* 2. Tim. 3. v. 16. 17. Scriptura est efficax *ad timorem Dei addiscendum* Deut. 17. v. 19. *ad Christum cognoscendum* Joh. 5. v. 39. Luc 24. v. 27. ad *doctrinam & consolationem percipiendam* Rom. 15. v. 4. *ad fidem hauriendam* Joh. 20. v. 31. *ad certitudinem fidei* Luc. 1. v. 3. 4. *ad mores* Jos. 23. v. 6. 7. 8. 2. Tim. 3. v. 16. *ad*

16. *ad gaudium* 1.Joh.1.v.4. *ad æternam deniq; salutem conseqvendam* Luc. 16. v. 29. Joh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. 2.Tim. 3. v 15.

135] Ex *Florimundo* qvasdam traditiones assignat *Janssenius* sub finem Capitis, *(1) Symbolum Apostolicum esse suscipiendum*, qvod in Scripturis non extet. Resp. Qvoad formam verborum in sacris eqvidem non exstat, interim qvoad rem totam ibidem invenitur, hoc enim Symbolum continet fidei articulos, qvi omnes sunt ἔγγραφοι, prout *Canisius* in Catechistico Opere suo de verbo ad verbum demonstrat. *(2) Nihil esse recipiendum, qvod in sacris non sit expressum*; Resp. hoc probant omnia illa argumenta, qvæ scripturam esse perfectam probant, & verbo Dei nihil addendum esse demonstrant *(3) Mariam semper mansisse Virginem*, Resp. Virginitas Mariæ in partu est articulus fidei, qvem ex sacris credimus *Esa.* 7. v. 14. *Luc.* 1. v. 27. Virginitas post partum non est articulus fidei, interim Hieronymus contra Helvidium eum ex Scriptura etiam demonstrat ex Ezech. 44. v. 2. *de porta clausâ*, imò particula *donec* Matt. 1. v. 25. perpetuitatem notat, exemplo scripturæ Psal. 110. v. 2. 1.Reg. 15. v. 29. 2.Reg. 6. v. 25. *(4) Infantes esse baptizandos* supra cap. 2 ex Scripturis demonstravi, imò Janssenius p. 430. eundem pædobaptismum ex Scriptura probat: duo esse Sacramenta ex Scripturis cap. 2. deduxi *(5) Baptismum non esse iterandum*, non est de fide sed circa fidem, interim ex sacris probatur, cum Circumcisio non fuerit iterata, & nullum mandatum de tali itera-

ratione exstet. (6) *primam non ultimam septimanæ diem esse diem qvietis*, est ritus non dogma fidei, nihilominus ex sacris deduci potest nam *Apoc.* 1. v. 10. fit mentio κυριακῆς ἡμέρας, qvam Paulus, 1. Cor. 16. v. 2. *unam Sabbatorum nominat* (7) *Leges Ceremoniales & Forenses esse abrogatas*, constat ex sacris *Dan.* 9. v 24. *Matth.* 11. v. 13. *Coloss.* 2. v. 16. *Gen.* 49. v. 10. (8) non amplius esse observandam Apostolorum doctrinam *de non comedendo sangvine*, patet ex Coloss. 2. v. 16. (9) *Lustricos parētes esse in baptismo adhibendos*, nō est dogma fidei, (10) *fœminas à Cœna nō esse excludendas*, *patet* ex eo, qvod Apostoli nullibi excluserint, nec Christus in institutione disertis verbis id mandaverit, qvin potius omnes jussit edere & bibere, pro qvibus mortuus est, si modò sese possint *probare*, docente Paulo 1. *Cor.* 11. v 28. Ex hisce patet traditiones Pontificias novi qvid præter Scripturam sacram in articulis fidei non posse inferre.

136] Sub finem notandum est, Pontificios inepte demonstrare αὐθεντίαν traditionum ex testimonio Ecclesiæ Romanæ: ita enim argumentantur: qvas traditiones Papa habet pro Apostolicis illæ sunt Apostolicæ & certū fidei principiū, atqvi has Pontificias Papa habet pro Apostolicis, ergò sunt Apostolicæ & fidei principiū. Hic incertū per incertū probatur, major petit principium, Pōtificis authoritas æqve dubia est, ac istarū traditionū. Si nos disputaremus, *Augustanam Confeßionem* esse infallibilem credendi regulā, ideo qvia Lutherana Ecclesia vel Lutherus hoc asseruit, ineptissimū hoc esset: pari modo disputāt pontificij, suas traditiones

nes esse Apostolicas, cū Pontifex & Romana Ecclesia hoc asserant, qvod nō est disputare, sed nugari.

137] Nos verò in nostris Ecclesijs non simpliciter omnes traditiones rejicimus, *sed cum distinctione* qvasdam acceptamus. *(1)* Traditiones vocantur interdum *dogmata* in Scripturis expressa, ut *Act.* 6. v. 14. 1 *Cor.* 11. v. 23. 2 *Thess.* 2. v. 15. qvæ acceptamus *(2)* Traditiones etiam vocantur *Ceremoniæ* & ritus Ecclesiastici. qvi in sacris eqvidem expressi non sunt, interim si ordinem decentem in Ecclesiâ conservare faciant, eas acceptamus, ex Pauli admonitione 1 *Cor.* 14. v. 40. qvamqvam de simplici necessitate esse non judicamus. *(3)* Traditiones etiam vocantur *historica*, ut Evangelium Matthæi esse â Matthæo conscriptum, & similia, qvæ libenter acceptamus. *(4)* Traditiones autem qvando vocantur *dogmata fidem concernentia*, qvæ præter & contra verbum scriptum proferuntur, prout Pontificij suis traditionibus faciunt, eas omninò rejicimus, propter causas in hoc capite enumeratas & evictas. Videatur *Chemnitius in Exam. Concil. Trident: part. 1. super* decr. 1. Sess. 4. qvi nervosè de his omnibus scripsit.

Caput Sextum.

De Contemptu Meriti Christi in Papatu.

138] QVAMvis Pontificij statuant causam meritoriam nostræ Justificationis esse Christum, *sinceritatem* tamen

tamen hujus doctrinæ multis modis labefactant: negant enim *Christum esse Mediatorem nostrum secundum utramq; naturam, & solùm secundum humanam naturam* credunt *Bellarm. lib.* 5. de *Christo* cap. 1. Negant *Christum in passione sensisse iram Dei & pœnas infernales, Bellarm.* lib. 4 de *Christo* cap. 8. contra dicta *Psal.* 16. v. 10. *Psal.* 18. v. 6. *Psalm.* 49. v. 16. *Psal.* 69. v. 15. *Psal.* 86. v. 13. Docent *Christum satisfecisse pro peccatis qvidem, sed non pro pœnis temporalibus, pro qvibus nobis satisfaciendum est,* cum tamen Christus μονώτατ@ *torcular calcarit* Esa. 63. v. 3. Fingunt *Mariam contrivisse caput serpentis, & fuisse adjutricem Christi in opere redemptionis. Addunt* merito Christi perfectissimo *merita Sanctorum,* eidem Christi merito *nostra subordinant opera,* qvod Christus illis promeruit virtutem vitam æternam promerendi; disputant Christum *sibi qvoq; aliqvid promeruisse.* In mea Admonitione qvinq; tantùm assumpsi argumenta Pontificiorum, qvibus meritum Christi labefactetur. (1) Dum Mariæ Virgini opus Redemptionis adscribunt (2) Dum virtutem peccata expiandi sangvini humano tribuunt (3) Merito Christi merita Sanctorum addunt. (4) Christum pro peccato Originali non satisfecisse docent. (5) Nostram satisfactionem merito Christi perfectissimo addunt.

139] Janssenius anteqvam respondeat, ait, *Pontificios meritum Christi ita extollere, ut doceant, illud nobis qvoq; merendi potestatem contulisse, ut possimus virtute ejusdem Dæmones & Infernum debellare,*

re, ſecundum illud *Philip.* 4. v. 13. *omnia poſſum in eo qvi me confortat.* Imò Pontificios aſſerere, *Chriſtum abſolviſſe redemptionis noſtræ opus merito paſſionis* ſuæ p. 90. Reſpon: Notetur contradictio Monachi aſſerentis, Chriſtum *abſolviſſe* merito ſuo opus redemptionis noſtræ; interim tamen docentis, *noſtrâ ſatisfactione qvoq; opus eſſe.* Si Chriſtus totum opus abſolvit, utiq; merito noſtro non eſt opus, aut ſi opus eſt merito noſtro, Chriſtus certè id non abſolvit, hæc enim ſeſe mutuò tollunt, qvicqvid etiam Monachi dicant. Ita argumentor: qvicunq; abſolvit rem aliqvam, ita ut adhuc opus ſit aliorum operibus rei abſolutæ addendis, is certè non poteſt dici, rem illam verè abſolviſſe; ſed Chiſtus ex mente Pontificiorum ita abſolvit opus noſtræ redemptionis, ut interim noſtris adhuc opus ſit operibus merito Chriſti addendis, ergo Chriſtus opus redemptionis noſtræ verè non abſolvit.

140] Qvod Chriſtus noſtris operibus virtutem promeritus ſit, vitam æternam promerendi, ex dicto allegato *Phil* 4. v. 11. 12. 13. non probatur. Paulus ait, *novi humilis eſſe, novi & excellere: ubiq; & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati, omnia poſſum per Chriſtum, qvi me confortat.* Hic loqvitur de animo ſuo temperato, qvod poſſit ſecundam & adverſam fortunam æqvâ mente tolerare, qvod in ſecundis non efferatur, in adverſis non deprimatur, ſed vires & patientiam innuit ſe habere, non â ſe ipſo, verùm â Chriſto. *Omnia poſſum per Chriſtum, qvi me corroborat.* Illud ergo, *Omnia poſſum,*

non

non indefinitè extendendũ eſt ad omnia objecta, qvaſi etiam vitam æternam operibus ſuis poſſit promereri, ſed intelligendum eſt *de ſubjectâ materiâ*, qvod omnia poſſit tolerare in rebus ſecundis & adverſis. Malè igitur dictum hoc præter ſcopum Apoſtoli allegatur, ut ex toto contextu apparet. *Virtute meriti Chriſti omnino Satanam & infernum debellamus*, ut ait Monachus, ſed hoc non fit per opera, verùm per fidem, *fides eſt Victoria noſtra vincens mundum* 1 *Joh*. 5. v. 4. fides qvoq; non debellat Satanam & mundum *qvaſi meritum*, ſed *ut medium*, Chriſtum apprehendens, & in Chriſto apprehenſo mundum & Satanam vincens, prout ſuo loco fuſius dicetur.

141] Hiſce præmiſſis aggreditur *Janſſenius* refutationem primæ objectionis qvatuor membris. Primò, ait Gen. 3. *Ipſa* ſcilicet *Maria conteret caput ſerpentis*, ita explicatur; *Deipara virtute ſeminis ſui, id eſt, Chriſti, contrivit caput ſerpentis*. Reſpondeo (1) in fonte Hebræo non legitur הִיא ipſa, ſed הוּא ipſe, Maſculinum non fœmininum; qvæ voces poſſent diſtingvi mediâ literâ, etiamſi ſine punctis legendum eſſet, itaq; Monachus Scripturam corrumpit & pervertit (2) Septuaginta Interpretes reddiderunt per αὐτὸς ipſe, qvod eſt maſculinum, & ad Mariam nullo modo referri poteſt. (3) Textus cohærentia convincit, dum dicit: *ipſe conteret tibi*; ubi in hebræo habetur verbum maſculinum Jeſchubecha, qvod non ad mulierem, ſed ad ſemen eſt referendum. (4) Qvod Maria virtute ſeminis ſui caput ſer-

pen-

pentis contriverit, falsissimum est, Paulus enim Gal. 4 v. 4. distingvit *mulierem* & *Filium*, mulierem vocat *matrem, ex qvâ* natus est filius Dei, hunc *filium* dicit *legi fuisse subjectum*, & nos â lege redemisse, qvod Mariæ non potest adscribi. Matri ergò tribuitur nativitas, Filio autem redemptio â lege, & capitis serpentini contritio. (5) Non seqvitur, Maria genuit Filium, qvi caput serpentis contrivit, ergò & ipsa illud caput contrivit; causa enim causæ est qvidem causa causati, *sed in eodem causandi genere seu ordine.* Simili modo posset concludi, Mariam pro nobis fuisse crucifixam, qvia genuit filium, qvi pro nobis crucifixus est: Matrem Josephi fuisse Dominam Ægypti, qvia genuit filium, qvi fuit Dominus Ægypti; aut matrem Davidis percussisse Goliathum, qvia genuit filium, qvi Goliathum percussit, ineptè. (6) Alij Pontificij dicunt, Mariam caput serpentis contrivisse *per suam obedientiam*, & piam humilitatem, *in libello Canticorum Dillingæ excuso*, anno 1573.

142] Secundo respondet Janssenius, *Mariam* vocari Liberatricem, Redemptricem, Mediatricem *eo modo, qvo Moses vocatur Mediator Gal.* 3. scil. *pro hominibus intercedendo, & precibus suis eos liberando. Ita Joseph, Othoniel, Joachaz vocati fuerunt Salvatores. Imò, ait, Mariam vocari vitam, spem & portam cæli, eo sensu, qvo Paulus* 1 *Thess.* 2. v. 19. 2 *Cor.* 2 v. 15. *suos auditores vitam & spem nominat; qvo Johannes Apoc.* 21. v. 12. *Patriarchas & Apostolos portas*

cæli

*cœli nominat, eo ſenſu, qvo Moſes Deus Pharaonis vocatur Exod.*7.v.1. *qvo Magiſtratus & Sacerdotes Dij dicuntur, qvia Dei miniſtri ſunt, & voluntatem ejus annunciant, imò Sancti ſunt conformes divinæ naturæ* 2.Pet. 1. v. 4. *hinc Dij Deæq; appellari poſſunt*, p. 91. 92.

143] Reſpond.(1) Moſes Deut. 5. v. 5. ait: *Ego ſeqveſter & medius fui inter Deum & vos*, ex qvo loco Paulus *Gal.* 3. v. 19. Moſen *Mediatorem* vocat, ſed Moſes tunc temporis in terris vivebat, Maria verò amplius in terris non ſupereſt; Moſes impropriè vocabatur Mediator, erat enim interpres Dei ad populum in promulgatione legis; Mariam verò vocant Mediatricem, qvæ peccata remittat, gratiam & Spiritum Sanctum donet, ut teſtatur Pſalterium Mariale Venetijs & Pariſijs excuſum, cum confirmatione Pontificum Romanorum Sixti IV. & Innocentij VIII. *Bernhardinus de Buſtis* in Mariali lib. 2. cap. 2. ſcribit: *Turris fortiſſima nomen Dominæ, ad ipſam confugiet peccator & ſalvabitur.* Moſes vivus in hac vita intercedebat pro populo Dei, ſed de Mariâ in alterâ vitâ hoc nullibi legitur, qvod ita intercedat pro nobis, ut per & propter interceſſionem illius acceſſum habeamus ad Deum, id qvod ſolius Chriſti eſt, qvi ſedet ad dextram Patris *& interpellat pro nobis Hebr.* 7. v. 25. 1. *Joh.* 2. v. 1. *Rom.* 8. v. 34. Adde qvod Moſes in ſacris Mediator & ſeqveſter diſertè appelletur, id qvod de Virgine Deiparâ nullibi ſcriptum legitur; Moſes fuit typus Chriſti unici illius inter Deum & homines Mediatoris, qvod de Mariâ dici non poteſt.

144] *Josua, Othoniel* & alij Judices Hebræorum omnes dicuntur *Salvatores populi*, qvia fuerunt *typi* Jesu Nazareni, qvi sicut salvaturus erat populum spiritualiter de manu hostium *Luc.* 1. v. 74. ita illi Israelitas liberabant corporaliter. Ubi verò Maria populum Dei instar alicujus Judicis & Herois corporaliter liberavit? *atqvi precibus suis liberavit multos*, inqvit Janssenius: hac ratione omnes pij viri & fœminæ essent nostri Liberatores & Redemptrices, qvi qvotidie pro salute Ecclesiæ orant & precibus suis proximum â malis liberant. Spes nostra Maria dici non potest, sicut enim Deus non vult, ut habeamus Deos alienos præter illum, ita etiam vult, ut simpliciter sibi confidamus, *hinc maledictus vir qvi spem suam ponit in hominem Jer.* 17 v. 5. hinc opponuntur in sacris *Deus*, in qvem unicè sperare debemus, & *homines*, qvi mentiuntur ac sæpius fallunt, *Psal.* 62. v. 9. 10. *Psal.* 146. v. 3. & 5. populariter eqvidem dicimus, in *te reposita est omnis spes mea*, sed additâ clausulâ, post Deum, qvo innuimus, homines esse *instrumenta*, qvibus Deus nobis benefaciat Hoc autem sensu Maria in Papatu non dicitur spes nostra, sed intelligitur esse objectum proprium spei & fiduciæ, qvæ beneficia nobis impetret & mereatur. Locus 1. *Thess.* 2. v. 19. ubi Paulus ait: *qvæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?* nihil facit ad rem; Paulus enim auditores suos non ideo vocat spem suam, qvasi in ipsos, ut in Deum, ponat fiduciam suam, sed qvod in eorum testimonio in adventu Domini ad judi-

 cium

cium gloriari se posse confidit. Apostolus vocat se *odorem vitæ ad vitam* 2 *Cor.* 2. v. 15. ratione doctrinæ Evangelicæ, qvæ est virtus Dei salvans omnem credentem, hinc Paulus ait v. 14. *Deus manifestat odorem agnitionis suæ per nos in omnibus locis*, qvod factum est per doctrinam Apostolorum; ubi autem & qvando Maria in Apostolatu docuit?

145] Apostoli dicuntur *portæ & fundamenta sanctæ civitatis* Apoc. 21. v. 10. respectu doctrinæ & ministerialiter, sicut Christus dicitur fundamentum Ecclesiæ ratione personæ & principaliter; Maria autem in Apostolatu non docuit; hoc igitur ad eam applicari non potest. *Deam*, inqvit Janssenius, *Mariam qvoq; posse vocari*, eo sensu, qvo olim Sacerdotes & Reges Dij dicebantur, hoc verò nomen illis tribuebatur propter officium divinum, qvo fungebantur; Maria autem nec Sacerdotium nec Principatum politicum unqvam gessit, igitur eo respectu Dea dici non potest. *Divinæ naturæ reddimur consortes* 2 *Pet.* 1. v. 4. per gratiosam Dei inhabitationem, sed propterea *Dij Deæq;* in sacris nullibi dicimur; imò si propter illam gratiosam Dei inhabitationem, & Divinæ naturæ participationem Maria vocatur Dea, seqvitur omnes pias fœminas esse Deas, qvia Spiritum Sanctum habent in se gratiosè habitantem. Ethnicismum sapiunt ista qvæ Janssenius de tot Dijs & Deabus scribit. Qvam Deam Pontificij intelligant, dum Mariam ita vocant, apparet ex illâ precatiunculâ qvæ in hortulo Mariæ invenitur, ubi Mariam ita alloqvuntur: *Gaude*

Matro-

Matrona cœlica; tu ancillam Jesu Christi te vocare voluisti, sed ut lex docet divina, Tu ipsius es Domina. Nam jus habet & ratio, Matrem præesse filio, ergo ora suppliciter & pracipe sublimiter, ut nos in mundi vespera, ad regna ducat supera. Deam talem intelligunt, qvæ sit Domina Filij sui, cui præest, imò cui præcipere & imperare potest, qvid ipsi faciendum sit.

146] Tertio excipit Janssenius *in Mariali Argentoratensi eqvidem legi, Mariam in corde suo vulnera sensisse, qvæ Christus in corpore sensit tempore passionis suæ, sed in sensu allegorico hoc asserere non esse impietatem; secundum illud Simeonis Luc.* 2. v. 35. *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Respond: non qværitur an Maria anxietates cordis senserit tempore passionis Filij sui, de qvo nullum est dubium, pientissimam Matrem ingenti mœrore fuisse perculsam, sed hoc qværitur, an fuerit adjutrix filij sui in passione, hoc est, an & ipsa pro peccatis totius mundi dolores illos cordis perpessa sit? hoc asseritur in Mariali Argentoratensi, cum Christus loqvens introducitur: *Ego torcular calcavi solus, & Vir de gentibus non fuit mecum;* cui respondetur: *Verum est Domine, vir tecum non fuit, sed fœmina* (Maria) *qvæ in corde suo vulnera sensit, qvæ tu in corpore gessisti.* Ita *Bernhardus de Bustis in Mariali lib.* 1. cap. 3. scribit: *Dominus fuit cum Maria, & ipsa cum Domina in eodem labore, & in eodem opere redemptionis:* hoc verò nos negamus, & Christū pro solo & unico Mediatore agnoscimus, qvi sine adjumento Mariæ & aliorum hominum opus

nostræ redemptionis perfecit. *Allegoriam* dum Janssenius prætendit, seqvetur Mariam allegoricam esse Mediatricem, merita ipsius qvoq; esse allegorica, redemptionem & liberationem ejus allegoricam, remissio igitur peccatorum exinde qvoq; allegorica seqvetur, & tandem, *Cœlum allegoricum, qvod fortè erit cœlum Monachorum.*

147] Qvartò *ad carmen Bonarscij dicentis nos lacte Mariæ à peccatis mundari*, excipit, *carmen illud valde pium esse, nam Pöetam hoc velle, per incarnationem Christi, qvæ facta est in utero Virginis, & per paßionem ipsius, in qva sangvinem effudit, remißionem peccatorum nos consequi*, addit etiam *qvod Maria dederit filium, qvem lacte Virginali nutrivit, Filius autem dederit sangvinem, qvem ex Mariâ sumpsit; imò si læva Christum qvis apprehendat, eo ipso Christus collocetur ad dextram, adeoq; Mariæ præferatur, cum hominis apprehendentis læva illud apprehendat, qvod ad ipsius dextram collocatur.*

148] Resp. Mira σκεπάσματα consuit iste Monachus, qvibus errores suorum gregalium tegere posśit. Versus *Bonarscij in Amphitheatro honoris Iesuitici, lib. 3. cap. 8. ita se habent:*

Hæreo Lac inter meditans, interq; Cruorem,
 Inter delicias Uberis, & Lateris;
Et dico, (si fortè oculos super ubera tendo,)
 Diva Parens, mammæ gaudia posco tuæ!
Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)
 ô Jesu, lateris gaudia malo tui!
Rem scio. Prensabo, si fas erit, ubera dextrâ;
 Lævâ prensabo vulnera, si dabitur

Lac Matris miſcere volo cum ſangvine Nati;
Non poſſem antidoto nobiliore frui.

(1) Hic Pöeta non loqvitur de Incarnatione λόγϐ, ſed de lacte Matris, de delicijs uberis Mariæ, de gaudijs mammæ, ambigit an ubera matris, aut vulnera filij debeat apprehendere. Tandem ait, ſe velle lac Matris cum ſangvine Filij miſcere *ad antidoton animæ:* hoc verò eſt idololatricum & ἀντίγραφον, lac Mariæ velle cum ſangvine Chriſti commiſcere ad expiationem peccatorum. De ſolo Sangvine Chriſti Scriptura teſtatur, qvod *mundet conſcientiam noſtram ab operibus mortuis Hebr.* 9. v. 14. *qvod mundet nos ab omni peccato* 1 *Joh.* 1. v. 7. *Chriſtus enim ſangvine ſuo nobis factus eſt propitiatorium Rom.* 3. v. 25. *non auro, nec argento,* (adeoq; nec lacte Mariæ) *ſumus redempti, ſed pretioſo Chriſti ſangvine,* 1 *Pet.* 1. v. 18. 19. (2) Mater eqvidem nutrivit Filium lacte ſuo, ſed exinde non ſeqvitur, propterea lac Matris eſſe antidotum animæ; Chriſtus qvoq; nutritus fuit piſcibus, panibus, carne agni paſchalis, interim non ſeqvitur, piſces illas, panes illos, & carnem illam eſſe antidotum animæ ad peccata expianda. (3) Miſera exceptio eſt, *qvod objectum ad hominis ſiniſtram inter duo objecta obtineat locum dextrum* (adeoq; ſi Chriſtus ſiniſtra & Maria dextera apprehendatur, Chriſtus tamen locum ſuperiorem accipiet) non enim qværitur, *qvo ordine* Chriſtus & Maria inter ſe collocentur, ſed *qvo animo, qvo affectu, qvâ fiduciâ* Chriſtus & Maria apprehendantur, ubi Maria Chriſto præponitur

tur à *Bonarscio* ubera Mariæ dexterâ suâ apprehendente, vulnera autem Christi lævâ, id est, majorem fiduciam in Mariam qvam in Christum collocante, non enim corporalis sed Spiritualis apprehensio hic intelligitur.

149] 2. Objeceram in Admonitione meâ, qvod *Gretserus lib. 2. de Discipl.* cap. 8. scribat; *sangvinem ab homine pio ex amore Christi & desiderio pœnitentiæ in flagellatione effusum, expiare peccata, & destruere potenter regnum Diaboli.* Janssenius verò ad hoc totus silet, *non* negat, liber enim est in manibus, non excusat, trepidat enim conscientia sua, silentio igitur præterit, adeoq; innuit, sese impiam doctrinam hanc defendere non posse.

150] 3. Objeceram, *merito Christi in Papatu qvoq; addi merita Sanctorum, inprimis Francisci,* cum Legenda *Francisci doceant, intuitum ænei serpentis in deserto Franciscum significasse,* num. 39. *ad vitam æternam nos duci â Christo per merita sancti Francisci,* num. 42. *Deum æqvè per Franciscum ac per Christum Crucifixum homines salvare;* respondet Janssenius, *se librum illum non legisse nec habere; non pauca legenda esse Apocrypha; similitudinem Christi & Francisci esse veram; sed nihil in re ponere, & si Francisci meritis salvemur, hoc tamen fieri virtute meriti Christi, qvod operibus Francisci dederit virtutem regnum cœlorum promerendi, Deum enim esse mirabilem in Sanctis Psal.* 67. imò *Paulum dicere, qvod salvos faciat suos auditores Rom.* 11. 1. Cor. 9. p. 94. 95.

151] Respond: (1) bruta responsio est Monachi, dum

dum ait, *se legenda non legisse, neq; ad manus habere.* Legat & evolvat Frater iste ignorantiæ *librum Conformitatum Francisci, Mediolani Anno 1510 excusum*, cujus titulus, *liber aureus.* Item *Alcoranum Franciscanorum Francofurti anno 1542. excusum, & veritatem deprehendet.* (2) *Non pauca Francisci Legenda Ecclesiam*, ait, *habere pro Apocryphis*; cur ergo in Papatu Monachi hisce Legendis Apocryphis Ecclesiam deceperunt? cur Monachi Franciscani hodierno die ad illa legenda adhuc provocant? Cur Imperatores, Pontifices, Cardinales ista Legenda suis privilegijs confirmarunt? Legenda omnium Sanctorum Coloniæ excusa Anno 1593. per *Johannem Gymnicum Imperatoris* privilegio sunt confirmata. Legenda Francisci â *Sedulio* edita, & *Antverpiæ per Johannem Morenum* Anno 1597. excusa, confirmantur commendatione Leonis X. Alexandri IV. Gregorij IX. Romanorum Pontificum qvi errare nõ possunt. Novem distinctæ editiones Legendorũ Francisci mihi sunt ad manus, edisserat Monachus, qvænã ex illis sint Apocrypha, & audiemus postea judiciũ Monachorum Franciscanorum. (3) *Veras*, ait, *esse similitudines de Christo & Francisco excogitatas qvoad externam formam, sed eas nihil in re ponere.* Mõstrosa hæc est responsio; fatetur Monachus has similitudines esse excogitatas, & tamen veras, qvomodo sunt veræ, si sunt excogitatæ? ait, *eas esse veras qvo ad formam externam, qvæ in re nihil ponat.* Si non est realis illa similitudo, qvomodo potest esse vera? *in formâ externâ*, ait, *consistere illam similitudinem*, sed cur Monachi de formâ

internâ hoc declarant, nos æqvè Francisci ac Christi vulneribus salvari? imò de formâ externâ adhuc qvæstio est, & unde Monachus probabit, Franciscum Christo similem fuisse in formâ externâ, hoc est, *in vulneribus*. *Canus lib.* 11. L. C. *cap*. 6. p. 533. 534 scribit: in *Legendis Sanctorum multa esse ficta, ut sine pudore non poßint legi, Ethnicos vitam Philosophorum melius scripsisse, qvam Christianos vitam Sanctorum*. Non levis igitur suspicio est, hanc Francisci similitudinem externam qvoq; fictam esse.

152] Meritum Christi operibus Francisci *contulisse virtutem promerendi nobis vitam æternam*, ait Janssenius, sed unde hoc probat? Franciscus in Scripturis est *non Ens*, Scriptura â merito Christi excludit omnium hominum merita, *non est in alio qvoqvã salus* (adeoq; nec in Francisco) *neq; est aliud nomen hominibus datum sub cœlo* (adeoq; nec Francisci nomen) *in qvo salvari poßint*, nisi (excluditur hic Franciscus) *in nomine Jesu* Act. 4. v. 12. *Sed Deus mirabilis est in Sanctis suis*, ait Monachus ex Psal. 67. hæc verba leguntur v. 5. Psal. 66. *Deus est mirabilis operibus suis inter homines*. Recenset Psaltes in illo loco opera Dei, *mare mutantis in aridum* v. 6. ut *sicco pede homines poßint pertransire*, qvomodo verò hæc evincunt, Franciscum nobis vitam æternam promeruisse? aut Christum Francisco vim merendi contulisse? â baculo ad angulum argumentatur ἄλογος iste Monachus. Paulus *Rom*. 11. 1. *Cor*. 9. ait, *se salvare suos auditores*, sed â Paulo ad Franciscum nulla est conseqventia, de illo Scri-

ptura

ptura hoc disertè exprimit, de hoc autem ne verbum aut jota in sacris reperies. Paulus qvoq; dum salvos fecit auditores suos, non hoc fecit vitam æternam operibus suis promerendo, ut de Francisco docent isti homines, sed ministerialiter, gratiam Dei & meritum Christi per verbum & Sacramenta applicando, qva de causa ministri dicuntur *συνεργοὶ θεοῦ* 1. Cor. 3. v. 9. non in opere meritorio, qvod soli Christo adscribitur, sed in applicatione & annunciatione illius meriti, qvo in sensu Timotheus dicit, *qvod sese ipsum & suos auditores salvet*, 1 *Tim*. 4. v 16.

153] 4. Objeceram in meâ Admonitione, qvod Pontificij doceant, *Christum tantum pro peccato Originali satisfecisse* ex *Gregor de Valent: lib*. 2. de *Missa* cap 2. Respondet Janssenius, *Catholicos ita non docere, nec Gregorium hoc velle; peccatum Originale Pontificijs verum esse peccatum* p. 96. 97. 98. 99. Respond. *(1)* Adduxi locum *Gregorij de Valentia* ex *lib*. 2 de *Missa* cap. 2. docentis, *Christum in Cruce pro peccato Originali semel se obtulisse, cum id semel possit contrahi, sæpius autem se offerre in Missâ pro peccatis actualibus, qvia sæpius committũtur*. Qværitur hic, *an Valentianus seriò docuerit, Christum in cruce pro peccato actuali etiam se obtulisse?* negativa ex hoc loco apparet, nervus enim totius discursus Valentiani est iste: *qvod peccatum semel contrahitur, pro illo semel Christus se obtulit, qvod autem sæpius committitur, pro illo sæpius sese offert*: & contra; *qvod peccatum sæpius committitur, pro illo Christus semel se non obtulit* opponuntur enim sibi *crebra peccati iteratio*, & *unica oblatio*, ita ut alte-

 rum

rum alterum tollat ex discursu Valentiani. Jam verò infertur, *peccatum actuale sæpius committi, ergo pro illo semel in cruce non satisfecit*, qvod apertè exinde seqvitur. Imò si pontificij seriò statuunt, Christum in cruce etiam pro peccatis actualibus satisfecisse, qvid ergò opus est oblatione in Missa? *uno sacrificio in æternum cōsummavit eos qvi sanctificantur Hebr.* 10. v. 14. Qvod si ergo Valentianus in alijs locis contrarium docet, facit, qvod isti homines facere solent, qvi Spiritu vertiginis ducuntur, & in omnibus ferè sibi ipsis contradicunt. (2) Miserrimè sese confundit Janssenius dum *Gregorium de Valentia* excusare satagit; p. 97. ait: *qvod Christus non offeratur in sacrificio Missæ pro peccato Originali, cum pro eo in cruce abundantissimè satisfecerit*; ibidem autem docet, qvod *Christus in cruce pro peccatis actualibus etiam satisfecerit.* Ex eo seqveretur, Christum in Missâ pro peccatis actualibus non offerri, ita enim argumentor: *pro qvo peccato Christus in cruce abundantißimè satisfecit, pro illo in Missa non offertur: atqvi pro peccatis Originali & actuali in cruce abundantißimè satisfecit, ergò nec pro peccato Originali nec actuali in Mißâ offertur.* Major & minor sunt Janssenij, Conclusio est contra doctrinam communem Pontificiorum.

154] Negat Janssenius Pontificios docere, qvod peccatum originale non sit peccatum: ita est, ægrè ferunt Pontificij sibi hunc errorem assignari, verum *tales illi de peccato originali habent hypotheses, ex qvibus non potest non seqvi, peccatum origi-*

originale non esse verum peccatum. Bellarminus lib. 1. cap. 1. *de amiss. grat.* & *statu peccati* scribit; *nihil habet propriè rationem peccati, nisi sit voluntarium*; subsumo, peccatum Originale non est voluntarium, ergò non est propriè peccatum. Ibidem ait; *peccatum est nomen operationis malæ, qvæ opponitur operationi virtutis*; atqvi in infantibus talis operatio mala non datur, ergò nec peccatum. *Lib. 5. cap. 9.* ait: *propter naturalia nemo justè reprehendi potest*; atqvi peccatum originis in Infantibus est naturale qvid, ergò justam reprehensionem non meretur. *Bellarm.* ait *lib. 1. de amiss. grat. & statu pecca: cap. 1.* p. 75. *Lex propriè non datur nisi ijs, qvi habent usum liberi arbitrij*; si autem subsumatur; infantes non habent usum liberi arbitrij, seqvitur, nec illis legem datam esse, adeoq; peccatum originis, qvod habent, non esse ἀνομίαν. Qvid qvod Pontificij communiter doceant, *Concupiscentiam non esse peccatum*; cum tamen peccatum originale per concupiscentiam se potissimum exserat. Ex hisce fluit conclusio, peccatum Originale peccati propriè dicti rationem non habere.

155] 5. Objeceram, Pontificios præter meritum Christi reqvitere opera hominum satisfactoria, teste *Canisio* in *Catechesi*, & *Bellarm. lib. 4. de Justif.* cap. 7. contra Scripturam *Gal.* 2. v. 16. Rom. 11. v. 6. qvæ opera nostra simpliciter excludit. Respondet Janssenius (1) *opponendo aliqvot dicta Scripturæ de merito operum loqventia.* (2) *homines in tres status dividendo & mentem*

Pon-

Pontificiorum explicando. (3) *Ad dicta â me allegata respondendo.* p. 101. ad 107. Assumamus ordine singula.

156] *1.* Ad Dicta Scripturæ ex *Bellarmino lib. 4. de Justif. cap.* 8. desumpta, respondemus *Philip. 2. v.* 12. *cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Resp: vox ἐργάζεσθαι seu operari ita nude & simpliciter posita, nunqvam significat bona opera facere, & faciendo vitam æternam efficere aut promereri, nam & homines dicuntur *operari iniqvitatem* Sap. 3. v. 14. *Matth.* 7. v. 23. verum operari in scripturis plerumq; idem significat ac *qværere* vel *acqvirere* aliqvid, qvamvis res acqvisita non ex merito, sed ex dono vel gratiâ habeatur. Ita Christus jubet *operari cibum non pereuntem, sed permanentem in vitam æternam* Joh. 6. v. 27. hoc est, qværere vitam æternam, non ex merito impetrandam, sed sine merito & gratis, addit enim in seqventibus, Filium *hominis daturum ipsis hunc cibum sine illorum labore & merito*, sicut cibum corporalem paulo ante dederat. Et cum Judæi qværerent, qvid faciendum sit, ut operentur opera Dei, jubet eos credere, hoc enim est *opus Dei, ut credant in eum, qvi misit me*, inqvit v. 29. Apparet ex hisce, qvid sit *operari salutem suam*, cum enim opus Dei, qvod pij debent operari, sit *fides*, operari salutem nihil aliud erit, qvam credere in Christum, illam fidem qvotidie exercere, & in eâ perseverare, qvæ interpretatio cõformis est doctrinæ Pauli in omnibus locis meritum operum in negotio salutis reijcientis, & fidei tantùm salutem

no-

nostram adscribentis, qvæ tamen fides per bona opera sese exerat.

157] 2*Cor*.7.v.10. *Tristitia qvæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutē stabilem operatur.* Respond: Apostolus in hoc loco duplicem tristitiam introducit, unam *hujus mundi*, qvæ oritur ex Spiritu mundano, & est propria filiorum hujus seculi, qvi dolent vel propter jacturam bonorum corporalium, vel tristantur ex impatientiâ castigationis, vel sentiunt morsus conscientiæ sine ullâ verbi consolatione: altera autem *secundum Deum*, nascitur ex Spiritu Dei movente corda circa res Spirituales, ut de jacturâ illarum, & de peccatis doleamus. Hæc posterior tristitia semper conjuncta est cum vivifica Spiritus Sancti consolatione, qvi enim tristantur secundum Deum in salutem, hi salutariter â Deo qvoq; Consolationem percipiunt, qvi est *Deus omnis consolationis* 2 Cor. 1.v.3. qvi *habitat cum Spiritu humili & contrito, & vivificat Spiritum humilium, & Cor contritorum Esa.* 57. v. 15. De hac tristitia, inqvit Apostolus, *qvod operetur pœnitentiam* εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον scilicet propter consolationem illam vivificam, cujus non aliter reddimur participes, nisi per fidem in Christum, qvi sanctissimâ suâ obedientiâ & perfectissimâ satisfactione vitam æternam nobis promeruit, ideo qvi credit in eum, habet vitam æternam.

158] 2*Cor*.4.v.17. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis.* Respond: Non est

est mens Apostoli, qvasi patientia & afflictiones nostræ mereantur vitam æternam. Nam (1) negat hoc in alijs locis, *passiones hujus seculi non sunt condigna gloriâ futurâ in nobis revelandâ* Rom. 8. v. 18. *si ex gratiâ, jam non ex operibus* Rom. 11. v. 6. unde vita æterna χάρισμα dicitur Rom. 6. vers. 23. *donum gratiosum*, qvod absq; merito datur. (2) Dum Apostolus passiones hujus seculi vocat *leves & momentaneas*, gloriam autem futuram *æternam & ponderosam*, eo ipso docet, nullam esse proportionem inter afflictiones hasce & illam gloriam, qvæ enim est proportio momentanei ad æternum, levis ad pondus? adeoq; meritum vitæ æternæ ab afflictionibus removet. (3) *Vox* κατεργάζεσθαι non notat causam efficientem meritoriam, sed *ordinem*, qvo Deus utitur, dum vitam æternam pijs confert, qvod fit afflictionibus illos subjiciendo, & postea ad gloriam evehendo, per *multas enim tribulationes oportet nos ingredi regnum cœlorum* Act. 14. v. 22. Ita dicimus qvod labor operetur eruditionem, qvo innuitur, Deum uti hoc medio, & per laborem nobis eruditionem largiri. (4) Vocem *operari* non semper denotare causam meritoriam patet ex *Rom.* 4. v. 15. ubi Paulus ait: *Lex iram operatur.* Vox *operari* hic certè non notat causam efficientem meritoriam, *bonum enim præceptum nobis mors non potest fieri*, teste *Paulo Rom.* 7. v. 13.

159] Rom. 8. v. 13. *si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Resp. Nulla est conseqventia,

tia, homo vivet, si mortificabit carnem, ergò istâ mortificatione meretur vitam æternam : peccando meremur qvidem mortem æternam, sed non benè operando vitam æternam, causa est, qvia peccamus ex nobis ipsis, carnem verò mortificare non possumus ex nobis ipsis, vivere secundum carnem est perfectè malum, sed mortificare carnem non est perfectè bonum: Paulus innuit hanc diversitatem dum ait : *Stipendium peccati mors est, donum autem Dei vita æterna in Christo Jesu* Rom. 6. v. 23. cum ergò mortificatio carnis reqviritur ad vitam, non fit ideò qvasi sit meritum & causa salutis, sed ut fructus fidei, qvia fides iterum potest amitti, si in peccatis contra conscientiam vivamus, qvi enim bonam conscientiam repellunt, *faciunt naufragium circa fidem* 1Tim. 1. v. 19. & propter peccata Paulus docet *venire iram Dei super filios incredulitatis Coloss.* 3. v. 6.

160] *Rom.* 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Respond: Paulus describit in hoc loco veram fidem, qvalis illa sit, qvæ salutem conseqvatur, nempe viva & efficax, pariens fructus confessionis & invocationis, ita David inqvit, *credidi propter qvod locutus sum,* Psal. 116. v. 10. *habentes eundem Spiritum fidei & nos credimus, propter qvod & loqvimur* 2Cor. 4. v. 13. sed ex eo non seqvitur, ergo Confessio, seu aliud bonum opus promeretur salutē, sed hoc seqvitur, ergo reqviritur ad contestandam fidem & salutē, qvæ per fidem in Christum acqviritur, hinc illa phrasis, *ad Salutē,* non denotat *causam* salutis, sed

ſed *ordinem*, qvo ad ſalutem pervenimus. Vera enim fides licet non ſit in adultis ſine externa confeſſione, ipſa tamen confeſſio fidei, eſſentiam non ingreditur, nec unâ cum fide juſtificat, ſed tantùm ex fide oritur, ſicut enim *fides eſt efficax per dilectionem Gal.* 5. v. 6. ita qvoq; eſt efficax per confeſſionem. Videatur *Mentzerus Tom* 1. *Diſp. Giß.* qvi hoc integrum caput nervoſiſſimè explicat.

161] *Jacob.* 1. v. 25. *Qvi perſpexerit in legem perfectam libertatis & permanſerit in eâ, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Reſpond: docet Jacobus in hoc loco bona opera habere relationem ad hominem beatum, tanqvam adjuncta ad ſubjectum, non verò ad beatitudinem ipſam hominis tanqvam cauſa ad effectum: opponit enim *nudæ auditioni actionem*, ita ut pronunciet, beatitudinem ſitam eſſe, non in auditione nudâ ac γνώσει, ſed in πράξει, *eſtote factores verbi, nõ auditores tantùm, fallentes vos ipſos* v. 22. Iſtud factũ verò aut *facere* nihil eſt aliud, qvam *permanere in lege Dei*, ut Jacobus loqvitur, hoc eſt verbũ Evangelij corde fideli recipere, & juxta præſcriptum legis piè vivere, ſecundum illud Chriſti, *ſi manſeritis in ſermone meo Diſcipuli mei eritis* Joh. 8. v. 31. Qvomodo autem ſeqvitur? beatus eſt homo qvi manet in ſermone Chriſti, & facit voluntatem Dei, ergò faciendo & permanendo vitam æternam promeretur vel operatur. Facere iſtud & permanere non eſt cauſa meritoria beatitudinis, ſed pertinet ad ordinem, qvo Deus utitur, dum credentibus ſalutem æternam confert.

162] *Jacob.* 2 v. 24. 26. *Videtis, qvomodo ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm, fides sine operibus est mortua.* Respond: *Bellarm.* lib. 1. *de Justif.* cap. 16. negat hunc locum esse intelligendum de formâ Justificationis, ait enim *justitiam, qva formaliter justificamur, non esse actualem sed habitualem*, adeoq; hoc dictum de secundâ justificatione exponit *lib.* 4. *de Justif. cap.* 18. Janssenius ergò in hoc *Bellarmino* est contrarius. Notandum verò est, Jacobum usurpare voces *fidei* & *justificationis*, non ut Paulus, dum ait: *nos solâ fide justificari*, sed sensu peculiari. Paulus per fidem intelligit *fiduciam*, Jacobus *notitiam solam* articulorum & fidei Christianæ professionem. Paulus per justificationem intelligit *peccatorum remissionem*, Jacobus autem *justitiæ declarationem*, seu justi judicationem fatente Bellarm. lib. 2. de Just. cap. 16. ait enim *ostende mihi fidem tuam* v. 18. ita vox hæc usurpatur Matth. 12. v. 37. *ex sermonibus tuis justificaberis*, id est, justus declaraberis. Sensus igitur Jacobi est talis: Homo non ex fide tantùm, sed etiam ex operibus justificatur, id est, non sufficit externa fidei professio, & notitia articulorum fidei, sed reqviruntur etiam opera verè Christiana, ex qvibus de homine justificato potest judicari. Probat hanc suam sententiam (1) à simili v. 15. 16. 17. Non enim illum habere veram fidem, qvi fratri indigenti non subvenit. (2) Qvia illa externa fidei professio sæpe reperitur in impijs & immisericordibus v. 15. 16. (3) Qvia fides, si opera non habeat, mortua sit per se, v. 17. id est, mortua esse arguitur v. 26. nam causa, effectu deficiente, perit.

(4) Qvia ex operibus fides ostenditur v.18. & perficitur, id est, perfecta declaratur v. 22. homines enim neqveunt intueri corda (qvod solius Dei est, 1 Reg. 8. v. 39.) sed ex operibus judicant de fide. (5) Qvia Diaboli etiam credunt & cohorrescunt v. 19. sæpe enim professus est Satan, Christum esse Filium Dei *Matth*. 8. v. 29. *Mar*. 1. v. 24. *cap* 3. v. 11. *cap*. 5. v. 7. *Luc*. 4. v 34. *cap*. 8. v. 28. *Act* 19. v. 15. (6) Qvia Abraham *justificatus*, id est, justus declaratus est ex operibus v 21. id qvod ostenditur ex Scripturæ testimonio Gen. 22. v. 12. & 15. v. 6. & tandem ita concludit Apostolus v. 24. *videtis igitur qvod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum*; qvasi dicat, si velis haberi pro homine verè Christiano & justo, non tantum externa voce profitearis te baptizatum esse. & in Christum credere, sed opus est, ut hanc fidem tuam ostendas, exeras, declares bonis operibus, tanqvam certis effectis. (7) Adducitur etiam exemplum *Rahab*, qvæ & ipsa operibus suis ostendit & probavit, se lõgè aliam fidem habuisse, qvam mortuã: ideoq; verâ & vivâ fide justificata est, unde Hebr. 11. v 31. dicitur: *per fidem suscepit Rahab exploratores*. Videatur Meisn. Anthropol. Disput. 28. thes. 24.

163] II. Monachus *distingvit hominẽ in tres status*, & mentem Pontificiorũ explicat, statuentiũ, qvod homo (1) *per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ in ipsâ justitiâ per gratiã Christi acceptâ crescat fide bonis operibus cooperante, adeoq; magis justificetur ex Apoc. 22. Jacob. 2. (2) pœnitentiam post lapsum includere peccati detestationem, oris confessionem, & operum bonorũ satisfactionem pro pœnâ temporali, qvæ*

non

non semper remittatur 2 Reg.12. & 24. Num.12. & 20. (3) per fidem nos ideo justificari, qvia sit initium salutis & fundamentum justificationis, gratis autem, nihil enim qvod praecedit justificationem, nec fides nec opera ipsam gratiam justificationis promerentur. (4) Hominem per bona opera magis justificari, & abundare posse cum omni opere bono 1 Cor.15. opera autem satisfactoria ex gratiâ Dei talia esse Dan.4. Prov 16. ac juxta haec debitam illis deberi mercedem vitae aeternae Rom.8, p.102. 103. 104. 105. 106. Respondebimus ad singula.

164] *1.* docet *hominem per gratiam Jesu Christi semel justificatum, per observationem mandatorum Dei & Ecclesiae magis justificari, adeoq; in justificatione per bona opera crescere, ex Apoc. 22. Eccles. 18. Jacob. 2.* Dicta verò citata hoc non evincunt. *Apoc. 22. v. 11. qvi justus est, justificetur adhuc.* Qvidam Pontificij hoc dictum citant pro infusione justitiae, qvam vocant primam justificationem, Monachus autem iste citat pro justificatione per bona opera, qvam aliàs vocant secundam; itaq; inter se dissentiunt. In illo autem loco distingvitur *justificatio* à *sanctificatione*, & additur, qvi *sanctus est, sanctificetur adhuc.* Vox ἔτι autem seu *adhuc* est ambigua, interdum notat rei *incrementum*, interdum *continuationem*, priori sensu sumitur in *sanctificatione* posteriori autem *in justificatione*; justificatio enim magis & minus nō potest recipere, cū sit relatio nō qvalitas. *Justitia nostra est Christus 1 Cor.1. v 30.* qvi totus apprehenditur â fide parvâ & magnâ, ἔτι ergo nō denotat μᾶλλον vel πλεῖον sed προσώπερον

ſeu *ulterius*: qvaſi dicat, qvi juſtus eſt, juſtificetur adhuc, qvi veniam peccatorum ſuorum conſecutus eſt, ſtudiosè vivat, ut hoc imputatæ juſtitiæ beneficium retineat, inſtet qvotidie petendo, ut delicta remittantur, poſt lapsũ in peccata ſubinde redeat ad Deum. Sicut enim peccatorum remiſſio, ita qvoq; juſtificatio noſtra qvotidie renovatur.

165] *Syr.* 18. v. 22. *Non expectes usq; ad mortem juſtificari & Deo reconciliari, ſed in tempore peccatorum oſtende converſionem.* Hoc dictum non loqvitur de incremento aliqvo juſtificationis per opera, ſed hortatur hominem, ut abſtineat à peccatis & vitam emendet, dum peccare poteſt, aliàs in morte homo non relinqvit peccata, ſed peccata relinqvunt hominem, & multi ſubitaneâ morte abripiuntur, anteqvam pœnitentiam agere poſſunt. Dictum Jacob. 2. v. 24. non tantùm ex fide, ſed etiam operibus nos juſtificari, explicatum eſt pag. præced.

166] 2. Docet Janſſenius *tria ad pœnitentiam reqviri, peccati deteſtationem, oris confeſſionem cum abſolutione, & operis ſatisfactionem pro pœnâ temporali, qvæ non ſemper remittatur, Num.* 12. 2. *Reg.* 12. & 24. Reſpond. veterem cramben recoqvit: rejicitur iſte diſcurſus de pœnitentiâ (1) qvia fides exterminatur, cujus tamen reſpectu peccata remittuntur. (2) Qvia iſti tres actus locum qvoq; in ijs habent, qvi veram & ſalutarem pœnitentiam non agunt, ut hypocritæ. Atqvi *Davidi & Iſraelitis Deus pœnam intulit* 2 *Reg.* 24. *Num.* 12. *Ergo remiſſa culpa manet debitum pœnæ luendæ.* Reſpond: hac ratione ſeqveretur in Baptiſmo etiam non omnem

omnem pœnam remitti, cum poſt Baptiſmum infantes varijs morbis & morti ſint obnoxij, conſeqvens autem eſt abſurdum & falſum, ergo & antecedens. Non eqvidem negamus Deum imponere calamitates etiam reconciliatis, interim nec ſemper, nec omnibus imponit, exemplo *Paralytici Matth. 9. Mulieris peccatricis Luc. 7. Publicani Luc. 18. Zachæi Luc. 19. Petri Matth. 26.* Ergo non eſt univerſale ac perpetuum, ac proinde non poteſt vocari debitum, qvod ſemper eſſet exſolvendum. Cauſæ verò cur Deus reconciliatis imponat calamitates non ſunt merita remiſſionis peccatorum, vel ſatisfactiones pro peccatis, verùm ſunt admonitiones de reliqvijs peccati in carne adhuc hærentibus, ſunt frena ad coercendam carnem, ne inpoſterum peccato indulgeat, ſunt exempla, qvibus alij ad peccati odium incitantur, ſunt inſtrumenta Dei gloriæ inſervientia, qvod eleganter explicat *Chemnitius in Exam. Concil. Trident: part. 2. cap. de ſatisfact:* Proveniunt autem iſtæ Calamitates non â Deo irato, ut apud Impios, ſed â Deo placato, *qvi humiliat Filios hominum, ſed non abijcit Thren. 3. v. 33.* ſunt caſtigationes paternæ, adeoq; propriè non poſſunt dici pœna, qvæ remittitur culpa remiſſa. Cum verò Iſraëlitæ, David & alij jejunarunt, in cinere & ſacco pœnitentiam egerunt, eo ipſo non ſatisfecerunt pro pœnis peccatorum, qvod nullibi dicitur, nec Monachus locum aliqvem citare potuit. Fatentur enim ex gratuitâ miſericordiâ propter Meſſiam ſibi peccata remitti *Pſal. 130. v. 3. 4. Pſal. 143. v. 1. 2. Dan. 9. v. 7. 16. 17.* verùm teſtati ſunt iſtis afflicti-

onibus ſeriam cordis contritionem, eamq; in calamitatibus publicis & privatis exſuſcitarunt.

167] 3. Docet, *cur fide & gratis dicamur juſtificari, qvia ſcilicet fides ſit initium, radix & fundamentum juſtificationis, & nihil eorum, qvæ præcedunt, mereantur juſtificationem.* Reſpond: Dicimur fide juſtificari, qvia fides eſt illud medium, qvo apprehendimus Chriſtum, *qvi nobis factus eſt juſtitia.* Fides illa in Chriſtum non tantùm eſt initium, ſed vera cauſa organica juſtificationis *Rom* 3. v. 25. *Deus Chriſtum propoſuit propitiatorium per fidem in ſangvinem ejus Rom.* 4 v. 5. *fides imputatur ad juſtitiam Act.* 13. v. 39. omnis *qvi credit in Chriſtum, juſtificatur.* Gratis autem & ſine operibus dum dicimur juſtificari, Monachus eqvidem opera præcedentia tantùm excludit, ſed Scriptura *omnia* opera excludit, tam ſeqventia qvam præcedentia *Rom.* 3. v. 20. *Rom.* 4. v. 2. *Gal.* 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8. *Tit.* 3. v. 5. *Phil.* 3. v. 9. probamus hoc (1) qvia tota lex adeoq; omnia legis opera opponuntur fidei in juſtificatione *Rom.* 3. v. 20. 21. *Gal.* 2. v. 16. 17. *cap* 3. v. 18. (2) Qvia Apoſtolus indiſtinctè ait, ex operibus legis non juſtificari carnem. (3) Qvia omnia opera gloriationem parientia (qvalia etiam ſunt ea, qvæ fidem ſeqvuntur) excluduntur Rom. 4. v. 2. (4) Qvia de operibus impiorum nunqvam fuit diſputatum â Pſeudoapoſtolis, qvod illa juſtificent, ſed de operibus piorum. (5) Qvia opera ſeqventia juſtificationem, non poſſunt juſtificare, dum enim juſtificationem ſeqvuntur, eo ipſo præſupponitur, juſtificationem eſſe peractam ſine operibus. (6) Qvia opera *Abrahami Rom.* 4. v. 1. 2.

Davi-

Davidis Psalm. 143. v. 2. *Galatarum cap* 2. v. 16. *ipsius Pauli Phil.* 3. v. 8. (qvi omnes fuerunt renati & justificati) illos non poterant justificare. (7) Qvia Paulus disertè opponit Legem & Evangelium, fidem & opera, credere & facere. Fide justificamur *Rom.* 3. v. 28. *sine operibus*, *ibid. non operando*, *sed credendo cap.* 4. v. 5. *imputatione secundum gratiam*, *ibid. ex gratiâ cap.* 3. v. 24. *propter Christum*, *ibid. sine lege*, *cap.* 3. v. 21. *non nisi per fidem Gal.* 2. v. 16.

168] 4. Docet Janssenius *per opera hominem magis justificari*, *ex* 1. *Cor.* 15. *Dan.* 4. *Prov.* 16 *interim opera illa mereri vitam æternam*, *propter dignitatem Spiritus Sancti.* Respond: dicta allegata hoc prorsus non evincunt. 1 *Cor.* 15. v. ult. hortatur Paulus Auditores suos, ut *sint constantes & in bono opere Domini abundantes.* Qvomodo autem hinc seqvitur, nos operibus bonis justificari? qvi abundat in bono opere, is per bonum opus justificatur, unde Monachi hanc conseqventiam probant? *Dan.* 4. v. 24. *Redime peccata tua Eleemosynis.* In textu Hebræo non habetur in *Eleemosynis*, sed בִּצְדָקָה in justitiâ; ideo Lutherus vertit: Mache dich loß von deinen Sünden durch Gerechtigkeit / vnnd ledig von deiner Missethat / durch Wolthat an den Armen. Sensus talis est: age veram pœnitentiam (hoc innuit vox justitiæ) & expia peccata tua misericordia & beneficentia erga pauperes, hoc est, ostende coram hominibus liberalitate in pauperes, te veram pœnitentiam egisse. Qvidam ex-

plicant de *pœnarum temporalium ablatione*, Rex enim Nebucadnezar fuit injustissimus, qvi gravissimis expilationibus subditorum peccaverat, æqvum itaq; erat, ut pœnitentiam seriam per beneficentiam in pauperes subditos qvoq; declararet, & pœnas temporales averteret, secundum illud, *beatus qvi beneficus est pauperi, in die malâ liberabit illum Dominus Psal.* 41.v.2. Daniel qvoq; tali verbo utitur in suâ lingvâ, qvod significat *abrumpere, sistere*, qvasi dicat, abrumpe tua peccata in justitiâ, qvalem verò justitiam intelligat, declarat cap. 9. v. 18. *non in justitÿs nostris prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis*. Ex eo rectè deducitur â nonnullis, intelligi in hoc loco peccata non præterita sed futura, hoc est, cum bona opera exercentur, mala præcaventur, Deo Sanctos conservante, ne in peccata dilabantur.

169] *Prov.* 16.v.6. *Misericordia & veritate redimitur iniqvitas.* Qvidam respondent, misericordiam non hominis sed Dei in hoc loco intelligi, præserrim cum v. 7. dicatur, *cum Jehova vias alicujus benevolentiâ proseqvitur, inimicos qvoq; ejus convertit ad pacem.* Sin autem hominis misericordia hic intelligatur, non nisi de pœnis temporalibus sermo est, qvæ per misericordiam erga Pauperes avertuntur. Qvicqvid sit; certum est, redimere â peccatis esse opus solius Christi, qvo Salvatore opus non fuisset, si beneficentiâ & Eleemosynis peccata expiari potuissent; redemptio enim est opus infinitæ potentiæ, justitiæ & bonitatis, qvod â solo Christo peractum est.

170] III. Monachus respondere satagit ad dicta. *Gal. 2. v. 16. opera tantum præcedentia â justificatione excludi*, ad qvod pag. præceden: responsum est. Ad dictum verò *Rom. 11 v. 6. Lutheranos esse falsarios, nec enim in veteri vulgata editione, nec in Hieronymi translatione illa legi.* Respond: Græcus textus est authenticus, in qvo leguntur hæc verba: *si autem ex gratia, non jã ex operibus, alioqvin gratia non jam est gratia, si autem ex operibus, non amplius est gratia, alioqvin opus non est opus:* Monachus ergo dum hoc dictum non integrum legit in codice biblico, falsi crimen committit, cujus tamen nos accusat; ita qvoq; legunt *Ariasmontanus, Pagninus* & alij Pontificij. Lutherus autem in translatione Bibliorum non nuda respexit verba, sed *ipsum sensum expressit*, cum ergo græcus textus habet ἐξ ἔργων Lutherus vertit ex *merito operum*, hoc enim Paulus intelligit, gratiam & opera opponendo; gratia excludit meritum, & opera scilicet meritoria excludunt gratiam: nihil ergò Monachus ad hoc dictum respondet, sed manet assertio nostra, gratiam Dei in opere justificationis omnia opera meritoria excludere.

171] Tandem objeceram, *Pontificios meritum Christi verbis extollere, sed in re ipsa obscurare & deprimere hominum satisfactionibus.* Respondet ad hæc Monachus (1) *Meritum Christi esse infinitum*, at si infinitum est, cur ergo addunt Monachi opera sua? infinitum non patitur additionem in suo genere, alias non esset infinitum: sed meritum Christi, ait Janssenius, est infinitum, scilicet, qvatenus est meritum, seu qvoad virtutem merendi:

Ergo additionem alius meriti non patitur. (2) *Ait, Lutheranos fateri, Catholicos in Papatu, hoc est, Idololatras in Idololatria posse salvari.* Sed nugator iste cōtra conscientiam pervertit sensum nostrū. Nos dicimus *in Papatu multos salvari per Christi agnitionem*, non verò per Papatus doctrinam; aliud est salvari hominem in *Papatu*, aliud *per Papatum.* (3) Negat Pontificios docere, qvod Christus non abundè satisfecerit; imò hoc docet ipse Janssenius in hoc Capite, dum astruit merita nostrorum operum. Aut Christus abunde satisfecit, aut opera nostra satisfaciēt, sed hoc docet Janssenius magno cum labore, ergò Christum non abunde satisfecisse credat necesse est, abundantia enim satisfactionis respuit omne additamentum. (4) Ait, Christū *suo merito nostris operibus communicasse virtutem satisfaciendi & vitam æternam promerendi*, sed ne unicum (notet hoc Lector) ne unicū Scripturæ dictum adducit, neq; p. 32. qvorsum provocat, adducere potuit, qvo ista doctrina contineatur, est igitur somnium Romani Pontificis & Monachorum. (5) *Negat docere Pontificios, Christum non esse solum Mediatorē generis humani, & ad superiora provocat*; atqvi ego hoc demonstravi in principio Capitis, qvorsum provocò. (6) Ait, *Catholicos non pugnare in doctrinâ de merito Christi & merito operū*; omnino pugnant. Si merito operū salvamur, ergo Christus nō satisfecit; aut si satisfecit, nostrâ satisfactione nō opus est, ut sæpius demōstravi. Cætera qvæ annectit, sunt otiosæ præcedentiū repetitiones, & principij petitiones. Stāt igitur firma & inconcussa omnia, qvæ in hoc Capite Admonitionis meæ adduxi.

Ca-

Caput Septimum.

De miserrimo Morientium in Papatu Solatio.

171] CONjungit *Janssenius* duo Capita Admonitionis in hoc unico, scilicet de ijs, *quæ Pontificij præter & contra Scripturam docent, & de Consolationis defectu apud morientes* in Papatu. Contra prius adduxi loca Deut. 4. v. 2. Esa. I. v. 12. Mar. 7. v. 7. 8. Et in specie dogmata ista præter & contra Scripturam excogitata enumeravi. Rejecit autem Janssenius responsionem ad specialia in Capita posteriora, ac in genere tantùm respondet ad locum Deut: 4 v. 2. *non addetis, neq; auferetis ex eo, non declinabitis ad dextram neq; ad sinistram*; Deum *præcipere, ut præcepta Mosaica integrè observentur, & in illorum observatione nihil addatur nec detrahatur, non autem hoc intelligi qvasi nova præcepta non essent addenda, aliàs non licuisset præcepta de Trinitate, Baptismo & Eucharistia addere.*

173] Respondeo: utrumq; Deus in hoc loco per Mosen præcipit, ut scilicet mandata sua integrè serventur, & ut mandatis suis nihil addatur vel detrahatur; summatim, de theoriâ & praxi loqvitur Deus in hoc præcepto, & ad utrumq; homines obligat. Qvod verò Prophetæ & Apostoli multa postea addiderint, hoc factum est autoritate divinâ, de qvâ hic non loqvimur, Deus enim non sibi sed hominibus hoc præceptum dedit; Prophetæ & Apostoli non humano arbitrio, sed divinâ inspiratione id fecerunt

neq;

neq; addiderunt ἑτερογενὲς aliqvid ad legem, ſed eam plenius expoſuerunt & vaticinia de Meſſiâ clarius explicarunt, unde etiam profitentur ſe *nihil docere extra Moſen & Prophetas Act: 26. v. 22.*

174] Ex *Becano* urget *Janſſenius*, *ſi illa praecepta pertinent ad omnes homines, utiq; ad Lutheranos etiam pertinent, qvi ſeſe non circumcidunt, nec alias leges Ceremoniales obſervant, imò aliqvid de lege Dei auferunt.* Sed reſpondemus; Circumciſionem & Leges Ceremoniales ideo non obſervamus, qvia Chriſtus abrogavit, qvod Pontificij aliàs non negant, neq; enim ſe ipſos circumcidunt. Deus Pater hoc præceptum de non auferendo non dedit ſibi aut Filio ſuo, ſed nobis, neq; nos hoc abrogavimus, ſed *Chriſtus*, qvo in carne exhibito, circumciſione non amplius opus eſt, qvippe in cujus locum Baptiſmus ſucceſſit *Coloſſ. 2. v. 11. 12.* Nos aliqvid auferre de Lege Divinâ (præter ea, qvæ Chriſtus abrogavit) accuſamur eqvidem, ſed Janſſenius nullo exemplo hoc probat. Judaicarum & Pontificiarum traditionum ſimilitudinem Capite præcedente ſatis evicimus.

175] Tranſit jam Adverſarius ad locum *de ſolatio morientium in Papatu*, qvod ſolatium nullius ponderis & virtutis eſſe demonſtravi (1) ex dubitatione de fide & gratiâ Dei (2) Ex dubitatione Baptiſmi cujus veritas dependeat ex intentione Baptizantis, de qva nemo certus ſit. (3) Ex enumeratione omnium peccatorum in Confeſſione, in qvâ faciliimè qvædam poſſint omitti. (4) Ex legis impletione, qvæ in hac vitâ ſit impoſſibilis (5) Ex ope-

operum satisfactione, qvæ nulla sit. (6) Ex paucorum hominum ad vitam æternam prædestinatione (7) Ex purgatorij terribili recordatione. (8) Ex dubitatione redemptionis ex purgatorio, de qva moriens certus esse neqveat. Hæc omnia Monachus vocat *fabulas & qvisqvilias, qvibus plebs nostra fallatur*, & ad singula respondet seqventibus.

176] I. Docet *neminem in hac vitâ habere posse certitudinem de fide suâ, nisi qvibus Deus hoc speciali revelatione indicet*, qvod probat *qvatuor dictis Eccles.* 9. *Eccl.* 5. 1 *Cor.* 4. *Philip.* 2. Sed vetus crambe est, qvam Monachus recoqvit, dicta illa ad rem nihil faciunt.

177] Primus locus *Eccles.* 9. *v.* 1. *Sunt justi & sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed in futurum servantur omnia incerta.* Respond: (1) Si hic locus simpliciter intelligatur, seqvetur nec justos scire an sint in gratia, nec injustos vel impios, an sint in odio; Salomo enim de qvovis homine loqvitur in genere, sed conseqvens est absurdum ergo & antecedens (2) Vitio laborat vulgata versio in hoc loco, qvæ addit, *omnia in futurum servantur incerta*, qvæ in textu Hebræo non leguntur, qvod etiam vidit *Pagninus* Pontificius, qvi verba illa non legit, ex vitiosâ igitur versione, vitiosum Pontificij nectunt argumentum. (3) Adhuc in dubio est, qvid per gratiam & odium hoc in loco intelligatur, odium divinum vel humanum; Pontificij intelligunt divinum, sed nos humanum, nam v. 4. & 5. dicitur, *qvod viventes qvidem diligantur, sed post*

post mortem cesset & amor & invidia & odium eorum, canis enim vivens melior leone mortuo. Declaratio igitur per odium humanum conformis est textui (4) Si maximè de odio & gratiâ divinâ hic esset sermo, illa tamen incertitudo aut alienā aut propriam concerneret gratiam; si alienam, hoc nihil absurdi est, nemo enim potest scire infallibiliter an proximus suus sit in gratia vel odio, signa enim externa sæpius decipiunt, ut videmus in hypocritis. Si propriam; intelligitur hoc cū limitatione, hominem nescire an sit sub gratia, si scilicet ab externo eventu judicare velim, de qvo ibi Salomon loqvitur. (5) *Salmerō* 1 *Cor.* 12. *Disp.* 14. negat ex hoc textu probari posse incertitudinem gratiæ divinæ, cui Janssenius noster contradicit.

178] Secundus locus legitur *in Ecclesiastico cap.* 5. *v.* 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas: miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur,* de qvo loco ait Janssenius, *illum mirificè pungere omnes hæreticos.* Respond: in hoc textu nihil legitur *de fide dubitante*, aut incertâ peccatorum remissione, sed monet Ecclesiasticus ne qvis peccet spe veniæ futuræ, verba enim, *de propitiato peccato*, in fonte Græco non leguntur, sed versio vitiosa vitiosum Pontificijs gignit argumentū Ita sonant verba: *περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ*, id est, *de propitiatione non sis sine metu supra modum*; hoc est, ne tibi imagineris propitiationem dum peccas, & in spem divinæ misericordiæ delinqvis. Hunc sensum dicti expli-

explicant verba seqventia, *& ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Dictum igitur hoc de dubitatione remissionis peccatorum semel factæ non loqvitur.

179] Tertius locus est *Pauli, 1Cor.4.v.4.Nibil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qvi autem judicat me, Dominus est.* Respond: (1) Dubitatio de gratiâ Dei & remissione peccatorum ex hoc loco non potest deduci. Paulus enim non loqvitur dubitanter, sed asseveranter, non ait, nihil qvidem mihi conscius sum *sed nescio an hinc justificatus sim:* verum ait, nihil mihi conscius sum, *sed in hoc non justificatus sum*, Expresse igitur omnem justificationem & vim justificandi suis operibus derogat, novit enim opus suum esse tum debitum, tum imperfectum, cui multa venialia peccata adhærent. (2) Paulus loqvitur principaliter in hoc dicto de fidelitate in ministerio suo, versu enim secundo ait, in dispensatore hoc reqviri, ut fidelis inveniatur, ergo innuit, qvod sibi eqvidem non sit conscius, ac si negligens fuisset in officio & ministerio suo, propterea tamen ait, se nō posse esse justificatum, aut de omnimodâ perfectione gloriari, Dominus enim judicat me, hoc est, Dominus novit, an meo officio satisfecerim. (3) Si maximè Paulus loqvatur de bonis operibus suis in genere, ex hisce tamē verbis incertitudo justificationis non potest colligi, Paulus enim alibi scribit *Rom. 5 v. 1. justificati fide pacē habemus, v. 2. fide accessū habemus ad gratiā, in qvā stamus & gloriamur Rom. 8. v. 38. 39. Mihi persuasū habeo, qvod neq; mors,*

neq;

neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia neq; futura, neq; ulla Creatura nos poterit ſeparare â dilectione Dei, qvæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Infallibiliter ergò Paulus aſſerit, ſe juſtum eſſe propter fidem in Chriſtum, licet in hoc loco diceret, ſe ex operibus non juſtificari: nulla autem eſt conſeqventia, Paulus ex operibus non eſt certò juſtificatus, ergò ex alijs medijs, ut pote fide, juſtificationem non eſt aſſecutus. Dictum igitur iſtud ad ſtabiliendam Pontificiorum dubitationem ſimpliciter nihil facit.

180] Qvartus locus eſt *Phil. 2. v. 12. Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* Reſpond: (1) Diſtingvendum eſt inter *dubitationem* de gratiâ Dei præſente, & inter *ſollicitudinem* de gratiâ Dei conſervandâ, non illa, ſed hæc in dicto loco deſcribitur. (2) Diſtingvendum eſt inter diffidentiam de Deo & promiſſionibus ipſius, & inter diffidentiā *de noſtris viribus*, non ad illam ſed ad hanc admonemur, illa impedit fidei certitudinē, hæc ſecuritatem carnalem. (3) Paulus in hoc loco commendat ſuis auditoribus tremorem, in alio tamen loco præcipit, *ut ſemper in Domino gaudeant cap. 4. v. 4.* ſibiq; certò perſuaſum eſſe dicit, qvod qvi cæpit in illis bonum opus, idem etiam in illis ſic perficiat usq; in diem Jeſu Chriſti. Itaq; in hoc loco timorem filialē intelligit, qvi certitudinem gratiæ non evertit ſed præſupponit, cum, qvi timet, ne theſaurum amittat, de illius poſſeſſione certus ſit. (4) Φόβος ergò ac Τρόμος non notant dubitationem de gratiâ præſente, ſed ſtudium piè vivendi, & pec-

& peccata vitandi, qvod Dei respectu est filialis reverentia, respectu Diaboli est vigilantia, respectu mundi & carnis est Spiritus constantia ac fidelis perseverantia. Dicta igitur ista omnia pro dubitatione justificationis stabiliendâ, nihil faciunt.

181] Revelationes autem cœlestes, ex qvibus Janssenius supra dixit, certitudinem justificationis esse petendam, reijcimus, (1) qvia nullum Scripturæ dictum de ijs afferri potuit, sicuti neq; mandatum, neq; exemplum probatum in Sacris reperitur, fuisse qvempiam de suæ justificationis certitudine per revelationes informatum. (2) Qvia Diabolus transfigurans se in Angelum lucis 2 Cor. 11. v. 14. hujusmodi revelationibus homines facilè decipit, exemplo Muntzeri & Anabaptistarum, qvi ante hos centum annos revelationes cœlestes jactabant, qvas tamen Satanæ ludibria fuisse eventus docuit. (3) Ipse Pontifex Romanus has revelationes improbat, tertiâ parte Decret: de consecrat: distinct. 1 cap. 26. *placuit*. Decret: Gregorij lib. 1. Tit. 9. Cap. 10. *nisi cum pridem*; in hisce locis negat sciri posse, an occultæ inspirationes verè sint cœlestes. Imò Gretserus in Defens. 1. Bellarm. p. 1893. seq. scribit: instinctus internos sæpe esse mendacissimos & ab ipso Diabolo inditos; imò hac doctrinâ somnijs & somniorum præsidibus Morphæo, Icelo, Phantaso qvidvis effigiendi & efformandi materiam dari.

182] Nos certitudinem Justificationis & gratiæ divinæ ex Sacris potenter hactenus astruximus. (1) Habemus dicta, fidei certitudinem mani-

festè docentia *Roman.* 5. v. 1. 2. *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per qvem habemus accessum fide in gratiam istam, in qva stamus & gloriamur. Eph.* 3. v. 12. *In Christo habemus* παῤῥησίαν *fiduciam & accessum in confidentiam per fidem ejus. Jac.* 1. v. 6. *postulet qvis in fide nihil hæsitans.* 1 *Johan.* 3. v. 14. *Nos scimus, qvoniam translati sumus de morte ad vitam, qvoniam diligimus fratres. Hiob.* 19. v. 25. *Scio qvod Redemptor meus vivit.* (2) Habemus testimonium Spiritus Sancti in cordibus nostris *Rom.* 8. v. 15. *Non accepistis Spiritum Servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in qvo clamamus, Abba Pater, v.* 16. 17. *ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, qvod simus Filii Dei, si autem Filii, utiq; & Hæredes.* 2. *Corinth.* 1. v. 21. 22. 23. *Qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qvi unxit nos Deus, qvi & signavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ephes.* 1. v. 13. 14. *Credentes signati estis Spiritu promißionis sancto, qvi est pignus hæreditatis nostræ Cap.* 4. v. 30. *Nolite contristari Spiritum Sanctum, in qvo signati estis in diem redemptionis.* 1 *Johan.* 5. v. 10. *qvi credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se.* v. 11. *& hoc est testimonium, qvoniam vitam æternam dedit nobis Deus.* (3) Habemus exempla Sanctorum, qvi certi fuerunt de suâ notitiâ. *Rom.* 4. v. 18. Abraham Pater credentium *contra spem in spem credidit, ut fieret Pater multarum gentium,* v. 19. *non fuit infirmus in fide, nec consideravit corpus suum emortuum.* v. 20. *non hæsitavit in*

pro-

promißione Dei diffidentiá sed confortatus est fide, dans gloriam Deo v. 21. *plenißimè scivit, qvia qvæcunq; promisit Deus, potens est & facere.* v. 22. *ideo & reputatum est illi ad justitiam.* Hiobus *cap.* 19. v. 25. ait, *Ego scio, qvod Redemptor meus vivit, & in novißimo die de terrà resurrecturus sum, & rursum, circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, qvem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alienus.* Paulus *Rom.* 8. v 38. 39. ait. *Certus sum, qvia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; creatura alia potest nos separare à charitate Dei, qvæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

183] (4) Habemus exauditionis certitudinem, qvæ dubitationem non admittit. *Matth.* 18. v. 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, qvamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qvi in cœlis est. Matth.* 21. v. 22. *Omnia qvæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis. Marc.* 11. v. 24. *Omnia qvæcunq; orantes petitis, credite qvia accipietis, & evenient vobis Johan.* 16. v. 23. *Amen amen dico vobis, si qvid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* (5) Habemus Sanctissimum Dei juramentum, qvo obsignat suas promissiones: *Ezech.* 33. v. 11. *Vivo ego dicit Dominus nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Johan.* 5. v. 24. *Amen, amen dico vobis, qvi sermonem meum audit, & credit ei, qvi misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed à morte transivit in vitam,* ad quod juramentum provocat Paulus

Hebr. 6. v.16.17. (6) Habemus efficaciam Sacramentorum, qvibus tanqvam ſigillo confirmamur de certitudine gratiæ per abſulutionem Miniſtrorum, in qvâ peccata in terris remiſſa, in cœlis qvoq; remittuntur *Matth.* 18. v.18. *Joan.* 20. v.23. (7) Imò ſi non daretur certitudo gratiæ & fidei, ſeqveretur fidem non eſſe fiduciam, Deo ſuper omnia non eſſe confidendum, qvod tamen tabula prima reqvirit, Deum eſſe mendacem & periurum, 1 Joh.5. v.10. Orationem noſtram eſſe inefficacem, conſcientiam noſtram ſemper debere eſſe inqvietam, nullam ſolidam in cruce nobis ſupereſſe conſolationem, abſolutionem peccatorum eſſe inanem & vanam, Sacramenta incertæ eſſe efficaciæ: qvæ omnia cum ſint abſurda, & ad deſperationem viam præparent, ipſa qvoq; incertitudo pontificia abſurda & falſa eſſe judicatur. Et qvomodo Monachi conciliabunt ſuas hypotheſes, qvas aliàs fovent, cum hoc dogmate incertitudinis, docent enim *legem à renato in hac vitâ perfectè impleri poſſe, peccatum originis in Baptiſmo totaliter exſtirpari, omnem actum charitatis abſolutè mereri vitam æternam, Monachos habere opera ſupererogationis, qvæ alijs poſſunt communicare in meritum vitæ æternæ, remiſſionem peccatorum habere omnes, qvi Romam excurrunt & indulgentias petunt,* hæc & ſimilia cum fidei incertitudine ſtare non poſſunt, cum omne dubium tollant, aut ſi dubitatio de fide adſtruatur, neceſſe eſt, has hypotheſes eſſe falſiſſimas, nulloq; modo hæc inter ſeſe conciliari poſſe.

184] 2. Docet Janſſenius *intentionem Miniſtri*

in Sacramento esse necessariam ad Sacramenti perfectionem, aliàs enim sequi tonsores qvoq; baptizare, si vel jocosè verba Baptismi recitent, & hominē calidâ affundant, imò si qvis verba Cœnæ Dominicæ recitaret super panem & vinum, sequi consecrationem panis & vini in convivio domestico, si Minister non decrevisset absolvere, & tamen verba absolutionis recitaret, sequi hàc ratione absolutionem verè esse factam. Concludit ergò *opus esse intentione Ministri sive actuali, sive virtuali ad perfectionem Sacramentorum.*

185] Respond: Janssenius hoc dogma de intentione Ministri ex lacunis Scholasticorum hausit, illi enim distingvunt inter intentionem, qvæ fertur in Objectum, ab eâ, qvæ fertur in finem; hanc dicunt esse duplicem, vel specialem vel generalem; qvævis autem harum iterum dicitur esse triplex, actualis, virtualis, habitualis. Virtualis dicitur, cum qvis ex virtute intentionis actualis præviæ procedit ad aliqvos actus, actualiter tamē non intendens ad illud, ad qvod primò intendebat. Actualis autem dicitur cum agens intendit habere actum elicitum respectu illius, qvod intendit, videatur *Thomas part.* 3 q. 24. *art.* 8. Dicit ergò Janssenius, in Ministro opus esse intentione, vel actuali vel virtuali, si Sacramentum perfectum esse debeat; aliàs actus omnes joculares, qvibus verba Baptismi & cœnæ recitarentur, essent Sacramentales actus.

186] Errat autem Socius iste nam (1) Sacramenta non sunt mimica actio, aut ridiculus lusus, sed sunt actiones sacræ & solennes divinitus institutæ, in usu Ecclesiastico debitâ reverentiâ ad

miniſtrandæ, ubi ergo illa Chriſti inſtitutio non obſervatur, Sacramentales actiones dici nec eſſe qveunt. (2) Ipſi actus externi lotionis tonſoriæ, recitationis verborum Cœnæ Dominicæ in vulgari convivio ſatis oſtendunt, ibi non adminiſtrari Sacramentum illud ſolenne Novi Teſtamenti â Chriſto inſtitutum, ſed eſſe communem aliqvã lotionem. (3) Peccaret ejusmodi tonſor aut balneator, verbo & nomine Dei ad luſus mimicos & joculares abutendo, contra ſecundum præceptũ Decalogi. Qvomodo igitur ejusmodi abuſus nominis & verbi Divini poſſet pro actu Sacramentali æſtimari? non ergo ex intentione, ſed ex naturâ & proprietate actionis judicamus, an ejusmodi lotiones aut recitationes poſſint eſſe Sacramenta.

187] Diſtinctio verò inter intentionem virtualem & actualem inepta & contradictoria eſt. *Virtualiter* dicitur intendere Monachus cum non intendit actualiter, ſed tantùm antea intentionem habuerit: hoc verò eſt *non intendere*. Detur exemplum, ſi Clericus Papalis intendat ſervare caſtitatem, & poſtmodum fornicetur, qvomodo talis poſſet dici, qvod intendat caſtitatem intentione virtuali, antea qvidem intendebat, jam verò in actu fornicationis illa intentio ceſſat. Ita ſi Judas ante actum proditionis habuerit intentionem, poſt factũ autem perpetratum, cum doleret de crimine admiſſo & deſperaret, qvomodo potuiſſet dici, qvòd adhuc intenderit Chriſtum prodere intentione virtuali? Ita ſi Miniſter intendat baptizare ante Baptiſmum, poſtmodum verò in actu Baptiſmi id non intendat, certè non poteſt dici,

qvod

qvod tum virtualiter intendat; *intentio est actio transiens, non autem qvalitas permanens*. Dum ergo Minister amplius non intendit agere, non potest dici, qvod intendat virtualiter, cum intentio illa diu cessaverit. Distinctione igitur istâ nugatoriâ Monachi dogma de intentione Ministri non propugnabunt.

188] Intentio autem Ministri non donat efficaciam Sacramentis (1) Qvia non pertinet ad causas Sacramenti, nec ad efficientem, neq; ad finem, nec ad materiam nec formam. (2) In verbi prædicatione Deus salvat etiam sine intentione prædicantis, cum Christus *per accidens* prædicatur *Phil.* 1. v. 18. ergò etiam in Sacramentorum administratione (3) Seqvetur hac ratione majorem vel minorem intentionem habere majorem vel minorem efficaciam, intentio enim majus & minus recipit, ergò major, vel minor fructus Baptismi & Cœnæ acciperetur â Ministro pro gradu intentionis suæ, qvod absurdũ. (4) Seqvetur ex hoc Principio, virtutē Dei hominis incredulitate evacuari, nam Deus nõ posset operari in Sacramentis propter defectum intentionis in Ministro, qvod tamen est contra Paulum *Rom. 3. v. 3. 2 Tim. 2. v. 13.* (5) Bileam efficaciter benedicebat Israëli, etiam cum non intendebat hoc facere *Num.* 23. v. 8. 9. 10. ita Minister efficaciter administrat Sacramenta, etiam cum non intendit (6) Intentio Dei dat efficaciam Sacramentis non intentio Ministri, nõ enim *qvi rigat aut plantat est aliqvid, sed Deus qui dat incrementum* 1 Cor. 3. v. 7. (7) Si intentio Ministri dat efficaciam Sacramento, seqvitur Monachos illos

illos in Episcopatu Bambergensi nuper combustos, per annos benè multos nullum infantem rectè baptizasse, cum in torturâ fassi fuerint, qvod ex pacto cum Dæmone semper intenderint baptizare in nomine Dæmonis; qvid igitur actum esset de salute istorum infantium? num Monachi eos non rebaptizant nova cum intentione?

189] 3. Ex enumeratione peccatorum singulorum in confessione, dixi, solatium omne adimi, aut facilimè qvædam posse omitti. Respondet Janssenius, *si qvis voluntàriò peccatum mortale, non autem veniale omittat in confessione, impediri remissionem omnium, non verò si qvis ex oblivione id faciat.* Respondemus: totam hanc opinionem esse erroneam, nam (1) non habemus mandatum in Sacris de confessione auriculari, qvod sit ad absolutionem simpliciter necessaria. (2) Non habemus exempla Scripturæ probata, Christus potius â peccatis etiam sine confessione auriculari absolvit *Paralyticum Matth.* 9. v. 2. *Peccatricem Luc.* 7. v. 48. *Filium perditum Luc.* 15. v. 18. 19. *Latronem in cruce Luc.* 23. v. 42. qui omnia peccata sua mortalia non enumerarunt. (3) Impossibile hoc est, omnia peccata enumerare, cum justus in die septies cadat *Proverb.* 24. v. 16. & homo omnes suos errores vix observet *Psal.* 19. v 13. imò sæpius contra voluntatem peccet *Rom.* 7. v. 15. 19. (4) Torqventur conscientiæ miserè hac confessione auriculari, vehementer angustantur, ne fortè aliqvod peccatum omittant, & ita reliqvorum peccatorum remissionem non conseqvantur. (5) Scandalosè agunt Monachi dum Peccatores cogunt omnia

sua

sua delicta adhibitis circumstantijs enumerare, facta sæpe talia, â qvibus piæ & castæ aures abhorreant. Sic in Summa Angelica fol. 152. recensentur qvæstiones conjugatis proponendæ in Confessione; an maritus usus sit matrimonio extra vas vel modo indebito? an in Ecclesiâ? an per tactus habuerit pollutionem extra vas? an cognoverit satiandæ libidinis causa? an cognoverit habens intentionem ad aliam? &c. (6) Non fuit usitata in primitiva Ecclesia, fatente *Fero* in Cap. Matth. 11. p. 147.

190] Excipit Janssenius *hoc tantùm intelligi de peccatis mortalibus, qvorum unum si voluntariè omittatur in Confessione, impediat remissionem reliqvorum.* Sed Respond. (1) de Jure divino nec mortalium nec venialium peccatorum enumeratio reqviritur, ut modò probatum. (2) Non tantùm peccatorum mortalium, sed etiam circumstantiarum circa illa peccata enumeratio reqviritur, ut vult *methodus Confess.* p. 216. *qvis, qvid, ubi, per qvos, qvoties, cur, qvomodo, qvando peccasti, dices, ut sit Confessio vera.* (3) Pontificij causam ennarrant, de qva talis enumeratio sit necessaria, qvia peccati non cogniti, absolutio dari non possit, *Concil. Trident. Sess.* 14. *cap.* 5. *Can.* 7. hæc verò causâ venialium peccatorum enumerationem etiam reqvirit, subsumo enim, peccata venialia â Sacerdote non cognoscuntur, ergò non remittuntur, igitur, propter hanc rationem homo etiam ad venialium peccatorum enumerationem obstringitur. (4) Pontificij nondum ediderunt Catalogum peccatorum tum mortalium, tum veniali-

nialium, ex qvo Laici informentur de natura peccatorum enumerandorum, neq; enim adhuc conveniunt, qvænam peccata propriè sint venialia. (5) In Catechesi Romana docetur, concupiscentias contra nonum & decimum præceptum, qvoq; esse numerandas in Confessione, atqvi concupiscentiæ â Pontificijs referuntur inter peccata venialia: (6) Imò, etsi sola mortalia essent enumeranda, foret tamen hoc difficilimum, & ex eo semper de absolutione peccatorum dubitandum esset.

191] 4. Ex legis impletione, dixi, nullum morientibus superesse solatium, cum cuilibet sua dictitet conscientia, impletionem legis esse impossibilem. Respondet Janssenius, *qvod ille dicatur legem implevisse, qvi post ultimam pœnitentiam non peccavit; legem qvoq; posse impleri, cum Deus impossibilia non præceperit Matth. 11. Joh. 5.* Respondemus: legem implere est Deum diligere *ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus, & proximum sicut nos ipsos, Lev. 19. v. 18. Deut. 6. v. 5. Custodire universa mandata Domini in omni tempore,* ut Deus ipse loquitur *Deut.* 5. v. 32. 33. *Permanere in omnibus, qvæ scripta sunt in libro legis Deut.* 27. v. 26. *qvi enim in uno peccat, reus est omnium, Jacob.* 2. v. 10. hoc est legem implere secundum Scripturæ sensum. Talis autem legis impletio homini est impossibilis in hac vitâ (1) Ex diserto testimonio, *impossibile fuit legi: (justificare hominem, qvia infirmatur per carnem,) justificaret autem, si perfectè impleretur, Rom.* 8. v. 3. *jugum legis Mosaicæ neq; Patres neq; alij potuerunt portare*

Act.

Act. 15. v. 10. (2) Ex assertione Scripturarum, omnes homines peccato esse obnoxios 1 *Reg.* 8. v. 46. *Eccles.* 7. v. 21. 2 *Paral.* 6. v. 36. 1 *Johan.* 3. v. 4. (3) Ex luctâ carnis & Spiritus, quæ in renatis etiam manet *Gal.* 5. v. 17. hæc verò est certissima nota imperfectionis. (4) Ex Sanctorum exemplis, qvi suam imperfectionem agnoverunt *Psal.* 19. v. 13. *Esa.* 6. v. 5. 1 *Job.* 1. v. 8. *Luc.* 5. v. 8. hæc omnia monstrant impletionem legis in hac vitâ esse impossibilem.

192] Non autem seqvitur *Deum esse crudelem, qvia impossibilia præcipiat*, nam (1) hæc fuerunt nobis possibilia in statu integritatis ante lapsum, cum homo integris adhuc viribus esset præditus. Possibilia qvoq; erunt in vitâ alterâ glorificatis, qvapropter non sunt simpliciter impossibilia. (2) post lapsum eqvidem nobis sunt imposibilia, sed ex proprijs viribus extra Christum; in Christo verò sunt posibilia, dum enim Christum fide apprehendimus, apprehendimus illum, qvi legem pro nobis implevit, nostraq; justitia factus est 1 *Cor.* 1. v. 30. *Rom.* 10. v. 10. 11. qvæ ergò sunt imposibilia naturæ, fuerũt posibilia gratiæ. (3) Posito autem nobis præcepta Divina observatu imposibilia esse simpliciter, non tamen seqveretur Deum propterea esse crudelem, justè enim Deus exigit debitum â debitore, instar Regis illius *Matt.* 18. *v.* 25. debemus ipsi hanc obedientiam, poteramus eam quoq; perfectè præstare in statu integritatis, recedendo autẽ â mandato Divino cõtraximꝰ debitũ, qvod Deus justè â nobis exigit. (4) Licet præcepta Dei perfectè â nobis nõ posint impleri,

habent

habent tamen ſuos uſus, agnoſcimus enim exinde mentis noſtræ perfectionem ante lapſum, corruptio naturæ noſtræ nobis exinde rectè innoteſcit, coercentur homines hoc fræno ad externam diſciplinam præſtandam, renati in illis habent exactam vivendi regulam; diſcunt exinde qvæ ſit meta perfectionis, & qvam multum illis deſit, invitantur ad preces, & ad Chriſtum adducuntur.

193] Matth. II. v. 30. Eqvidem Chriſtus ait, *jugum meum ſuave & onus meum leve eſt*, ſed (1) non de *jugo legis* loqvitur, hoc enim fuit tale jugum, qvod nemo portare potuit *Act.* 15. v. 10. ſed (2) *de jugo Crucis* loqvitur, crux dicitur jugum Chriſti, qvia Chriſtus illud portavit, & ipſe portando jugum crucis in corpore ſuo noſtrum jugum ſanctificavit, imò & nos portare juſſit. *Leve* dicitur hoc jugum, qvia *Deus non tentat nos ſupra vires*, 1 Cor. 10. v. 13. *crux noſtra momentanea & levis eſt* 2 Cor. 4. v. 17. Suave dicitur propter conſolationem ſuaviſſimam Spiritus Sancti, qvâ nobis adeſt, ut etiam *in mediis afflictionibus gaudeamus Coloſſ.* 1. v. 24. (3) Si autem vel de jugo doctrinæ Chriſti hic ſermo eſſet, tale jugum tamen eſſet *leve* in reſpectu ad jugum legis, qvod eſt *jugum oneris Eſa.* 9. v 4. *importabile Act.* 15. v. 10. cui Chriſtus ſe ſubjecit, & nos â maledictione ipſius liberavit, leve hoc fit jugum, dum Spiritus Sanctus in corda noſtra hanc legem inſcribit, vireſq; ſuppeditat, ut Deo obedientiam ſpontaneam præſtare poſſimus, 1 *Joh* 5. v. 3. *Mandata Dei non ſunt gravia:* Sunt gravia reſpectu perfectæ impletionis, non ſunt gravia reſpectu imputationis, qvæ non poteſt

potest excludi, fides enim (in qvâ Christi justitia nobis imputatur) *vincit mundum* v.4 *qvis est qvi vincit mundum, nisi qvi credit, qvoniam Jesus est* Christus v.5. non sunt gravia respectu inchoationis, nam Spiritus Sanctus renatos renovat, & veram dilectionem in illis accendit, ut libero Spiritu Deo obediant, ut *delectentur lege Dei Rom.* 7. v.22. *sint zelotæ bonorum operum Tit.* 2. v.14. & licet multæ imperfectiones illis adhæreant, teguntur tamen Christi perfectione, qvam fide apprehendunt, atq; ita *nihil condemnationis est in his qui sunt in Christo Jesu Rom.* 8. v. 1.

194] 5. Defectum bonorum operum obieci in Admonitione, respondet Janssenius, in præcedentibus sese hæc explicâsse; ego qvoq; ad præcedentia provoco, in qvibus â me demonstratum est, bona opera nullo modo meritoria esse posse.

195] 6. Obieci Bellarminum docere, *absolutam prædestinationem: paucos homines nudo Dei decreto ad vitam æternam esse praordinatos.* Respondet Janssenius *hæc non legi in Bellarmino, & paucos admodum Electos esse ex* Matth.20. asserit. Respondetur: *Bellarminus* omnino id docet *lib.2. de grat. & lib. arbitr. cap.* 9. *Deum paucißimos ex genere humano prædestinâsse ad vitam æternam, ita qvidem, ut illius prædestinationis ratio nulla ex parte nostrâ aßignari qveat.* Si nulla in nobis ratio potest assignari, utiq; nec fides assignabitur, adeoq; Deus ex absoluto beneplacito sine intuitu fidei homines ad vitam æternam elegit. Paucos esse electos scimus, sed non est qvæstio de electorum paucitate, verum de Electionis causâ, an illa sit nudum Dei bene-

placi-

placitum, vel an Deus propter fidem prævisam, nos elegerit. Elegit vos Deus ab initio *in salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis* 2 *Thess.* 2. v. 13. *prædestinati sumus secundum propositum ipsius, qvi ante in Christo Jesu speravimus Ephes.* 1. v. 11. 12. *qvos præscivit Deus, illos etiam prædestinavit Rom.* 8. v. 29. Paulus eqvidem 1 *Cor.* 9. v. 27. ait, *se laborare, ne reprobus efficiatur*, dum alijs prædicat, in eo autem non dubitat de salute suâ, multo minus ait, se ex nudo beneplacito electum esse, sed digitum intendit ad carnis mortificationem, in qua se subinde exercebat, securitati resistebat, & ita cum metu & tremore salutem suam operabatur.

196] 7. & 8. Purgatorium objeceram, qvo moribundi terrentur in papatu tempore ultimi agonis, de qvo incerti sunt, qvod citò exinde possint liberari. Respondet Janssenius: *Purgatorio non opus habere eos, qvi sine reatu culpæ & pœnæ ex hac vitâ discedunt, Ecclesiam qvoq; vota & preces facere pro iis, qui in purgatorio degunt, licet pauperrimi fuerint*; sed hoc est nihil respondere; qvotusqvisqve est, qvi sine reatu culpæ & pœnæ ex hac vitâ discedere potest secundum Pontificiorum hypotheses. *Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 5. scribit: Sanctos Martyres, & Infantes post baptismum morientes mox in cælum recipi sine ullo transitu per ignem. Peltanus cap. 6. de Purgat. p.* 252. *addit Martyribus & infantibus Viros illustri sanctimoniâ & vitæ perfectione claros.* Paucissimi verò morientium ad hunc numerum possunt referri,

ferri, qvotusqvisq; est in numero Martyrum, infantium paucissimi moriuntur, de qvonam verè poterit affirmari, qvod sit perfectè justus? Imò Pontificij expressè docent illos descendere in purgatorium, qvi cum peccatis venialibus, vel cum reatu pœnæ, gravioribus criminibus debitæ moriuntur, licet crimina ipsa sint remissa. *Stapletonus part. 2 prompt. Catholici p. 286.* scribit: *iste ignis expurgatorius nec infideles, nec hæreticos, aut Schismaticos, nec impœnitentes Catholicos, sed eos solos expiabit & purgabit, qvi vel cum venialibus tantùm peccatis moriuntur, vel cum reatu pœnæ gravioribus criminibus debitæ decedunt culpis ipsis jam remißis & condonatis.* Sed qvam pauci sunt hominum, qvi sine peccatis venialibus ex hac vita discedunt, qvotusqvisq; aut Monachorum aut Romanorum Pontificum hoc de se poterit affirmare propter summam carnis nostræ infirmitatem; precibus etiam Sanctorum & optimis illorum operibus qvædam adhærent imperfectiones; hæc igitur exceptio morientem in tentationibus solari neqvit.

197] *Vota & preces*, qvas Monachi fundunt pro animabus in purgatorio, moribundos qvoq; solari neqveunt, nam (1) precum istarum efficacia planè suspecta est, ex ipsis pontificiorum hypothesibus; docent illi, indulgentias Papales in articulo mortis morientes â pœnis purgatorij prorsus immunes reddere, imò unctionem extremam omnes peccatorum reliqvias abstergere, si igitur indulgentiarum & extremæ unctio-

unctionis tanta vis eſt, ut omnes peccati reliqvias abſtergat, & â pœnis purgatorij immunes reddat, qvid iſtis precibus opus erit, enodent Monachi prius hoc dubium, aut enim preces iſtæ fiunt tantùm emungendæ pecuniæ cauſa, aut indulgentiarum, & unctionis extremæ efficacia nulla eſt. (2) Cum iſta vota & preces Monachorum fiant propter pecuniam, ſeqvetur pauperes, qvi pecunias in monaſteria dare non poſſunt, hoc ſolatio erigi non poſſe. *Lombardus lib. 4. Sent. diſtinct. 45.* expreſsè ſcribit, *divites citius ex purgatorio liberari, qvam pauperes*; cum qvo *Loricbius* conſentit *in Theſauro p. 1635. n. 7. divites citius qvam pauperes liberari, cum plures miſſæ & preces pro divitibus fiant.* (3) Vota iſta & preces pro liberatione mortuorum in ſacris nullum habent fundamentum; citatur eqvidem locus *2. Macc. 12.* ſed â Monachis perperam intelligitur, prout inferius de purgatorio demonſtrabitur. Qvod ſi moribundi qværant indubitatum fundamentum ex Sacris Chriſtum vel Apoſtolos has preces præcepiſſe, & liberationem propter has preces promiſiſſe, qvomodo hîc Monachi reſponſuri eſſent? (4) Si Miſſæ & preces Monachorum liberant animas ex purgatorio, ſeqvetur *purgatorium jam eſſe vacuum*, cum qvotidie in omnibus Monaſterijs tot fiant Miſſæ & preces, qvot homines vix moriantur; conſeqvens autem eſt abſurdum ex mente Pontificiorum, ergò & antecedens.

198] Manet itaq; Pontificios in mortis agone certum & efficax ſolatium non habere, qvo tentato ſuccurrant; non *gratiâ Dei*, de qvâ ſemper dubi-

dubitandum est, ut Janssenius prolixè defendit; *non Baptismo*, cujus efficacia ex intentione Ministri dependet, ut Janssenius defendit, de qvâ nemo certus esse potest; *non Absolutione suâ*, qvæ nulla esse potest, si fortè peccatum aliqvod vel circumstantiam peccati omisit, licet non ex malitiâ, ex rubore tamen & verecundia: *non ex legis impletione*, qvæ homini impossibilis est, ut modò demonstravi; *non ex operum merito*, qvod nullum est, imò qvod Monachi præter Scripturas excogitarunt, ut ostendi: *non ex electione per Christum in fide factâ*, cum Deus fidem nostram non respexerit in electione, sed decreto absoluto nos elegerit: *non vitæ æternæ gaudÿs*, qvæ visurus non est, nisi prius in purgatorio à Diabolis cruciatus fuerit, de qvibus cruciatibus, *si pauper fuerit, tam citò liberari non poterit.*

199] Notetur autem miserrima consolandi ratio, qvam Janssenius p. 118. proponit. (1) Ait: *meritum Christi per Sacramenta nobis communicari*, superius tamen acriter disputavit, neminem certum esse posse de gratiâ in Deum, & fide suâ in Christum; ista communicatio igitur meriti Christi moribundum in papatu solari non potest, cum semper de fide suâ & gratiâ Dei illum dubitare oporteat. (2) Ait, *præsumi posse probabiliter moribundum esse inter filios Dei*; ô miserum solatium, qvod *in præsumptione probabili* consistit! qvid si moribundus regerat sese probabiliter præsumere, qvod *non sit* inter Filios Dei? si tantum est probabilis præsumptio, cur Monachi per indulgentias & extremam unctionem *certò* promittunt vitam

æternam? Abraham, Paulus, Hiobus & Sancti alij, qvorum fidem supra introduxi, non præsumebant probabiliter, sed credebant firmiter se esse filios Dei, se esse in gratiâ apud Deum (3) Ait; si in actu Baptismi â Ministro qvid prætermissum sit, *piè credendum esse, qvod Deus id supplere velit:* sed undè constat de hâc voluntate Dei in papatu? si de totâ justificatione nostrâ, qvæ nobis tamen certò promittitur, dubitandû est, ut illi docent; de hac voluntate Dei nullibi patefacta qvoq; dubitandum erit. (4) pergit, qvod Deus *videatur suos Catholicos segregare in consortiû filiorum Dei: videtur* tantùm Monachis, hoc est, ita putant, ita opinantur. Qvid si tentatus in morte, illud *videtur* refutet, per *non videtur*, qvid Monachi essent responsuri? fides est ὑπόστασις *Hebr. 11. v. 1.* hoc est, fiducia certa, qvâ non videtur nobis, sed qvâ scimus, nos esse in gratiâ apud Deum. (5) *Merito operum* Janssenius moribundos solatur; si verò regerat tentatus, se nulla merita agnoscere in operibus suis nisi meritû inferni? qvænâ merita operû habebat Latro in cruce Luc. 23. v. 41. 42. qvi fatebatur sese *accipere in tormentis suis ea, qvæ operibus suis meruerat,* & Christû rogabat, ut, non propter merita operum, sed per gratiosam sui mentionê in Paradisum illû reciperet. (6) *Si ab omni labe purus* (ait Janssenius) *qvis ex hac vita discedat, illû rectâ ad cælos volare;* sed illud SI moribundus in agone pro solatio nô potest admittere, qvæstio enim est AN ille sine omni labe discedat, annon peccata venialia etiam ipsi adhæreant? si asinus volat habet pennas, interim nô seqvitur asinû volare; ita si moribundus sine omni

labe

labe discedat, volabit ad coelũ, interim non seqvitur illum sine omni labe discedere; hypothetica propositio non admittit absolutam conclusioně. (7) *preces & sacrificia* moribundũ nõ possunt solari, si pauper fuerit, adeoq; pecunijs istas preces & sacrificia emere nõ poterit, qvod tamẽ fieri, & divites citiùs qvã pauperes liberari, Pontificij docẽt ut supra ex Lombardo demonstravi. Manet itaq; doctrinã Pontificiã esse torturã conscientiarum ac Monachos esse Consolatores miseros, uti Jobus amicos suos vocabat *c.16, v.2.* cũ fontes consolationis præcipuos obstruant, conscientias miserè torqveant, & in tentationibus erigere non possint.

Caput Octavum.

De Communione Pontificiæ Religionis cum Ethnicismo.

200] FRaudulenter Janssenius in hoc Capite agit, dum meum argumentum non adscripsit integrum, in alijs locis verba mea fere omnia solet adscribere, sed hoc in loco tribus verbis meam sententiam recitat; mutilatè tamen, ne alij Pontificij nervum argumenti videant. Ita verò argumentor: qvicunq; cœtus cum Ethnicis communicat in rebus fidem, cultum & religionem concernentibus, ille vera Ecclesia Dei esse neqvit; atqui Romana Ecclesia cum Ethnicis communicat in rebus fidem, cultum & Religionem concernentibus, ergò Romana Ecclesia vera Ecclesia esse neqvit.

201] Minoré probavi: Ethnici jactabant apparitioně Jovis, Veneris & aliorũ Deorũ, ita jactant

Pontificij apparitionem Mariæ. Sacerdotes Ethnici usurpabant fraudes, qvibus simplices terrebant, ita quoq; Monachi fraudes usurpârunt, dum finxerunt animas ex purgatorio redijsse, Sanctos apparuisse, qvibus simplices deceperunt, Ethnici denominarunt Deos suos â loco, ut Appollinem Delphicum, Dianam Ephesiam, Æsculapium cortinium, Musas Parnassides, itá Pontificij denominant Sanctos suos â loco; Mariam Hallensem, Mariam Lauretanam, Mariam Ottingensem &c. Ethnici in honorem Deorum suorum Neptuni, Dianæ, Appollinis templa ædificabant, ita Pontificij in honorem Sanctorum templa ædificant. Ethnici imaginibus Deorum ornabant templa sua; ita Pontificij imaginibus Sanctorum. Ethnici studebant ornatui in vestibus Sacerdotalibus; ita Pontificij magno pretio comparant vestimenta Sacerdotalia. Ethnici accendebant lucernas in honorem Deorum; ita Pontificij faciunt in honorem Sanctorum: Ethnici Sacerdotes avaritiæ supra modum erant *deditì*; ita Sacerdotes Pontificij opes & regna mundi avaritiâ suâ ad se attraxerunt. Ethnici faciebant vota Dijs sub opinione cultus & meriti, Pontificij similiter vovent Sanctis. Ethnici peregrinationes instituebant ad templum Herculis, Apollinis; Pontificij similiter peregrinantur ad Mariam Lauretanam & alia loca opinione cultus & adipiscendæ remissionis peccatorum. Ethnici instituebant processiones, in qvibus se flagellabant, nudis pedibus incedebant, frondes circumgestabant; idem faciunt Pontificij processiones instituendo cãdelis, suffitu, vexillis, cruce

ligneâ

lignea & similibus. Ethnici colebant Deos suos jejunando; idem faciunt Pontificij, qvi in jejunio cultum & meritum ac satisfactioné qværunt. Ethnici jactabant miracula, ex qvibus (licet fictis) religionem suam confirmabant; idem faciunt Pontificij miracula jactantes, & ex ijs veritatem religionis suæ demonstrantes. Ex hisce & similbus Ethnicismi æmulationibus dixi, conflatum esse Papatum, provocando ad Tractatum *D. Nicolai Hunnij Lubecensis Ecclesiæ Superintendentis*, qvi inscribitur, *Ecclesia Romana non est Christiana*.

202] Qvid verò ad hæc Janssenius? respondet p. 122 seq. (1) *olim qvosdam Epicureos hoc Christianis objecisse*. (2) *Negat in margine Catholicam religionem ex Gentilismo compilatam* esse (3) Ex *Florimundo citat aliqvot pagellas, qvibus asseritur superstitionem Ethnicorum fuisse imaginem & introductionem Christianæ religionis*. (4) *Reijcit responsionem ad objectiones meas in seqventia Capita.* (5) *Hunnij librum vocat turpem libellum.* (6) *Loco qvodam Theodoreti concludit.* Assumemus singula & ordine respondebimus.

203] 1. Misera exceptio est, *jam olim qvosdam Epicureos & Apostatas hoc Christianis objecisse*, præterqvam enim qvod Monachus Autores probatos non affert, qvi hoc asserant & demonstrent, ex nudâ objectione falsitatem non potest deducere. Si olim Pontificij, qvos per Christianos Janssenius intelligit, ex Ethnicismo multa mutuò sumpserunt, & hoc ipsis objectum est, sane qvi hoc objecerunt, in eo non peccârunt. Neq; seqvitur, olim hoc fuit Pontificijs objectum, ergo hodie

superstitiones Ethnicas in suâ Religione non fovent. Si Jansenius demonstraret hodiernas superstitiones Pontificiorum fuisse ab Apostolis institutas & usurpatas, ipsisq; Apostolis hoc fuisse objectum, ea instantia aliqvid roboris haberet, qvod nec fecit, nec in posterum facere poterit, cùm istæ novitates post Apostolorum tempora in Ecclesiam Romanam irrepserint.

204] 2. *Negat Janssenius religionem Pontificiam ex Gentilismo esse conflatam.* Notetur circa hanc negationem (1) Qvod in seqventibus hoc ipsum fateatur, dum ex Florimundo docet, *ex mirabili Dei Providentiâ factum esse, ut Ethnica religio fuerit imago & introductio ad Christianismum, neq; opus fuisse totali immutatione, sed saltem dextrâ explicatione*, hoc est manifesta contradictio, *Ethnicismum fuisse introductionem ad Christianismum* (qvalem scil. Pontificij habent) & *Papatum ex Ethnicismo compilatum non esse*; qvomodo illud qvod ex Ethnicismo fuit introductum non potest dici ex eo esse compilatum. (2) Licet Janssenius hoc in totum negaret, fatentur tamen id alij Pontificij. *Polydorus Virgilius lib. 5. cap. 1.* expresse scribit: *nunc peregrinos ritus ab Ethnicis, id est, Gentibus, non Christianis (ἔθνος enim gens dicitur) acceptos, atq; reliqva perseqvemur, qua nostri jam suscepti muneris. Cum igitur multa ab Hebræis & non pauca à Romanis, cæterisq; Ethnicis ad nos instituta manaverint, poscit locus, ut apposite ea proinde commemoremus, qvæ ab his accepimus, atqve minime convenit tacita relinqvere, qvæ ab ijs sumus mutuati.*

cum

cum præsertim illa ipsa fecerimus & ad meliorem usum adhibuerimus.lib.6.c.8.ait atq; ita bellè Ethnicos perinde in hac re,ut nimis multis alijs æmulamur. Habes hic apertam Confessionem, â Gentibus in Ecclesiam Pontificiam multa recepta fuisse.

205]3. Ex Florimundo Janssenius ait, *superstitiones Ethnicas fuisse typū & introductionē ad Christianismū*, qvod aliqvot exemplis demonstrat, ubi fabulas Ethnicorū recenset, qvæ typus fuerunt nostrorum fidei articulorum; imò etiam nos leges & doctrinam de virtute, de Deo & adoratione Dei ab Ethnicis accepisse. Respondemus (1) Non dicimus omnia esse mala, qvæ Christianismus communia habet cum Ethnicismo. Ethnici namq; credebant Deum *Rom 1.v.19.* eumq; colendum esse *Act. 17. v. 23.* credebant Dei judicium, mali vindictam post mortem expectandam, & similia. Verum hoc dicimus, qvod si Christiani qvædam ab Ethnicismo accipiant, & in suam religionem transferant, qvæ in verbo Dei non inveniuntur, neq; ab Ecclesiâ veteri Apostolicâ usurpata fuerunt, in illis peccent, & â naturâ veri Christianismi deficiant; & de hisce nobis sermo est. (2) Qvomodo Florimundus & ex eo Janssenius audet asserere Ethnicismum fuisse introductionē ad Christianismū, cùm Pontifex Romanus illos pronunciet Apostatas qvi vel tātillū cū Ethnicis commune habeant. *In Decreti Secundâ parte caussa 26. qvæst.7.c.13.nō licet iniqvas observationes agere Calendarū & otijs vacare gentilibꝰ, neq; lauro aut viriditate arborum domos cingere, omnis enim hæc observatio paganismi est.* Ibid.c.14. *si qvis Calendas Januarias & bru-*

brumam ritu paganorum colere, vel aliqvid plus novi facere propter novum annum, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præparare &c. præsumpserit, qvod magna iniqvitas est corā Deo, anathema sit. Ibid. *c.17.* Pontifex recenset aliqvot superstitiones Ethnicorū, & ait, *qvia talia agant, sciant se fidē Christianā & Baptismum prævaricasse, & ut paganum & Apostatam, id est, retrò abeuntem, & Dei inimicum iram Dei graviter in æternum incurrisse.* Si Pontifex Romanus seriò prohibet Christianis communionem cum Ethnicis seu Paganis, qvomodo Florimundus aut Janssenius eam poterunt approbare? aut Pontifex errat, aut Janssenius cum suo Florimundo errat, tertiū nō dabitur. (3) Paulus nō concedit Ethnicorū superstitiones & abominationes typū & introductionem ad Christianismū fuisse. *Rom. 1. v. 21. 22.* scribit: *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt,* v. 25. 28. 29. *commutaverunt veritatem Dei in mendacium, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, qvæ non conveniunt, repleti omni iniqvitate & malitia. Eph. 4. v. 18. 19. Tenebris obscuratum habuerunt intellectum, alienati â vitâ Dei, per ignorantiam, qvæ est in illis, per cæcitatem cordis ipsorum.* Qvomodo verò stultitia ad sapientiam, mendacia ad veritatem, iniqvitas & malitia ad pietatem, ignorantia ad scientiam, tenebræ & cœcitas ad lucē potuerunt esse introductio & typus? Paulus igitur isti Monacho in faciem contradicit, & ne Christiani in similē stultitiam & cæcitatem ruant, seriò admonet. (4) Monachus confundit *typum* Christianismi & *æmulationem*

tionem Christianismi seu veritatis Evangelicæ; Satan in Ethnicismo non præfiguravit suis mendacijs veritatem, multò minus ad eam introductionem fecit, sed æmulatus est eandem in contemptũ veri Dei. Satan enim est Simia Dei omnipotentis, qvi libenter æmulatur ipsius opera, & æmulationibus istis cœcos Gentiles miserè decepit & illusit. Christiani non â Paganis, sed Pagani â Judæis & Christianis ista acceperunt, qvod Florimundus non diffitetur, dum scribit, citante Janssenio p. 124. *qvicqvid Homerus Hesiodus & alij cecinerunt, ex libris Mosis est haustum.*

206] 4. *Reijcit* Janssenius responsionem ad ea qvæ objeceram de Ethnicismo, in Capita seqventia: sed jam erat respondendum; qvo fine præterit Monachus verum respondendi tempus & locum? jamjam erat respondendum, qvod Catholici æmulentur Ethnicos in Sanctorum apparentium jactantiâ, in Sacerdotum fraudulentiâ, in Sanctorum denominatione, in templorum Sanctis dicatorum erectione, in imaginibus Sanctorum, in ornatu Sacerdotali, in candelarum accensione, in Sacerdotum avaritiâ, in peregrinationibus ad templa & sepulcra Sanctorum, in Processionibus, in miraculorum jactantiâ & similibus, qvæ omnia Monachus sub prætextu responsionis in alio loco qværendæ præterit, nec tamen in seqventibus ullibi respondet.

207] 5. Citaveram D. Nicolai Hunnij Libellum, qvi inscribitur *Ecclesia Romana non est Christiana*, respondet Monachus, *esse Libellum vulgarem, ac turpibus mendacijs & calumnijs plenum.* Ge-

neralis hæc est responsio, qvâ omnia omnium Pontificiorum Scripta possent refutari. Scripsit prædictus Hunnius in libello citato exactamEthnicismi & Papismi Harmoniam, qvam nemoPontificiorum refutabit in æternum. Edidit nuper *Apostasiam Ecclesiæ Romanæ ab antiqvâ ApostolicâDoctrinâ*, qvem librum nulli Pontifices nulli Cardinales, nulli Monachi refutabunt. Ecclesiam Romanam colludere & communicare cum Ethnicis, demonstravit (1) Ex Pontificiorum Confessione (2) Ex mediorum designatione, qvibusEthnicismus penetravit in Ecclesiam. (3) Eo, qvod Pontificij excusent ac defendant receptionem abominationum Ethnicarum. (4) Qvod Romana Ecclesia cultum Ethnicum Christianis imitandum proponat. (5) Qvod Pontificij partes qvasdam suæ religionis probent ex cultu Ethnico. (6) Qvod ipsos errores & abominationes Ethnicas ita receperint, ut progressu temporis in legem & consuetudinem imò in publicam doctrinam abierint; demonstrat hoc posterius ex eo, qvod Pontificij exEthnicismo ad se doctrinamEthnicam de medio salutaris doctrinæ pertraxerint, itẽ doctrinam de medijs expiationis peccatorum, ut sunt aqva lustralis & flagellatio; qvod formam totam regiminis Ecclesiastici ex Ethnicismo desumpserint, ut sunt nomina Clericus, cœlibatus, vestitus, rasura capitis, vita sine labore, primitiarum & decimarum reditus, nomina Pontificis, Patriarchæ sanctissimi, potestas summa Spiritualis & secularis eminentia super Magistratum Politicum, dominium super regna & Provincias, Pontificis

fastus,

fastus oscula pedum, gestatio in humeris magnatum, triplex corona purpura, distinctio Clericorum & Episcopatuum, ordines Monachorum & Monacharum &c. Qvod Pontificij modum & rationem cultus Ethnici ad se pertraxerint in celebratione festorum, in nomine Missæ, in sacrificio Eucharistiæ, in manuum lotione apud Sacerdotes, in silentio qvo Missa peragitur, in processionibus ab uno templo ad aliud, ad fontes; qvod cerei, sacræ imagines gestentur in processionibus qvod interdū coronati, nudis pedibus; qvod orantes ad Orientem se convertant, vim precū in prolixitate ponant, orationē certis & canonicis horis adstringant, manuum lotiones (ut preces Deo sint gratæ) reqvirant qvod ad sonitum campanarū & tintinnabulorū orent. Dum Angelos religiosè colunt, itē Sanctos defunctos, dū opera divinæ providentiæ inter Sanctos distribuunt, dū Sanctos canonicant, illorum ossa & reliqvias religiosè venerantur, templa ædificant in cultū illorum religiosum, illisq; dedicant propter illorum cultum, idq; ex voto: dum templa auro, argento, gemmis, vestibus, ramis lauru exornant, dum altaria Sanctorū cultui & honori consecrant, dum imagines colunt, velant, crucem Christi adorant, cultum imaginum prætextu intentionis ad prototypon directæ palliant, cultum Sanctorum pro diversitate locorū & imaginum gratiorē judicant, imagines in compitis & vijs publicis cult9 gratia exponunt, imagines in bellis auxilij causâ circumgestant, thurib9 incensis eas religiosè honorant, sacris vestibus ex religiosâ deveneratione exornant. Dum

cereos

cereos & lampades Sanctis accendunt, tabulas & arma in honorem Sanctorum suspendunt, donaria sanctis offerunt, festis solennibus magno numero eos colunt, in nomine Sanctorum jurant, epulas Sacras in cultum illorum instituunt, jejunia in cultum eorum indicunt, peregrinationes ad loca, templa, sepulcra & reliqvias illorum instituunt. Dum templa faciunt sceleratorum Asyla, dum sacras imagines coronant, dum vexilla diebus Paschatos in templis suspendunt, campanas adversus vim Satanæ & tempestatum pulsant, ignes sacros lustrationis causa excitant, cereum agni Paschalis benedictionibus conficiunt, jubilæum celebrandum indicunt, computum Calendarium tanqvam rem Ecclesiasticam curæ Romani Pontificis committunt, dum Pontifex rosam auream certo tempore consecrat, & cuidam Principi donat. Dum purgatorium docent, ritus sepulchrales instituunt, faces ardentes in funeribus gestant, sacrificia pro salute mortuorum offerunt, sacra anniversaria & novendialia pro salute illorum instituunt. animas lustrant & expiant. Hæc & alia plura D. Hunnius in citato Libello enumerat â p. 363. usq. ad p. 797. non otiosa garrulitate, sed nervosâ demonstratione Ethnicorum ritus enarrando & ex confessione Pontificiorum, æmulationem cultus religiosi adducendo, ad qvæ omnia nullus Janssenius, nullus Forerus, nullus Pontifex in æternũ solidi qvid respõdere poterit.

208] 6. Concludit Janssenius loco qvodam *Theodoreti*, qvi docuerit *Martyrum memoriam celebrari loco Deorum gentilium, pro solennitatibus Jovis*

vis & Bacchi solemnitates Sanctorum peragi &c. sed respond: Theodoretus collationem instituit idololatriæ gentilis cum cultu & devotione Christianorum, qvod illâ longè purior sit & Sanctior; ex ipso autem Ethnicismo hæc orta esse, prorsus non asserit, imò etiamsi assereret, certum tamen est: Scripturam Sacram Theodoreto longè esse antiqviorem, in qvâ Deus ejusmodi introductionem Ethnicismi, aut dextram explicationem, ut Janssenius ex Florimundo loqvitur, simpliciter prohibuit Deut. 12. v. 32. *Qvod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas qvicqvam nec minuas* Deut. 12. v. 29 seqq. *qvando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad qvas ingredieris possidendas, & possideris eas atq; habitaveris in terrâ earum, cave ne imiteris eas, postqvam te fuerint introeunte subversæ, & reqviras Ceremonias earum, dicens: sicut coluerunt gentes istæ Deos suos ita & ego colam. Non facias similiter Domino Deo tuo, omnes enim abominationes, qvas aversatus Dominus fecerunt Dijs suis offerentes filios & filias & comburentes igni. Qvod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas qvicqvam nec minuas.* Deut. 18. v. 9 seqq. *Qvando ingressus fueris terram, qvam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inveniatur in te, qvi lustret filium suum aut filiam ducens per ignem; aut qvi ariolos sciscitetur, & observet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; qvi Pythones consulat, nec divinat, & qværat ex mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.*

209]

209] Imò Deus exemplis demonstravit sibi non placere rituum Ethnicorum translationem in cultum Dei veri, sed eam improbavit tanqvam maximam abominationem. Ægyptij colebant Serapin sub imagine bovis, qvod Israelitæ viderant; in deserto autem volebant hoc Israelitæ corrigere, & vitulum aureum conflabant, non in honorem Serapidis, ut Ægyptij fecerant, sed in honorem *Jehovæ*, qvi eos liberaverat ex Ægypto, fatente Aarone, *hi sunt Dij tui Israel, qvi te duxerunt de terrâ Ægypti, cras solennitas Jehovæ est* v. 45. ista verò cultus Ethnici translatio ad cultum veri Dei Jehovæ displicuit, ut Mosi diceret, *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos & deleam eos* v. 10. Cogitet Janssenius an non Satanas fuerit inventor superstitionis & Idololatriæ Ethnicæ, qvomodo autem inventa Satanæ ad cultum veri Dei possunt aut debent reduci vel adhiberi, qvis credat Deo placere, si colatur ejusmodi cultu, qvo olim Ethnici Satanam coluerunt? Sicut ergò Janssenius Caput suum concludit, *agnosce Mullere qvid vetus Ecclesia* (scil. Theodoretus, qvi isti Monacho est vetus Ecclesia) *senserit, ita ego concludo; agnosce Jansseni, qvid sacra Scriptura & in eâ fundator Ecclesiæ Deus de cultu Ethnico senserit.*

Caput Nonum.

De Contemptu Magistratus Papistico.

210] MAgistratum Politicum in Papatu gravissimè lædi & contemni, novē argumentis in meâ Admonitione

ne demonstravi (1) Dum spoliant eum libertate Spirituali, Scripturæ lectionem prohibendo, calicem benedictũ eripiendo, dogma de dubitatione in causâ justificationis nostræ obtrudendo. (2) Dum docuerunt Magistratum esse statum Deo minus placentem. (3) Dum Pontificem dicunt superiorem esse omni Magistratu Politico, qui â Pontifice omnem suam potestatem habeat. (4) Dum eripiunt Magistratui potestatem Synodos & Concilia convocandi, Bona Ecclesiastica administrandi, de personis & bonis Clericorũ judicandi, jus Episcopos Romanos confirmandi. (5) Dum promissa Imperatorum rescindunt, exemplo Concilij Constantiensis fidem Johanni Hussio frangentis, qvam tamen Imperator dederat. (6) Dum Imperatores & Reges ad truculentiam incitant, & propter pacem cum Lutheranis initam, duriter increpant. (7) Dum Maigstratui regna & Principatus eripiunt, exemplo Sixti V. Pontificis, regnum Angliæ eripientis Elisabethæ Reginæ, illudq; Hispano donantis, donationis itidem Constantini Magni, qvam fingunt Pontifici obtigisse. (8) Dum docent Magistratum esse interficiendum, exemplo Jacobi Clementis Heinricum III. Galliæ Regem interficientis, qvod factum Pontifex Romæ in Consessu Cardinalium laudavit: exemplo Rectoris in in Collegio Jesuitico Parisiensi incitantis Petrum Barrierium ad necem Henrici IV. exemplo quoq; Jesuitarũ in Anglia internecionem Regis & Principum molientium, qvos regicidas Mariana laudat & heroũ instar commendat, (9) dum tandem

Impe-

Imperatores pedibus calcant, Reges de imperio deijciunt, & Magistratum miris modis illudunt. Janssenius dupliciter ad hæc respondet, primò *instantiam de Luthero Magistratum contemnente & vituperante affert*, deinde *ad qvædam argumenta mea respondere conatur*: faciam ὕστερον πρώτερον, & responsionem ad argumenta primo loco examinabo.

211] 1. Ad spolium Scripturæ, Calicis benedicti, fiduciæ certæ de gratiâ Dei, respondet p. 140. (1) *Magistratum esse oves, qvid autem his permittat Ecclesia, de eo supra* cap. 2. *enucleatè scriptum esse, interim Magistratum nihilo minus sua judicia ad normam legis exigere.* (2) De *Calice supra* c. 2. *aliqvid dictum esse, Magistratum qvoq; sine calice fieri participem sangvinis effusi, ut inferius se demonstraturum promisit.* (3) *de dubitatione in causâ justificationis nostræ supra c. 8. esse dictum, & in qvo libertas Christiana consistat, me nō satis intellexisse.* Respondetur.

212] 1. Magistratum esse *Oves* dinstinctè admittimus, sunt Oves Christi, sed non sunt Oves Monachorum, qvi Monachorum somnijs & libidini instar brutarum Ovium se subijciant; *oves enim Christi audiunt vocem Pastoris sui & alienum non seqvuntur* Johan. 10. v. 45. Provocat Janssenius ad cap. 2. in qvo docetur, qvid Romana Ecclesia ovibus suis permittat, & ego provoco ad cap. 2. hujus refutationis in qvo inveniet Monachus, qvam malè ab Ecclesiâ Pontificiâ hoc fiat. Magistratum *ad normam legis divinæ officium suum debere exigere*, ait, sed qvomodo hoc faciet, si lectio legis divinæ ipsi non conceditur, imò eâ ipsâ de causâ lectio

ctio Bibliorum Magiſtratui concedenda eſt, qvia ad normam legis divinæ officium ſuum adminiſtrare debet.

213] In noſtris Eccleſijs docemus, Magiſtratum lectioni ſcripturarum ſacrarum omni ſtudio debere incumbere (1) propter generale mandatum, qvo Deus jubet *omnes Scripturis attendere, Deut. 6. v. 7. 8. cap. 31. v. 11. 12. omnes legere Coloſſ. 4. v. 16. 1 Theſſ. 5. v. 27.* (2) propter ſpeciale mandatum Principibus datum, ut legant & meditentur in verbo Domini *Deut. 17. v. 18. 19. Joſ. 1. v. 8.* (3) propter exempla Principum, qvi commendantur propter lectionem ſcripturæ, ut fuerunt *Joſias 2 Reg. 22. v. 10. 11. 2 Reg. 23. v. 3. Dynaſta Reginæ Candaces Act. 8. v. 28. ſeq.* (4) *propter finem* lectionis Scripturarum qvi ad Magiſtratum qvoq; pertinet, beatitudo, juſtitia, & ſalus æterna, *Pſal. 1. v. 2. 3. Rom. 15. v. 4. 2 Tim. 3. v. 15. 16. Apoc. 1. v. 3. 2 Pet. 1. v. 19.* (5) Propter officium Magiſtratus, qvod eſt cuſtodia utriusq; tabulæ *Deut. 17. v. 19 20. Joſ. 1. v. 7. 2 Reg. 11. v. 12. 2 Chron. 23. v. 11.*

214] 1. Magiſtratum *qvoq; fieri participem ſangvinis benedicti in pane*, aſſerit qvidem Monachus, ſed nos negamus hoc. (1) qviqvid Chriſtus non juſſit, ut cum pane accipiamus, illud nec Magiſtratus cum pane benedicto accipit; ſed ſangvinem ſuum non juſſit ut cum pane accipiamus, ergo nec Magiſtratus ſangvinem Chriſti cum pane accipit. (2) Si in pane benedicto participamus etiam de ſangvine Chriſti, ſeqvitur Monachos bis de illo participare, ſemel in pane, ſemel in Calice, abſurdum eſt conſeqvens ergo & antecedens. (3)

Si cum pane accipimus ſangvinẽ Chriſti, ſeqvetur nos cum calice etiam accipere corpus Chriſti, conſeqvens eſt falſum & Scripturæ contrarium, ergò & antecedens. (4) Si cum pane etiam de ſangvine Chriſti participamus, ſeqvitur ſolam comeſtionẽ panis eſſe integrum Sacramentũ, imò in Cœnâ eſſe duo Sacramenta, comeſtionem panis & bibitionẽ ſangvinis, ſi enim illa comeſtio panis facit hominẽ participẽ ſangvinis, iſta bibitio ſangvinis faciet qvoq; hominẽ participem corporis, abſurdum & falſum eſt cõſeqvens, ergo & antecedens. (5) Confundunt Monachi præſentiã naturalem & Sacramentalem: naturaliter corpus Chriſti præſentem ſibi habet ſangvinem, de qvâ præſentiâ nõ qværitur, *ſed an ſangvis Chriſti in corpore cum pane unito Sacramentaliter ſit præſens*, de eo eſt qvæſtio, de hac autẽ Sacramentali præſentiâ non ex cœcâ ratione ſed ex ſolâ Chriſti inſtitutione judicandum eſt, à præſentiâ præterea naturali ad præſentiam Sacramentalem nulla eſt conſeqventia. Provocat Monachus ad poſteriora Capita ſuæ defenſionis, ego qvoq; provoco ad poſteriora Capita hujus refutationis, in qvibus de hoc themate agetur.

215] 3. *De dubitatione in causâ juſtificationis noſtræ ſuperius*, ait, *actum eſſe*; ſed omnia Cap. 7. ſunt refutata, qvæ Monachus iſte pro aſſerendâ hac dubitatione attulit. *Me non ſatis intelligere*, ait, *qvæ ſit libertas Chriſtiana*: Satis pro imperio Monache: Libertas Chriſtiana eſt, qvâ ſecundum præcepta Chriſti qvilibet debet *ſcrutari Scripturam Joh. 5. v. 39. à Pſeudoprophetis ſibi cavere* Matth. 7. v. 15. *non omni Spiritui credere, ſed Spiritus probare qvi-*

nam ex Deo sint, 1 Joh 4. v. 1. omnia probare, quod bonum est tenere 1 Thes. 5. v. 21. quæ omnia cum magistratui in Papatu eripiantur, rectè dicimus, illis libertatem Christianam eripi, illosq; in miseram Monachorum cæcorum servitutem redigi.

216] Ad 2. rationem respondet *negando Pontificios unqvam docuisse, neminem Deo placere posse in statu Magistratus: Fridericum Electorem Saxoniæ ideo fuisse gavisum de libro Lutheri, qvia illud Scriptum dederit occasionem Principibus, ut excusso jugo legis humanæ & divinæ in bona Ecclesiasticorum involarent.* Sed respondetur: Qvicunq; docet Magistratũ non debere ingredi Ecclesiã, curias esse simulacrorum immolationes, adeoq; Clericum curias non debere ingredi sub fulmine anathematis, is Magistratum habet pro ordine Deo minus placente, cũ nemini Deo placenti ingressus in Ecclesiam prohiberi possit: sed Pontificij hoc docent, ergo Magistratum pro ordine Deo minus placente æstimant. Minor probatur: In Concilio Elibertino Anno 305. tempore Marcelli primi habito canone 56. tale legitur decretum, *Magistratum eo anno, qvo Duumviratum agit, prohibere placet, ut ab Ecclesia sese cohibeat.* In Concilio Romano, Anno 324. tempore Silvestri primi habito Can. 16 legitur tale decretum: *Nemo Clericus vel Diaconus aut Presbyter propter causam suam qvamlibet intret in curiam. qvoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est: qvoniam si qvis Clericus in curiam introierit, anathema suscipiat; nunqvam rediens ad matrem Ecclesiam.* Oportet igitur Curias esse immundas, Magistratũ in Curiâ sedentem ordinem esse immundũ,

 cum

cum in Ecclesiam non debeat ingredi, cum nec ClericusCurias ingrediens ad matrem Ecclesiam redire possit, scilicet propter summam immunditiem in curijs contractam.

217] Enorme autem mendacium est Janssenij docentis, *Lutherum scripto suo de Magistratu politico dedisse occasionem omne jugum legis divinæ & humanæ excutiendi & in bona Ecclesiastica involandi.* Habetur liber iste Tom. 2. Operum Jenens. Germanicorum Lutheri, in eo docet Lutherus, Magistratum esseDei ordinationem, Christianos debere obedireMagistratui, etiã inNovo Testamento jus gladij esse illi concessum, prohibitionem vindictæ privatæ non tollere potestatem Magistratus, conscientias non posse cogi externâ violentiâ, statum Ecclesiasticum & Politicum non esse commiscendum, Episcopos Ecclesiæ esse præfectos, ut verbum Dei doceant, non verò ut Principum instar regant, regimenEpiscoporum non esseJmperium sed ministerium, qvomodoPrincepes erga Deum, erga Consiliarios, erga subditos, erga seipsum sese gerere debeant: hoc libello viso Elector Fridericus Sapiens præ lætitiâ exultavit, ac sublatis in cœlum manibusDeo gratias egit, qvod ex sacris literis jam cognitum atq; exploratum haberet, se in tali ordine constitutum esse, qvi Deum autorem habeat, in qvo bonâ conscientiâ vivere, Deoq; placere possit. Ex hisce verbis colligitur, qvòd in Papatu olim de Magistratu Politico sinistrè prorsus Monachi judicarint. Jugum verò humanum aut divinum esse excutienda, bona Ecclesiastica esse rapienda, Lutherꝰ in hoc scripto

non

non docuit, qvod tamen Janssenius lingvâ maledicâ ipsi adscribere non veretur.

218] Ad 3. rationem, qvod Monachi doceant, Pontificem esse superiorem omni Magistratu Politico, qvi omnem suam potestatem â Pontifice habeat, respondet Janssenius: *Magistratum Politicum subditum esse Episcopis in his, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant, qvod ex Theodoreto probat.* Respondetur: de eo non qværitur, an Magistratus potestati Ecclesiasticæ *sit subjectus in spiritualibus*, hoc enim & nos docemus, Magistratum debere obedire Pastoribus suis in omnibus, qvæ ex verbo Dei proferunt; sed hoc est in qvæstione, *an Magistratus Politicus suam potestatem immediatè â Deo habeat, qvi hunc ordinem in Veteri & Novo Testamento instituit & confirmavit; vel an â Pontifice Romano potestas ista Politica proveniat.*

219] Hoc asserunt Pontificij, Papam habere omnem Regalem & Imperialem potestatem in mundo, Reges esse Vasallos Pontificis Romani, qvos possit instituere, & regnis exuere, Christum dedisse Pontifici Romano jus utriusq; gladij, qvæ omnia docentur & defenduntur in jure Canonico. Evolvantur *Clementinæ lib. 2. Tit. 11. de sent: & re Judic. cap. 2. Pastoralis. Lib. 1. Decret. Gregor. Tit. 6. de Elect. cap 34 Venerabilem. Extravagant: Joh. XXII. Tit. 5. de sede vacante Cap. unico, si fratrum.* Docetur in hisce locis Reges & Principes esse Pontificis Vasallos, imò Pontificem jurisdictionem habere super ipsum Romanum Imperium. Ita scribit *Michael Lonigus* in Consilio Pontifici Gregorio XV. dato de confirmatione Ducis

Bavariæ ad Electoratum, poteſtatem Electorum à Pontifice Romano dependere, qvi jus habeat eosdem confirmandi. Hanc poteſtatem *Bellarminus* dixit *lib. 5. de Rom. Pont. cap. 6.* Pontifici tantùm indirectè competere, *ſcilicet in ordine ad bonum ſpirituale*, qvæ moderatio Sixto V. Pontifici diſplicuit, *ita ut Barclaius* ſcribat *in libro de poteſtate Papæ cap. 13.* parum abfuiſſe qvin ex cenſurâ Pontificis omnia opera Bellarmini totaliter abdita fuerint.

220] Contrarium verò docet Scriptura *Magiſtratum eſſe à Deo ordinatum Rom. 13. v. 1. 2. Proverb. 8. v. 15. 16. qvi Reges inſtituat & de regno deturbet Dan. 2. v. 21. hinc Pilatus cælitus acceperat ſuam poteſtatem Joh. 19. v. 11. hinc Magiſtratus dicitur Dei miniſter Rom. 13. v. 4. qvi judicium adminiſtret non hominibus ſed Deo 2 Chron. 19. v. 6.* contra fictam autem Pontificis poteſtatem ſcripſerunt prolixè *Guilielmus Barclaius* in libro de poteſtate Papæ; *Petrus Molinæus* in libro de temporali Monarchiâ Pontificis, Londini excuſo Ann. 1614. *Sibrandus Lubbertus* in diſſertatione de Papa. Olim qvoq; publicè ſcripſerunt contra hanc poteſtatem Pontificis *Marſilius Patavinus*, qvi ſe vocat Petrum de Vineis in libro pro defenſione Ludovici Bavari Imperatoris contra Papam edito Anno 1324. *Autor oneris Eccleſiæ, Carolus Molinæus* in Oratione Tubingæ habitâ, & alij plures.

221] Ad 4 rationem tacet Monachus, ſcilicet Magiſtratus officium eſſe *Synodos convocare*, exemplo *Salomonis 1 Reg. 8. v. 1. Jehu 2 Reg. 10. v. 19. Joſiæ 2 Reg. 23. v. 1. Ezechiæ, 2 Chron. 29. v. 4.*

bona

bona Ecclesiastica administrare & dispensare exemplo *Assæ 1 Reg. 15. v. 15. Ezechiæ 2 Chron. 31. v. 4 Josiæ 2 Reg. 22. v. 4. de causis civilibus, bonis & personis Clericorum, judicare*, exemplo *Christi* Magistratui se subijcientis *Matth. 17. v. 27. Pauli Act. 25. v. 10.* & omnem animam subditam esse debere potestati civili docentis *Rom. 13. v. 1. Pontifices Romanos confirmare*; Otto I. Imperator elegit & confirmavit Leonem VII; Henricus IV. confirmavit Gregorium VII. *Concilia Generalia convocare*, Exemplo *Constantini* Magni Synodum Nicenam contra Arrium convocantis; *Theodosij Majoris* constantinopolitanam contra Macedonium: *Theodosij Junioris* Ephesinam contra Nestorium; *Marciani* Chalcedonensem contra Eutychen convocantis, qva de re videatur *Wittackerus de Concil. qvæst. 2. c. 3.* Hæc omnia Pontificij Magistratui Politico eripiunt, summo cum potestatis civilis contemptu, ad qvæ Monachus nihil respōdere potuit.

222.] Ad 5. rationem qvoq; tacet, qvod *Pontificij potestati Magistratus violentas manus inferant, dum promissa & decreta Imperatorum rescindunt.* Sigismundus Imperator salvum conductum Johanni Hussio in Concilio Constantiensi dederat, qvi fretus tutela Romani Imperatoris iter suum Constantiam versus instituit, suumq; adventum Pontifici & toti Concilio notificat. Postqvam verò qvatuor hebdomadas ibidem permansisset, vocatus est in Curiam Papæ & Cardinalium, in qva finito brevi colloqvio sub custodia armatorum detentus & in fœdum carcerem conjectus fuit. Comites ipsius de violatione datæ

 fidei

fidei & salvi conductus fuerunt conqvesti, & ex Concilio Pisano An. 1410. habito produxerunt hæreticis damnatis salvum conductum & libertatem domum redeundi fuisse datam, Hussium verò nec convictum, nec satis auditum esse. Imperator qvoq; instanter postulavit, ne in honorē suæ Majestatis fides salvi conductus data violaretur; Nobiles qvoq; præstantissimi qvidam fidem suam voluerunt pro Husso interponere, ut ex vinculis liberaretur, Patres tamen Concilij hoc denegarunt, sub prætextu hæreticis fidē nullo modo habendam esse. Tandem improbitate Cardinalium & Episcoporum Imperator persuasus est, ut fidei suæ renunciaret, cum sanctio júris Pontificij publicam fidem aut defensionem non admittat illi, qvi pro hæretico declaratus sit, qvo facto tandem rogo adductus & concrematus est. Testatur hoc exemplum Reges & Imperatores â Clericis istis iniqvissimis cogi in Papatu, ut fidem datam rescindant.

223] Ad 6. argumentum ex Tacito qvoq; respondet: *Clericos Papales Magistratum ad truculentiam & Tyrannidem incitare,* cum tamen clementiâ thronus regalis roboretur *Prov. 20. v. 28. Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 21.* docet, illos, qvi Romanæ Ecclesiæ non sint addicti, capitaliter esse puniendos & ad fidem Romanam cogendos. *Paulus Windeck in Prognostic. fol. 117. 249.* docet, hæreticos ustionibus, sectionibns, bellorum vi & impetu sine morâ ullâ opprimendos & exscindendos esse, exemplo Hispanicæ crudelitatis, qvâ Christianis Principibus commendat & ad imitationem

tionem proponit. *Sleidanus lib. 26.* commemorat, qvod Paulus IV. Pontifex Romanus per Cardinalem Farnesium fœdus pacificationis impedire studuerit, imò confirmatâ illâ pacificatione Imperatorem Carolum & Regem Ferdinandum *ad* arma concitarit hoc consilio, *potius contra Lutheranos, qvam contra Turcas expeditionem bellicam esse suscipiendam,* idem Cardinalis Farnesius, cum ex Italia in Germaniam ad bellum Smalcaldicum proficisceretur, dixit sese tantam stragem in Germaniâ editurum, *ut in cruore Lutheranorum eqvus ipsius posset natare,* teste Sleidano lib. 17. Ejusmodi consilijs truculentis effecerunt Papicolæ ut in Germania, Hollandia, Anglia, Gallia multum sangvinis innocui effusum fuerit. Solus *Ferdinandus Albaniæ Dux* jactavit suo mandato intra paucos annos homines circiter Octodecim mille publicè & privatim in Belgio ê medio sublatos esse. *Laniena Parisiensis* qvot millia hominum sustulit, qvæ rabies omnes Galliæ Provincias pervasit, ut in urbibus & agris plusqvam centies mille hominum fuerint occisi, qvorum cruore amplissima flumina turbata fuerunt, de qvâ carnificinâ Pontificiâ legatur *Thuanus* Anno 72. Ita Papicolæ ad truculentiam & Tyrannidem Principes suos stimulant & cogunt sub prætextu hæreticos capitaliter esse puniendos contra praxin & doctrinam Christi & Apostolorum, qva de re inferius suo loco prolixè tractabitur.

224] Ad 7. Argumentum qvoq; tacet, *qvod Pontifex regna & Principatus Magistratui eripiat.* Ex donatione Constantini ait Pontifex se posside-

re tot regiones Italiæ, qvam tamen fictam esse *Æneas Sylvius*, qvi postea in Pontificatu Pius II. dicebatur satis demonstrat. De *Venetis* notum est, qvod rogati â Pontifice, qvo jure vectigalia in mari Adriatico possiderent, responderint, privilegia sua extare in Cancellariâ Romanâ in alterâ parte folij, in cujus priore donatio Costantini extet. Qvo jure Pontifex urbem *Romam* adeptus sit, adhuc in dubio est; Imperatores dicuntur Romani ab urbe Româ, qvam olim possederunt, de qvo nullum est dubium, qva de causa in literis rescriptis suis Romam vocarunt, nostram urbem; cur autem Pontifex Imperatores hac urbe & Principatu expulit? Si maximè Pontifici omnia regna mundi fuissent oblata, exemplo tamen Christi non debuisset eadem occupare, Christus enim videns regiam potestatem sibi offerri aufugit & honorem Principum detrectavit *Johan.* 6. v. 15. Egregio autem artificio Pontifex usus est, qvo regna mundi ad se attraxit, excogitavit dogma perniciosum; Christum non plenariè satisfecisse pro pœnis peccatorum, qvæ committuntur post baptismum, sed nobis hanc satisfactionem incumbere, qvæ in hac vitâ pœnis satisfactorijs, post mortem verò igne purgatorio sit peragenda. Istas pœnas relaxandi potestatem sese Pontifex habere professus est, hinc natæ sunt indulgentiæ, annus jubilæus, taxa pœnitentiaria, nundinationes Missaticæ, Privilegia Altarium, venditio beneficiorum & pallij Episcopalis, hisce medijs Papa opes & regna mundi ad se attraxit, & Principibus alijsq; divi-

divitibus thesauros figmento hoc artificiosissimo eripuit, ita ut Roma non malè â rodendo derivetur. Sic Pontifex audet regna huic Principi eripere, alijsq; donare. Sixtus V. Reginæ Elisabethæ regnum eripuit, illudq; Regi Hispanorum donavit, mittebatur classis armata in Angliam, ut regnum occuparet, qvæ ingenti cum damno & ignominia Pontificis dispergebatur, qva de re Thuanus poterit legi.

225] Ad argumentum 8. qvoq; tacet, qvo demonstratum est *Pontifices & eorum Satellites insidiari vitæ Regum & Principum.* Ex instinctu Jesuitarum *Johann. Castelle* Heinricum IV. Galliæ Regem interficere voluit, teste *Thuano lib. 3. an. 94. Jacobus Clemens* Monachus Dominicanus Henricum III. Galliæ Regem cultro interfecit, fatente *Marianâ lib. 1. cap. 6.*7. de Rege & Regis institutione. Rector Collegij Jesuitici Parisijs *Petrum Barrierium* ad internecionem Regis Galliæ Henrici IV. incitavit, qvâ de causâ Parlamentum Parisiense Jesuitas tanqvam *turbatores pacis & hostes Regis proclamavit*, teste *Thuano an.* 94. Ex instinctu *Garnetti* & aliorum Jesuitarum insidiæ positæ fuêre regio Parlamento in Angliâ, qvod per impetum pulveris tormentarij ê medio sublatum fuisset, nisi Deus ex gratia singulari scelestissimum hoc facinus detexisset, qva de re legi potest *Conjuratio Sulphurea Regis Jacobi.* Imperator Heinricus septimus hostiâ veneno infectâ ê medio sublatus est per Monachum qvendam Dominicanum, testè *Platinâ in Clemente V.* p. 355. & *Zwingero in Theatro volum.* 2. *lib.* 7. p. 466.

Regi-

Regicidia ista scelestissima approbant Pontifices & eorum Satellites quasi res præclarè gestas. Regicidium Henrici III. in Galliâ approbavit Sixtus V. Pontifex Romanus, qvi in conventu Cardinalium solenni Jacobi Clementis factum *laudavit, & cum opere miraculoso Incarnationis Christi & Redemptionis generis humani ore scelesto & blasphemo comparavit* teste *Thuano, lib. Historiar. 96. anno 89.* Idem factum commendat *Mariana lib. 1. de Rege & Regis institutione cap. 6.* dum ita scribit: *Specie alias literas in manus tradendi, cultro, qvem herbis noxijs medicatum manu tegebat, supra vesicam aliud vulnus inflixit: insignem animi confidentiam, facinus memorabile.* Et post pauca: *Cæso Rege ingens sibi nomen fecit: cæde cædes expiata, ac manibus Guisij Ducis perfidè perempti Regio sangvine est parentata.* Cap. 7. in qvo Mariana de Tyrannis per dolum aut venenum tollendis agit, expressè inqvit; *si evaserint* (isti scilicet sicarij & Regicidæ) *instar magnorum heroum in omni vitâ suspiciuntur; si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadit, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati.* Attendite vos Reges atq; Principes, qvomodo Monachi vitæ vestræ insidientur, qvid Caput Ecclesiæ vestræ Pontifex sentiat de vestrâ internecione; attendite & tandem aliqvando malitiam istorum hominum cognoscite.

226] Ad hæc omnia Janssenius tria verba mussitat, *neminem debere mirari, si Pontifices Romani justas pœnas sumpserint de Regibus & Principibus, qvi Ecclesiæ rebellaverint. Imò Ambrosius Theodosio Imperatori sacris interdixit p. 143.* Respond. Etiamsi

Ecclesia Romana vera esset Ecclesia (qvod simpliter negamus) Pontifex tamen nullo jure Reges & Principes Romanæ Ecclesiæ sese opponentes posset interficere. (1) *propter mandati defectũ*, ubi hoc Christus aut Apostoli mandarunt, Clericos debebere interficere illos Principes, qvi Ecclesiæ se opponunt, citetur liber, caput, versus. (2) *Propter exemplorum defectum*, ubi Christus interfecit Herodem, Pilatum, qvi veræ Ecclesiæ se opponebant? ubi Paulus Neronem, cæteriq; Apostoli alios Tyrannos interfecerunt, qvi Christianæ Ecclesiæ se opponebant. (3) *propter praxin Ecclesiæ primitivæ*, qvæ â Nerone, Traiano, Juliano alijsq; Tyrannis gravissimè premebatur, neq; tamen Patres istos Tyrannos occidebant, licet veræ Ecclesiæ se opponerent, Excipit Bellarminus *defuisse Christianis vires;* atqvi venena & fraudes non defuerunt, qvibus potuissent istos persecutores ê medio tollere, qvod licitum ipsis fuisset ex doctrina Jesuitica. (4) *Exempla Ecclesiæ Veteris & Novi Testament* contrarium monstrant; veram Ecclesiam non ferro aut veneno Tyrannos sustulisse, sed illorum persecutiones fide & patientiâ precibusq; pertulisse. Israelitæ erant vera Ecclesia, sed *Pharaonem* non interficiebant, licet is veræ Ecclesiæ se opponebat. Jussu *Ahasveri* Regis omnes Judæi debebant interfici, sed Mardochæus gladio aut veneno Regem non ê medio tollebat, verum ad preces & jejunium confugiebat. *Nebucadnezar* totam Judæam vastaverat, & captivos ad Idololatriam vi cogebat *Dan. 3. v. 5. 6.* Jeremias autem illum non interficiebat sed ad patientiam & obedientiâ hortaba-

tabatur *cap. 27. v. 12. cap. 29. v. 7.* Paulus coram *Nerone* accusatus non occultabat cultrum sub veste, & in Tyrranni pectus adigebat, qvod tamen facile potuisset facere, sed ipsam mortem pro Christi gloria patienter sufferebat. Exemplum Ambrosij ad rem nihil facit, is enim Theodosio *sacris interdicebat*, non autem *interficiebat cultro vel veneno, id qvod tamen in qvæstione est.*

227] Argumentum 9. fuit, qvod Pontifices Romani *summum Magistratum turpiter contemnant.* Alexander enim tertius pedibus conculcavit collum Imperatoris Friderici Barbarossæ dicens: super Aspides & Basiliscos ambulabis. Alexander V. Vladislaum Hungariæ Regem regno suo privavit. Gregorius septimus Henricum IV. Imperatorem in medio hyemis frigore unâ cum Conjuge & liberis â mane ad vesperam usq; nudis pedibus, esuriente stomacho, vestibus laceratis stare voluit, ad qvæ omnia Monachus iste magis *mutus* est, qvàm piscis.

228] In genere tandem probat *Pontificem in summâ veneratione habendum esse ex Esa. 49.* qvo in loco, ait, prædictum esse: *Summum Pontificem adoratum iri â Regibus & Principibus*, & hunc honorem ipsi Christo exhiberi probat *ex Johan. 13. Luc. 10.* exemplo Episcopi Philadelphiæ, ante cujus pedes adoratus fuerit. Sed respondemus (1) aliam esse qvæstionem, *an Pontifici veneratio debeatur?* aliam verò, *an Pontifex debeat interficere Reges & Principes, illisq; debitum honorem detrahere per suos satellites?* ad hanc respondendum fuit Monacho, non ad illam. (2) *Johan. 13.*

& Luc.

& *Luc.* 10. eqvidem dicitur, *qvi accipit, si qvem misero, me accipit, qvi vos audit, me audit*, sed hæc ad Pontificem non pertinent, cum is nunqvam potuerit demonstrare, se â Christo missum esse. Antichristus non mittitur â Christo, Pontifex autem est magnus Antichristus, ut in capite de Antichristo probatur, ergò â Christo non est missus, adeoq; hæc dicta ad Pontificem applicari nõ possunt. (3) Ineptè Monachus ait *Christum adorari Hebr.* 1. *& tamen Angelum Philadelphensem qvoq; fuisse adoratum*; adoratio enim cum de hominibus usurpatur, externam reverentiam denotat, non cultum religiosum, ita Loth adoravit Angelos *Gen.* 19. v. 1. putans illos esse homines; Abrahamus filios Heth *Gen.* 23. v 7. Fratres Josephum *Gen.* 42. v. 6. ita qvoq; Episcopi prono corpore honorabantur, sicut *Act.* 16. v. 29. *custos carceris ad pedes Pauli & Silæ prostratus, procidit.* Talis honor, cum Episcopo exhibetur, non ipsi Christo exhibetur, cum honor Christo debitus non sit externa reverentia, sed religiosus & internus animi cultus. Qvomodo autem ab Episcopo Philadelphensi ad Papam licet argumentari, cum hic vocationem suam hactenus demonstrare non potuerit, qvippe in templo Dei ut Antichristus sedeat, ut inferius probatur.

229] Dictum *Esaiæ cap.* 49. *v.* 7. *&* 23. ridiculè de Pontifice Romano Janssenius explicat, ita se habent verba: *hæc dicit Dominus ad servum Dominorum, Reges videbunt & consurgent Principes & adorabunt propter Dominum, qvi elegit te, erunt Reges nutri-*

nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ. Vultu in terrâ demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Per *servum Dominorum*, ait Janssenius, intelligi *Pontificem*, quasi servũ servorum Dei, sed errat vehementer, infert enim hanc glossam in textum. Vir ille, de qvo Esaias loqvitur, vocatur *servus Dominorum*, at Monachus vocem *Dominorum* declarat per *Servorum Dei*: unde hæc declaratio probatur? *Dominos* in hoc loco significare *Dei servos*, ex qvibꝰ circumstantijs textus, ex qvâ cohærentiâ, qvibus conseqventijs? Loqvitur Propheta in hoc loco de Ecclesia Novi Testamenti, & de Capite illius Christo, de qvo ait v. 1. *ipsum vocatum esse de ventre Matris suæ, v. 2. os ipsius positum esse instar gladij acuti, v. 5. ipsum reducturum Jacob ad Deum* v. 6. *& conversurum fæces Jacob: datum esse illum in lucem Gentium, ut sit salus Dei usq; ad extremum mundi.* Hunc servum suum alloqvitur Deus *v. 7.* eumq; vocat *servum Dominorum qvem suscitaverit v. 9. ut diceret vinctis exite, & qvi in tenebris erant, revelamini.* Ista verò omnia soli Christo competunt, qvi Jacob reduxit, fæces Israelis convertit, qvi datus est in lucem gentium & salutem omnium populorum, qvi vinctis (peccatorum ligamine) *dixit, exite, & illis qvi in tenebris* (peccatorum scilicet & umbra mortis) *sederent, revelamini*; qvæ omnia de Pontifice Romano intelligi neqveunt, nisi fortè stolidus Papa sese in lumen gentium & salutem populorum darum esse jactare vellet.

230] Vocatur autem Christus in hoc loco *servus* & qvidem *servus Dominorum* certis de causis. Servus dicitur (1) qvia formam servi assumpsit

Phil.

Phil. 2. v. 7. (2) Qvia inter Diſcipulos verſabatur ut ſervus, *ego in medio veſtrum ſum, ut qvi miniſtrem Luc. 22. v. 27. Dominorum ſervus* dicitur, quia imperio Cæſaris Matth. 17. & alijs Dominis ſeſe ſubjecit in paſſione ſua, *Annæ, Caiphæ, Herodi, Pilato*, â qvibus ludibrio & contemptui habitus fuit. Sors Chriſti autem eſt etiam ſors Eccleſiæ Chriſtianæ, qvæ conformis redditur in hac vita imagini ipſius *Rom. 8. v. 29.* & ſæpe Dominorum ac Tyrannorum ſervitio ſubjicitur, qvod fit in perſecutionibus & varijs afflictionibus, ê qvibus tãdem divinâ gratiâ emergit, ita *ut Reges ſint nutritij & Reginæ nutrices ipſius.* Sic tempore Chriſti & Apoſtolorum converſi ſunt ad veram Eccleſiam *Nicodemus Joh. 3. v. 2. ſeq. Joſeph ab Arimathia Joh. 19 v. 38. Joanna Cuſij Regis Procuratoris uxor Luc. 8. v. 3. Centurio Capernaticus Matth. 8. v. 8.* ſeq. item *Regulus ille Joh. 4. v. 53. Cornelius Centurio Act. 10. v. 2.* & alij plures. Tandem Deus excitavit Patronos Eccleſiæ *Conſtantinum Magnum, Theodoſium* & alios Magnates; qvi liberaliter Eccleſiam ſuſtentarunt, ab injurijs externis vindicarunt, Scholas erexerunt, & Filium Dei oſculati ſunt, *Pſal. 2. v. 12.* Hic eſt ſenſus dicti apud Eſaiam: de Romano autem Pontifice, *qvi non Ens* eſt in ſcripturis, ne γρῦ qvidem in hoc loco invenitur.

231] Lutherum verò oſorem fuiſſe Magiſtratus, qvi ſeditiones & rebelliones contra Superiores excitaverit, ſupra *Janſſenius* ex Florimundo narravit, ſed non demonſtravit. Vetus hæc eſt cantilena, qvam dudum cecinerunt *Piſtorius, Scoppius,*

pius, Vetterus, Schererus, Tannerus & alij. Respond: (1) Lutherus dignitatem Magistratus gravissimè tuetur contra criminationes papales. *Deum hujus status authorem esse demonstrat Tom. 2. Jenens. Germ. p. 173. veras hujus officij functiones recenset, scilicet gloriam Dei, salutem subditorum promovere, justitiam administrare &c. ib. p. 151. 153. 186. distingvit regimen politicum ab Ecclesiastico ibid. p. 174. Tom. 6. Jenens. Germ. p. 148. & totam de Magistratu doctrinam tam piè & eruditè tractat, ut in papatu ante Lutherum nemo Doctorum & Scholasticorum unqvam tractavit, vide Libellum de Magistratu Tom. 2 Jenen. p 172. & Tom. 5. Jenens. Germ. p. 148. Tom 6 p. 175.* (2) Dum contra Regem Angliæ, Georgium Saxoniæ & Ducē Brunsvvicensem duriusculè scripsit, distingvendum est inter personam & officium: officium honoravit, sed personas propter flagitia reprehendit; consideranda autē est causa, qvæ Lutherum impulit ad hanc severitatem, scilicet illi Principes Christum blasphemabant, Evangelium perseqvebantur, Lutheri personam & officium criminabantur, vitæ ipsius pericula struebant, cum itaq; Lutherus ratione officij & doctrinæ ipsis non esset subjectus rectè ipsorum scelera illis exprobravit. (3) Prophetæ & Apostoli longè severius & durius increparunt impium Magistratum, vocando illos *viros mortis, 2. Sam. 12. v 7 Turbatores Israelis, 1. Reg 18. v 18 qvorum sangvinem canes lingent, 1 Reg. 21. v 19 qvi venundati sunt, ut faciant malum in conspectu Domini v. 20 qvos canes comedent v. 23. Principes Sodomorum Esa. 1. v. 10. Lupos rapientes prædam ad effundendum sangvinem,*

gvinem, & ad perdendas animas Ezech. 22. v. 27. Leones rugientes, lupos vesperè, non relinqventes in manè Zoph. 3. v. 3. Infideles, socios furum Esa. 1. v. 23. prætereuntes sermones Domini pessimè Jer. 5. v. 28. Principes pueros & mulieres Esa. 3. v. 4. 12. qvi convertunt in absynthium judicium & justitiam in terrâ relinqvunt Amos 5. v. 7. qvi odio habent bonum & diligunt malum, qvi violenter tollunt pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper oßibus eorum, qvi comedunt carnem populi Dei & pellem eorum desuper excoriant, & ossa eorum confringunt, & concidunt sicut in lebete, & qvasi carnem in medio ollæ. Qvi ædificant Sion in sangvinibus Jerusalem in iniqvitate, & in muneribus populum judicant Mich. 3. v. 2. 3. 10. 11. Qvi malum manuum suarum dicunt bonum, qvorum optimus est, qvasi paliurus, & qvi rectus, qvasi spina de sepe Mich. 7. v. 3. 4. iniqvos, qvi nesciunt confusionem Zoph. 3. v. 5. vulpes Luc. 13. v. 32. *Hypocritas Luc.* 13. v. 15. *Filios Diaboli Joh.* 8. v. 44. *Filios gehennæ Matth.* 23. v. 15. *Cœcos & Stultos* v. 19. *qvi comedunt domos viduarum* v. 14. *qvi claudunt regnum cœlorum ante homines* v. 13. *parietes dealbatos Act.* 23. v. 3. *Leones* 2. *Tim* 4. v. 17. *Tyrannos* 2. *Macc.* 7. v. 30. *scelestos & omnium flagitiosissimos v.* 34. *durâ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, qvi semper Spiritui Sancto resistunt, proditores & homicidas Act.* 7. v 51. 52. (4) Sicut itaq; David & Salomo correptiones tales æqvo animo & benigno susceperunt. *Psal.* 141. v. 5. *Syr.* 21. v. 24. *prov.* 27. v. 6. *Syr.* 21. v. 22. ita etiam isti Principes debuissent Deo gloriam dare, resipiscere & Evangelium amplecti

(5) Imò Lutherus ipse rationes exponit, cur tam acriter contra istos Principes scripserit, *qvia scilicet petendo, supplicando, humiliando nihil efficiebat, imò hypocriseos accusabatur Tom. 2. Jen. Germ. fol. 145. Tom. 3. f. 334.* (6) Contra Cæsarem scribens taxavit pessimos Consiliarios & persecutores Evangelij, qvi abutebantur nomine Cæsaris, scilicet *Clementem Papam & Campegium Cardinalem. Tom. 5. Jenens. p. 289. Cæsarem verò ipsum excusat Tom. 5. p. 280.*

232] Ad bella verò & seditiones neminem excitavit, qvamvis dixerit, doctrinam suam turbas & seditiones excitare, nam (1) Christo hoc potuisset objici, qvi dicebat *Matth. 10. v. 34. 35. Nolite arbitrari, qvia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam & nurum adversus socrum suam.* Qvo nomine etiam ut seditiosus accusabatur Luc. 23. v. 5. (2) Apostolis idem potuisset objici, illis enim docentibus Evangelium Christi, varij tumultus & turbæ excitabantur Act. 15. v. 2. cap. 17. v. 5. cap. 23. v. 7. (3) In primitiva Ecclesia hoc objiciebatur Christianis, qvod illorum doctrina esset seditiosa, qvæ tamen solide refutabantur *à Clement. Alexand. lib. 7. Stromat* (4) Distingvendum est inter ea, qvæ turbas pariunt *ex sese*, vel *per accidens*; Evangelium parit seditiones non ex sese, sed per accidens, propter malitiam hominum, qvi Spiritui Sancto contradicunt & Evangelium perseqvuntur. Contra seditiones ex professo scribit *Tom. 2. Jenens. Germ. fol. 62. Tom. 3. Jenens. fol. 148.*

Tomo

Tomo 6. Jenens. fol.7. Fusius ad hæc omnia responsum est in Luthero Defenso, qvi liber, Deo volente, brevi prodibit, qvorsum Janssenium remitto.

233] Notabile autem exemplum calumniæ Pontificiæ hic observetur in Janssenio, & (qvem citat) Florimundo: accusant illi Lutherum, *qvod in libro de Captivitate Babylonicâ scribat: non esse ullam spem restaurandæ libertatis Evangelicæ, nisi humanæ leges penitus aboleantur: sese effecturum, ut nec Ecclesia Christiana, neq; Evangelium ullum agnoscat Magistratum, imò ut nesciat, qvid sit Magistratus, hæc enim esse hominum inventa & meram tyrannidem: sibi compertum esse, nullam Remp. legibus bene ac feliciter posse administrari* &c. Verùm hæc & similia in libro de Captivitate Babylonicâ nō inveniūtur, qvippe in qvo non de Magistratu Politico sed de septem Sacramentis agit: evolvatur Liber ille & legatur vel ab hostibus Lutheri; Citata ista ibidem non inveniuntur. Accusat qvoq; Lutherum scribentem *qvod Imperator sit Turca baptizatus, qvi peior sit Turcâ non baptizato*, sed locum adscribere non potuit: pro figmento igitur ista habeantur necesse est, donec Lutheri verba cum citato loco producantur.

Caput Decimum.

De fraudibus & dolis Pontificiorum.

234] RElígionem Pontificiam *fraudibus & mendacijs propagari* demonstravi in mea Admonitione novem articulis (1) Prohibent Magnatibus lectionem

Librorum Evangelicorum, ne ſcilicet veritatem cognoſcant. (2) Depravant ſcripta Patrum (3) Aliud Laicis proponunt, aliud autem credunt. (4) Miraculis fictis homines decipiunt. (5) Animas mortuorum redire fingunt (6) Reliqvijs Sanctorum Chriſtianos fallunt (7) Æqvivocationes uſurpant. (8) Fœminam in Pontificatu vixiſse negant. (9) In Legendis Sanctorum plurima mendacia enarrant. Ad ſingula Janſſenius aliqvid excipit. Singulas exceptiones videbimus & reſpondebimus.

235] *1.* Magna eſt fraudulentia qvod Pontificij *Principibus & Magnatibus libros Lutheranorum eripiunt & illorum lectionem prohibent*, ô ſi Imperator, Electores, ſi Reges & Principes in Papatu haberent libertatem noſtratium Scripta evolvendi, & qvomodo purgatorium, indulgentias, auricularem confeſſionem, Paparum Dominium & conſcientiarum torturam refutamus, inqvirendi, ſine omni dubio de noſtra religione optimè judicarent. Ita factum eſt in Comitijs Auguſtanis, cum Principes qvidam Pontificij auſcultaſſent lectioni Auguſtanæ Confeſſionis, faſſi ſunt, ſeſe antea longè aliter de Lutheranorum Religione fuiſſe informatos, ac ſi Sacroſanctam Trinitatem negarent, Chriſtum & Matrem ipſius blaſphemarent, Cœnam Domini adminiſtrarent inſtar Convivij vulgaris, Magiſtratum contemnerent, conjugio abrogato beſtiarum more viverent. Ita procul dubio hactenus craſſiſſima mendacia de noſtra religione ſparſerunt in aulis Magnatum, eosq; ad odium & perſecutionem noſtræ

ſtræ religionis ſtimularunt, ſcriptis autem noſtratium ſuppreſis & prohibitis. Nos Magnatibus in Eccleſia Lutherana non tantùm non prohibemus lectionem librorum Pontificiorum, ſed etiam ſvademus, ut ipſi inqvirant & Monachorum cœcitatem & amentiam exinde cognoſcant. *Janſſenius* autem reſpondet in Papatu hæc rectè fieri (1) *Qvia Lutherani â vera ſide defecerunt ad errores, qvi ſerpunt cancri inſtar 2.Tim. 2. v. 17. (2) Qvia ſi Paulus jubet hæreticos eſſe vitandos 2.Tim. 3. v. 5. Tit. 3 v. 10. utiq; libri illorum qvoq; erunt vitandi. (3) Principes eſſe Oves, qvibus ſtandum ſit judicio Eccleſiæ. (4) Imperatorem Carolum V. Libros Lutheri prohibuiſſe ſingulari mandato. (5) optandum eſſe ut proteſtantes Principes ſine præjudicio ſcripta Pontificiorum evolverent* p. 145. 149.

236] Reſpondemus (1) *Lutheranos defeciſſe â verâ* fide eſt ipsũ κρινόμενον, de qvo inter nos & Pontificios controvertitur, hoc ergo pro indubitato principio non poteſt præſupponi. Phariſæi dum contra Chriſtum & Apoſtolos ſimiliter diſputabant, eos â verâ fide defeciſſe, dicebant, doctrinam illorum eſſe *novam Marc. 1. v. 27.* cum tamen ipſi Phariſæi eſſent Apoſtatæ, qvos Chriſtus ad veterem Moſis & Prophetarum doctrinam revocabat. Ita Pontificij nobis objiciunt, nos â fide verà defeciſſe, cum tamen illi ipſi defecerint, & â nobis ad veterem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam revocentur & adigantur. Ejusmodi Apoſtaſias monſtrat *Ægidius Hunnius* in collatione doctrinæ Apoſtolicæ antiqvæ & hodiernæ Romanæ, qvã Lector in *præfatione ſuper Epiſtolã ad*

Romanos invenerit. Talem Apostasiam demonstravit *Nicolaus Hunnius* in Libro *Apostasiæ Ecclesiæ Romanæ*, in qvo demonstrat eam â verâ doctrinâ ad Judæorum, Ethnicorum, & veterum hæreticorum abominandas superstitiones defecisse. In parte secundâ hujus scripti infra qvoq; demonstrabitur, nihil esse in antiqvitate Apostolicâ qvo Pontificij suos errores palliare possint. Ratio itaqve hæc nulla est. (2) Non seqvitur, si colloqvia hæreticorum sunt vitanda, ergo etiam ipsorum libri, nam colloqvia hæreticorum non absolutè prohibentur, sed conditionatè, si nimis crebro, nimis amicè, si non recto fine instituantur, qvi est omnium probatio, hæresium cognitio, & hæreticorum conversio. Si verò interdum hoc fiat, animo probandi, cognoscendi, bonum eligendi, hæreticos convertendi, licitum est cum hæreticis cõversari & libros illorum evolvere, de non cognitis enim nemo rectè judicare potest. (3) *Principes esse Oves Monachorum*, qvi brutorum instar mendacijs Monachorum se subjiciant, negamus: debent illi qvoq; *omnia probare* 1. Thess. 5. v. 20. *Spiritus probare* 1. Joh. 4. v. 1. & *in veritatem inqvirere*. Si ex Scripturis Pastores aliqvid proponant, obediendum est Principibus, tanqvam ovibus Christi, sed ut ad qvamvis libidinem & somnia Monachorum obligentur, illis nullibi est injunctum. (4) *Imperatorem Carolum V. prohibuisse*, ait, *libros Lutheri*; respondit Lutherus ipse ad illud decretum, nomine Imperatoris, â qvibusdam hostibus Evangelij illud fuisse editum, qvi sub authoritate Imperatoriâ volebant Lutheri doctrinam supprimere.

mere. Videatur *responsio Luther. Tom. 2. Jenens. Germ.* Posito autem Imperatorem, imò omnes Reges & Principes libros Lutheri prohibuisse, ex eo tamen falsitas doctrinæ nostræ non seqveretur. Qvoties Senatus Hierosolymitanus Apostolorum Conciones, qvoties Ethnici Imperatores libros Christianorum prohibuerunt, neq; tamen exinde seqvitur libros istos imò ipsa Biblia esse libros hæreticos, eosq; jure prohibitos fuisse. (5) Principes Lutherani liberè evolvunt scripta Pontificiorum; Janssenius ait, *utinam candido affectu & sine præjudicio hoc facerent!* imò Monache, habemus per Dei gratiam in nostris Ecclesijs Principes & Magnates, qvi de libris ejusmodi longè rectius judicant, qvam tota Monachorum caterva. Principes Lutherani in tantâ conscientiarum servitute & torturâ non tenentur captivi, ut fit in Papatu, legunt Biblia, calice benedicto utuntur, justificationis suæ per fidem sunt certi, legunt scripta vestratium, imò Romam qvidam abeunt, & abominationes Meretricis Babylonicæ oculis usurpant, adeoq; qvid â nobis doceatur & qvomodo Papatus depingatur accuratè & verè judicare possunt: rationes igitur istæ non evincunt libros Lutheranorum in Papatu rectè prohiberi.

237] Legimus eqvidem *Act. 19. v. 19. multos ab Apostolis conversos, libros curiosos & vanos contulisse & combussisse*; sed libri isti fuerunt Magici, qvales uti etiam famosos & manifestè blasphemos nos prohibendos imò comburendos esse concedimus. Sed nos qværimus de libris eruditis, qvi de Religione ex verbo Dei, licet non rectè intellecto

disserunt, si modestè & sine convitijs scripti sunt, utiqve ejusmodi libri non possunt prohiberi (1) Qvia deest mandatum Dei expressum. (2) Praxis Christi & Apostolorum aliud monstrat, qvi lectionem Scriptorum Pharisaicorum & Sadducæorum non prohibuerunt: sic nullibi legimus Apostolos prohibuisse lectionem librorum, qvos Pseudoapostoli spargebant (3) Divinæ admonitiones non cõcedunt, *omnia probate, qvod bonum est tenete 1 Thess. 5. v. 20. nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus an ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1.* non omnia sunt credenda, nec omnia rejicienda, sed facto examine bona eligenda, mala vitanda, qvod fieri neqvit si lectio librorum prohibeatur. *(4)* Suspicio malæ causæ adhæret ejusmodi prohibitionibus, Tyranni enim veritatem cœlestem opprimere qværunt, libros prohibendo & comburendo, ut exempla testantur *Jer.* 36. v 23. 1 *Maccab.* 1. v. 59. Ergo jure divino hoc Pontificij non faciunt, dum libros qvosvis sine discrimine, vel verè hæreticos, vel qvos hæreticos esse putant, Christianis eripiunt, & lectionem illorum prohibent, qva in re Ethnicos potius imitantur ad qvorũ exemplum in eadem causâ *Bellarminus* provocat *lib. 3. de Laicis cap. 20.*

238] 2. Insignis dolus est, qvod Pontificij *Scripta Patrum corrumpunt & adulterant.* Extat liber, *Index Expurgatorius librorum qvi hoc seculo prodierunt, vel doctrinæ non sanæ erroribus inspersis, vel inutilis & offensivæ maledicentiæ fellibus permixtis, juxta Sacri Concilij Tridentini decretum: Philipp. II. Regis Catholici jussu & authoritate, atq; Albani Ducis consilio ac Ministerio in Belgia concinnatus Anno 1571.*

1571. cum signo Typographico Regis ejusdem impulsu Antverpiæ ex officina Christophori Plantini Prototypographi Regij An. 1571. In hoc libro Pontificij dicta Patrum expungunt, qvæ non faciunt ad superstitiones Papales confirmandas, interdum alia dicta substituunt, & ita Patres corruptos Ecclesiæ Christianæ obtrudunt. Respondet *Janssenius* p. 149. *non fuisse depravationem, sed ab erroribus & mendis vindicationem, hæreticos potius corrupisse Patrum Scripta.* Pontificios autem in isto indice ista correxisse & errores expunxisse.

239] Respondetur (1) ita corruptores Bibliorum fraudulentiam suam excusare possent, non esse corruptionem, sed errorum, qvos hæretici insperserant, correctionem, & â mendis vindicationem, imò omnes omnium rerum corruptores & depravatores hoc generali responso possunt uti, & suam fraudulentiã excusare. *(2)* Si Hæretici ante aliqvot secula corruperunt scripta Patrum, necesse est, *Janssenius* demonstret id factum esse in illis locis, & qvidem in omnibus locis, qvos Pontificij correxerunt, nominet personas; describat tẽpus, locum, modum & alias circumstantias, (qvod Pontificij aliàs à nobis reqvirunt) ut certi simus, ubi & qvando hoc factum sit, nisi hoc fecerit, nec apud nos nec alios cordatos fidem merebitur. *(3)* Qvinam fuerunt isti hæretici? Lutherani esse non potuerunt, cum Pontificij statuant, ante Lutherum neminem fuisse Lutheranum. Qvomodo autem Hæretici Lutherani, qvi tamen ante Lutherum non fuisse dicuntur, nihilominus ista

ista Patrum scripta potuerunt corrumpere? Omnia enim ferè loca, qvæ expungunt, ideo corrigunt, qvod Lutheranis faveant. (4) Falsitatem commenti hujus qvidam agnoverunt in Concilio Tridentino, qvi contradixerunt huic fraudulentiæ, nominatim hoc fecit *Thomas Sanfelicianus* Episcopus, atq; ordinis Eremitarum Generalis, ut testatur *Svavis* in *Histor: Concil: Trident:* p. 532. (5) Si Pontificij bonam fovent causam, cur Serenissimi Regis Hispaniæ mandato sanxerunt, ut Index iste Expurgatorius privatim custodiretur, nec ullum exemplar alijs communicaretur. Si erroribus hæreticorum putant se contradicere, cur non palam in conspectu Ecclesiæ hoc fecerunt? Scilicet, *qvi mala agit, odit lucem Joh.3.v. 20.* (6) Contra praxin Ecclesiæ primitivæ clancularia ista repurgatio facta est. Patres olim cum animadverterent falsa dogmata & scripta, non clanculum sed palàm, non fraude sed veritate oppugnarunt Spiritus istos erroneos, non regijs interdictis, sed æqvâ communicatione scriptis & disputationibus hoc fecerunt; testantur hoc Conciliorum acta & Patrum scripta, in qvibus Porphyrij Celsi, Juliani, Manichæorum, Pelagianorum & aliorum verba ac disputationes publicè examinarunt & refutarunt. Pontificij aliàs semper crepant Ecclesiam antiqvam, sed hoc in facto ab exemplo illius turpiter defecerunt.

240] Ejusmodi fraudulentiam commiserunt in scriptis *Sancti Ambrosij* corrumpendis, de qvâ *Franciscus Junius in præfatione ad Lectorem super Indic. Expurg:* historiam â se visam narrat. *Rem*

meis

meis oculis visam ad exemplum adferam. Ante annos viginti septem, qvum Lugduni agerem (egi autem anno 1559. & seqvente) correctore qvodam typographico usus sum familiariter, cui Ludovico Saurio fuit nomen. Habitabat ille non procul â Mercuriali vico, in ædibus conjunctis trium columbarum signo. Qvum ad salutandum hominem venissem casu vel potius singulari Dei providentia accidit, ut versantem eum offenderem in recognoscendis D. Ambrosij operibus, qvæ tum Frelonius excudebat. Varijs autem sermonibus ultro citroq; habitis, qvum me avocamento esse ab opere nolle ostenderem, ille retorsus lectionem unius *paginæ, videsne, inqvit, hanc formam Ambrosianæ editionis nostræ? qvam sit elegans, accurata, & in speciem omnibus anteponenda alijs qvæ adhuc in lucem prodierunt? postea contuenti opus & probanti elegantiam ejus dixit: Ego verò si qvod exemplum Ambrosiani operis mihi emendum esset, qvodvis exemplum aliud potius qvam hoc qvod vides compararem. Sciscitatus sum hujus dicti causam. Tum ille de forulis sub mensa sua latentibus aliqvot paginas promens, (erant autem paginæ, ut loqvuntur Græci, κεχιωμέναι sive cancellatæ, aliæ ex parte & aliæ universè) hæc est, inqvit; prima forma paginarum, qvas his paucis diebus ad exemplum veteris & certi exemplaris optima fide impressimus: Franciscani autem duo pro autoritate has omnes paginas dispunxerunt, ut vides, & illas substitui in locum priorum curaverunt præter omnem nostrorum librorum fidem: qvæ res sumptum & molestiam Frelonio creavit gravissimam:*

nam

nam pretium chartæ operarumq; amisit universum, temporis jacturam passus est, & typographicas illas priores plagulas commutari novis ad libidinem istorum oportuit, magno malo nostro & admiratione mea. Complura ejusmodi exempla proferri cum veritate possent, nisi hoc unum qvod meis oculis vidi putarem sufficere ad demonstrandam audaciam in libris interpolandis intolerabilem.

241] 3. Fraudulenter agunt Pontificij dum *aliud credunt, aliud verò populum docent. Bellarm. lib. 2. cap. 22. de Imag: Sanct:* docet *non esse dicendum ad populum imagines debere adorari cultu latrias.* Respondet Janssenius *Bellarminum distingvere inter cultum latrias per se & propriè, & inter cultum latrias per accidens & impropriè; illo negare, hoc autem concedere Bellarminum imagines esse honorandas: adducit exempla Cherubinorum, Arcæ, Scabelli pedum Dei Ex. 15. Psal. 95. qvæ omnia fuerunt adorata cultu latrias per accidens & impropriè.* Respond: *Bellarminus lib. 2. de Imag. Sanct: cap. 21.* expressè docet: *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm ut vicem gerunt exemplaris.* Cultum hunc imaginum refert ad cultum *latrias* cap. 25. dum expressè scribit: *imaginibus deberi cultum qvi reducatur ad latriam, tanqvam imperfectum ad perfectum.* Qværitur qvid credat Bellarminus de cultu imaginum? *credit eas debere adorari cultu tali, qvi ad latriam est referendus,* ut verba formalia cap. 25. monstrant, & qvidem

dem *per se & propriè* ex cap. 21. Ulterius qvoq; *qvid docendum sit hac de re coram populo?* respondet Bellarminus cap. 22. *non esse docendum imagines debere adorari cultu latrias*, qvod ipsum tamen antea docuerat. Imò addit *non esse sermonem de re vel de sensu, sed tantùm de modo loqvendi*, qvo scilicet coram populo sit docendum cap. 22. *Gretserus* lib. 1. *de cruce* cap. 49. docet expressis verbis *crucem colendam esse cultu latrias*, hoc est cultu divino cum respectu ad prototypon: Bellarminus autem suadet coram populo hoc non esse dicendum nec enim de sensu (cujus respectu concedit) sed de verbis sermonem esse.

242] Exempla ex sacris adducta nihil faciunt ad rem, Ex. 15. non legitur, qvod Israelitæ adorarint *imagines Cherubinorum*, neq; *Num*. 21. habetur, qvod *arcam* adorarint, non, inquam, ista in locis citatis inveniuntur, sed hoc habetur, qvod coram arcâ fœderis, cui Cherubini erant impositi, adorarint verùm Deum, non autem ipsam arcam aut Cherubinos. Faciebãt verò hoc ex mandato divino Ex. 25. v. 22. cum istâ arcâ præfiguraretur Christus, in qvo habemus accessum ad Patrem cœlestem, & qvia Deus præsentiam suam illo in loco Israelitis promiserat; verum in Novo Testamento non habemus mandatum de adoratione Dei corã imagine in loco aliqvo certo, sufficit si *in Spiritu & veritate Deum adoremus* Joh 4 v. 23 24 Et si Israelitæ ipsam arcam seu ipsos Cherubinos adorassent, æqvè peccassent ac faciebant in cultu *ænei serpentis 2. Reg: 18 v. 4. In Psal. 99. v. 5.* textus hebræus non legit *adorate Scabellum, sed* לַהֲדֹום ad

sca-

scabellum pedum ejus. Qvid sit istud scabellum authores diversimodè explicant; qvidam intelligunt *ipsam terram*, qvæ à Stephano *scabellum Dei* dicitur *Act.* 7. v. 49. qvidam intelligunt *pavimentum templi*, in qvo Deus qvasi pedibus suis qvievit, sed rectius intelligitur *arca fœderis*, coram qvâ Israelitæ adorabant verum Deum. *Lyranus* super hunc locum ita explicat: *adorate scabellum, id est, ante scabellum pedum ejus, & istud scabellum dicebatur arca Testamenti, qvæ erat sub propitiatorio, qvod erat qvasi sedile Dei, & arca Testamenti tanqvam scabellum illius sedis.* Israelitæ ergò non arcam, non Cherubinos, non scabellum, sed coram arcâ & Cherubinis, ad scabellum pedum Dei Deum ipsum adorarunt, igitur istis exemplis ad excusandum Bellarminum Monachus uti non potest.

243] 4 Insignis dolus est, *qvi in Papatu fictis miraculis perpetratur.* Lubecæ in templo Cathedrali imago *D. Mariæ* habetur, qvæ olim in Papatu ad preces procumbentium modò faciem, modò tergum obvertit; creditum hoc fuit fieri ex miraculo, *αὐτοψία* autem monstrat certa adesse instrumenta, qvibus Monachi in loco ad fraudem apto imaginem istam pro libitu moverunt & traxerunt. Vratislaviæ in templo *Dorotheæ* vidi imaginem lapideam *D. Mariæ* capite excavato, cui si aqva affundebatur pisciculis qvibusdam insitis ad motum istorum piscium guttulæ aqvæ ex oculis Mariæ destillabant, qvâ fraude olim Monachi deceperunt Laicos, qvasi Maria ista lapidea lacrumata fuisset. *Fabulas esse*, ait *Janssenius* p 152. Resp. Non sunt fabulæ: vidi utrumq; dolum, Lubecæ & Vra-

& Vratislaviæ, & mecum Viri alij fide digniſſimi, non Lutherani tantùm, ſed etiam Pontificij, qvi rubore ſuffunduntur ad intuitum iſtius fraudulentiæ, eamq́; excuſare ſatagunt miris modis. In Legendis Franciſci per *Sedulium* editis legitur, *diabolos fuiſſe expulſos ab obſeſſis, ſi modò comederint de pane Franciſci* p. 97. *frenum eqvi Franciſci alligatum utero gravidæ partum ſtatim promoviſſe* p. 97. *Franciſcum poſt mortem fuiſſe bubulcum* p. 156. *ovem ex ipſius adhortatione flexis genibus coram altari ſacramentum adoraſſe* p. 61. Zwingerus in Theatro p. 1334. notabile exemplum diabolici cujusdam miraculi recenſet: *Magdalena Cruzia, ſive de la Cruz, Hiſpana, Cordubæ primaria Bæticæ urbe, in prima pueritia à parentibus obſcuris, incertum pietatis an paupertatis cauſa, in cœnobium D. Claræ detruſa (qvod illa poſt ex collatâ ſtipe defundamento novum exſtruxit) dæmonis cujusdam, ſub Æthiopis ſpecie ſeſe offerentis, miris blanditijs, qvibus ea ætas potiſſimùm capitur, ineſcata, familiariter illo uti cœpit, ſevera tamen interminatione interpoſita, ne qvisqvam mortalium hoc reſciſceret. Illa interim qvum Dæmonem in colloqvium ſingulis penè diebus admitteret, ſupra ætatem ſapere, & indolis cauſa omnibus admirationi cœpit eſſe, incredibili ſanctitatis opinione, qvam morum elegantia vitæq́ auſteritas effingebant. Vix dum duodecimum ætatis annum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in ſolidum poſſidendæ anſam captans, phaleratis verbis conjugij mentionem injicit, facileq́ adeo, ex ejus qvā jam deguſtaverat ſanctimoniæ ſucceſſu, ſimplici & ambitioſæ puellæ perſuaſit. Dantur manus, fiunt ſponſalia, concumbitur deniq́.*

Dotis loco Magdalena sui corporis usum fructum, colloqvendo, conversando, concumbendo pollicetur. Æthiops vicissim contra dotem splendidissimam offert; effecturum se, uti Magdalena per XXX. & amplius annos ea sanctimoniæ autoritate per universam Hispaniam frueretur, qva omnes, qvi eo laudis genere unqvam fuêre celebres, vel æqvaret, vel etiam superaret. Neq; verò mendax ille Spiritus hac in parte falsus videri voluit, ut universæ scilicet Hispaniæ per hanc suam sponsam imponeret. Qvandocunq; furtivis voluptatibus fruerentur, sponsi famulus (nam majestatis causa famulum qvoq; veterator ille Æthiops sibi adjunxerat) tanqvam Sosia qvidam suppostititius, foris in templo & cœnobio, Magdalenæ larva assumpta, illius vultum, gestus, incessum cantando, orando, comedendo exactè imitabatur. Si qvando verò secessus illius voluptuarii pertæsa hera in publicum prodiret, ne qvid interea temporis otiosè periret, per orbem terrarum vagando, qvæcunq; digna memoratu acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Francisci I. Gallorum Regis captivitate, sic de Romanæ urbis direptione certior facta, divinitus hæc sibi ab Angelo revelata dictitans, in Principum Virorum dignationem summam pervenit, & Abbatissæ dignitatem, ultrò cedentibus tantæ sanctimoniæ reliqvis monialibus meruit, maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qvi ad se qvoqve, tanqvam ad Præceptores & institutores, partem gloriæ hujus pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, sed inanibus atq; ludicris. In solenni pompa festorum dierum, ad tres & amplius cubitos in sublime efferebatur: sæpe etiam imaginem Jesu recens nati manibus gestans, imbre lacrymarũ profuso,

comam

comā ad talos usq; repente enatā producebat, qvæ sensim evanesceret. Qvotiescunq; Monachæ statis diebus communione sacra uterētur, sacrificulo ex dinumeratis priꝰ diligenter mystici panis orbiculis unꝰ semper deerat, qvē Magdalena ministerio Angelorū acceptum se in ore habere palàm ostendèbat. Interdū qvoq; paries ad spectandā hostiam dividebatur. Hinc tanta ei sanctitatis fama accrevit, ut Pontifices, Imperatores, Reges, per literas ejus sese precibus commendarent, atq; adeò Caroli V. uxor Philippum filium ijs fasciјs, qvas Magdalena suis precibus consecrasset, primùm excipi curarit & involvi. Exactis annis ad minus XXX. in hoc diabolico conjugio, tandē sub annum Sal. 1546 Dei opt. max. benignitate, nullo suo merito ad seipsam Magdalena redire & Dæmonem detestari cœpit. Ægerrimè autem ferente Æthiope hanc apostasiam, & multis modis eā vexante, visitatoribus ordinis, qvos vocant, præter omnē expectationem scelus ingenuè aperit, peccatū fatetur, auxilium implorat, carceri includitur. Neqve tamē interea Dæmon loco excedere, sed matutinis precibus cum summo monacharum stupore & terrore sub larva Magdalenæ interesse, sæpe etiā alia obire munia. Monachæ larvatam Abbatissam (qvam per XII. annos pertulerant) abhorrentes, multis vix tandem precibus impetrarunt, ut cognita ex integro causa, Magdalena cœnobio excluderetur, ut sic demùm præstigiæ cessarent.

244] Imiscet Monachus ex ignorantia pædias logicæ qvædam pro miraculis adstruendis (*non enim majorem sed tantùm minorē suam debebat probare*. Nec enim qværitur in hoc loco, *an miracula sint Ecclesiæ signum, sed an miracula Papatus sint vera vel ficta?*) ad qvæ etiâ respondebimus (1) Ait: *mira-*

cula sunt promissa Joh. 14. Mar. 16. (2) *Sunt necessaria, qvia doctrina barbaris gentibus hodie est nova.* (3) *Lutherani carent miraculis* (4) *Omnes hæretici miracula Christi pro se citant.* (5) *Lutherum confiteri sese miraculis carere, & tamen ab Anabaptistis miracula petiisse.* (6) *Miracula qvædam in Papatu eqvidem ficta esse, illa verò à Catholicis explodi p. 153. 156.* Respond: ad singula.

245] *Joh.* 14. v. 22. *Qvi credit in me, opera qvæ ego facio, faciet, & majora iis faciet, qvia ego ad Patrem vado.* Respond: Hæc verba simpliciter, pro ut externè sonant, intelligi non possunt, seqveretur enim aliàs, omnem hominem in Christum credentem posse miracula facere, qvod falsum esse concedunt ipsi Pontificii, qvi in Christum se credere dicunt, nec tamen miracula facere possunt, imò in primitivâ Ecclesiâ multi crediderunt in Christum, nec tamen miracula facere potuerunt. Vivo adhuc Christo in terris multi credebant in illum, nec tamen miracula faciebant, qværenda igitur est διάνοια & verus sensus. Christus his verbis solabatur Discipulos suos, qvi conturbabantur propter abitum suum, qvem prædixerat, qvasi diceret; ne contristemini super abitum meum, exinde enim magnum vobis emolumentum proveniet, post abitum meum facietis *eadem opera, qvæ ego feci, imò majora facietis*, statimq; subjungit, *& qvod petieritis patrem in nomine meo hoc faciam.* Qværitur autem *qvænam opera* hic Christus intelligat, *& qvinam sint illi*, qvi opera illa Christi, imò majora operibus Christi sint facturi? Loqvitur Christus de illis operibus qvæ tum Apostoli

tum

tum alij credentes in Ecclesiâ primitivâ non tantùm in miraculis, sed etiam in Evangelij prædicatione erant facturi. Probatur hoc (1) ex verbo præsenti *facio*, opera qvæ ego facio, scil. in ministerio meo, erant verò opera doctrinæ pariter & miraculorum: (2) Ex antecedentibus verbis, in qvibus Christus tum ex miraculis, tum ex doctrinâ suam Deitatem demonstravit; de istis operibus suis ait, qvod Apostoli eadem facturi sint. (3) Ex scopo, qvi erat solatiũ Apostolorum, qvi contristabantur propter abitum Christi, illos volebat erigere, qvod nihilominus magna miracula essent edituri, & gentes ad regnum cœlorum conversuri. (4) Ex loco parallelo Mar. 16. v. 20. ubi Christus cooperationem suam Apostolis promittebat in verbi prædicatione & miraculis; illi verò profecti prædicaverunt ubiq; Domino cooperante & sermonem confirmante signis seqventibus. Sensus igitur est, qvod Apostoli & Viri Apostolici majora opera sint facturi tum in miraculis tum in Evangelij prædicatione. Opera majora fecerunt in Evangelij prædicatione (1) Qvia Christus fuit Minister circumcisionis, & tantùm Judæis prædicavit, solas micas gentibus distribuens *Rom. 15. v. 8. Matth. 15. v. 27.* Apostoli autem post effusionem Spiritus Sancti in toto terrarum orbe Evangelium prædicarunt ex Christi mandato *Matt. 28. v. 19. Mar. 16 v. 15. 16. Rom. 10. v 18. Colos. 1. v 6.* (2) Christus prædicavit in unâ tantùm linguâ, scil. Syriacâ, Apostoli autem dono omnium lingvarum â Spiritu Sancto fuêre instructi, ita ut in omnibus lingvis Evangeliũ prædicarent *Act. 2. v. 4.*

 seqq.

seqq (3) Christus nondum per integrum qvadriennium ministerio docendi functus est, Apostoli autē per plures annos officio prædicationis sunt functi.(4)Per Christi prædicationem pauci Judæi fuerunt conversi, sed per Apostolorum ministerium multitudo Gentium. Opera Majora etiam fecerunt in miraculorum operatione. (1) Qvia plura miracula fecerunt, omnis generis morbos sanando, varijsq; lingvis loqvendo. (2) Qvia miraculis suis pluribus hominibus benefecerunt. (3) Qvia fructus miraculorum Apostolicorum fuit uberior, cum Gentes ijsdem ad Evangelium fuêre protracti. Christus igitur in hoc loco loqvitur non de omnibus omnium temporum credentibus, sed tantùm de suis Apostolis, & qvibusdam Viris Apostolicis in Ecclesiâ primitivâ, qvibus hoc donum peculiari Dei gratiâ fuit concessum, qvia majora opera operibus Christi fecerunt ratione objectorum, locorum, temporis & successus. Sicut autem in Ecclesiâ primitivâ prædictum est, in eâ futura esse miracula, ita de Ecclesiâ ultimorum temporum prædictum est, qvod Antichristus falsis miraculis errores suos in eâ confirmaturus sit. *Math.24. v.24. Mar.13. v.22. 2 Thess.2. v.9. Apoc.13. v.13.* Prolixam hujus dicti explicationem Lector inveniet in parte tertia *Harmoniæ Evangelicæ Johan. Gerhardi.* Alterum verò dictum *Mar. 16.* itidem ad Apostolos & alios paucos credentes in primitiva Ecclesiâ restringitur, qvod nisi Janssenius concesserit, seqvetur, omnes credentes omnium seculorum edidisse & adhuc edere posse miracula, qvod falsum esse experientia docet.

246]

246] *Gentibus & Barbaris doctrina Evangelica hodie nova est, ergò miracula hodie etiam reqviruntur.* Respondemus (1) Distingvendum est inter id, qvod in se novum est, & qvod opinione hominum novum est. Licet miracula reqvirerentur ad doctrinam in se novam, non tamen reqviruntur ad doctrinam, qvæ opinione hominum nova est. (2) Qvando Pontificij in locis qvibusdam Lutheranos ad fidem suam convertere satagunt, doctrina Pontificiorũ nova est illis Lutheranis, qvam antea non cognoverunt; cur ergò Pontificij non edunt miracula vel in Silesiâ, Austriâ, Bohemiâ, nihil audimus de ejusmodi miraculis, qvamvis Pontificia doctrina illis hominibus sit nova. Proprio igitur exemplo Pontificiorum falsum est, nova miracula semper reqviri apud illos qvibus doctrina aliqua nova esse videtur. (3) Miracula non probant doctrinam, sed doctrina probat miracula Deo hoc mandante *Deut. 13. v. 1. 2. 3.* qva de re fusius infra in Capite de miraculis.

247] 3. *Lutherum carere miraculis* obijcit. Respondemus: ultimis temporibus non est necessarium, ut fides & doctrina miraculis probetur (1) cum desit mandatum & promissio Dei, miracula Mosis Christi & Apostolorum fuêre prædicta & promissa *Exod. 4. v. 3. 4. Esa. 35. v. 5. 6. Mar. 16. v. 17.* talem verò prædictionem aut promissionem de ultimo seculo non habemus (2) scriptura contrariũ dicit, ultimis temporibꝰ errores in fide miraculis confirmandos esse, *surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & facient miracula ac prodigia ma-*

gna Matth. 24. v. 24. adventus Antichristi fiet in signis mendaciorum 2 Thess. 2. v. 9. bestia faciet miracula Apoc. 13. v. 13. (3) Miracula sola nihil faciunt, nisi doctrinâ adjunctâ, hinc in veteri Testamento miracula non permovebant populum, nisi doctrina vera adesset *Deut. 13. v. 1. 23.* & Christus Discipulis Johannis mandat, ut *videant*, scilicet miracula, & *audiant*, scilicet prædicationem doctrinæ *Matth. 11. v. 4. 5. 6.* (4) Qvamplurimi habuerunt veram doctrinam, qvam tamen miraculis nō confirmarunt, *Amos, Obadia, Zacharias, Johannes, Joh. 10. v. 41.* (5) Satanas per Magos etiam facit miracula *Ex. 7. v. 22.* transformans se in Angelum lucis *2 Cor. 11. v. 14.* imò hæretici & Ethnici miraculis abundarunt, nec tamen veram Ecclesiam habuerunt, qvid ergò mirum est, etiamsi nos miraculis careamus?

248] 4. *Omnes hæreticos miracula Christi*, ait, *pro se citare.* Sed respondemus: non ex solis miraculis, sed ex doctrina simul annexa veritatem fidei probamus; qvæcunq; doctrina non est Christi doctrina, illa qvoq; non habet Christi miracula; sed Anabaptistarum & Arrianorum doctrina non est Christi doctrina, ergo nec Christi habet miracula: Nos contra urgemus nostram doctrinam esse Christi doctrinam, illudq; per omnes fidei articulos demonstramus, rectè igitur Christi miracula nostra qvoq; sunt miracula.

249] 5. *Lutherum fateri se miraculis carere, & tamen ea ab Anabaptistis petere*, ait; sed respondemus: Anabaptistæ jactabant doctrinam suam esse novam, eamq; ex Angelorum colloqvio coelitus

tus esse patefactam, docebant qvoq; signa â Deo esse petenda, teste *Sleidano lib. 5.* meritò igitur Lutherus petebat miracula & signa, qvæ â Deo petenda esse docebant, ita & nos â Pontificijs in Germania miracula petimus, cum eadem semper crepent, sed hactenus nec muscam mortuam resuscitarunt, nec claudum eqvum sanarunt, imò si miraculorum gloriâ fulgent, cur hactenus non refutarunt & convicerunt Lutheranos miraculis suis, sicut olim hæreticos convicerunt, ut testatur *Bzovius Ann. 1199. §. 43.*

250] 6. Tandem fatetur *qvædam miracula in Papatu à nebulonibus ficta esse, sed Ecclesiam Catholicam ea detestari.* Respondemus autem, ex qvibusdam miraculis fictis omnia miracula nobis suspecta esse: si Christus & Apostoli deprehensi fuissent in uno miraculo ficto, certi esse non possemus, an non reliqva miracula qvoq; fuissent ficta, idem de Papatu est judicandum. Edant Pontificij certa & indubitata *κριτήρια,* qvæ miracula vera â fictis in suâ Ecclesiâ discernant, & rem præstabunt laude dignam.

261] 5. Fraudulentiam committunt *apparitionibus animarum post mortem.* Exemplum adducit *Erasmus in Epistolis*, qvod qvidam Parochus vivos cancros cereolis ardentibus affixis clam in cœmiterium immiserit, qvi cum reperent inter sepulcra, & noctu terribile spectaculum ederent, Parochus docuit populum hoc spectaculo attonitum & consternatum, esse animas defunctorũ ex purgatorio, qvæ flagitent missas & eleemosynas. Fucus verò tandem est proditus, qvando

cancri qvidam cum extincto cæreolo in cæmiterio invenirentur, qvos Parochus non recollegerat. Tale exemplum recenset *Sleidanus lib. 9. Histor:* Monachos Franciscanos qvendam juvenem super testudinem templi collocasse, qvi strepitum magnum excitavit, de qvo Viro bono cuidam persuaserunt esse animam Uxoris ipsius defunctæ, qvæ pro liberatione ex purgatorio Missas petat, qvæ fraudulentia tandem fuit detecta insigni cũ pudore Monachorum. Exempla talia qvampluri-ma fictarum apparitionum invenies in Libello *Meisneri de purgatorio cap.* 8. qui ex varijs authoribus ista collegit. Qvid verò ad hæc Janssenius. (1) *non potest negare, qvæstus causâ id factum esse ab imperitis & avaris qvibusdam.* (2) *verè tamen hoc interdum fieri, ait, exemplo Samuelis, 1 Sam. 28 Eccles. 46. exemplo Sanctorum cum Christo resurgentium.* (3) *ex Patrum assertione* (4) *limitat tandem hæc facere animas, non pro arbitratu, sed Deo ita permittente p. 156.* Respondemus

252] 1. Ambabus manibus Confessionem Monachi amplectimur *ab avaris & imperitis hominibus in Papatu hoc fieri:* sed unde certus esse possum, alias apparitiones animarum fuisse veras & non similiter fictas. Edat Monachus certa & indubitata indicia, qvibus veræ & fictæ apparitiones possint discerni, res tota nobis suspecta est; si daretur occasio inqvirendi in istas animarum apparitiones procul dubio omnes â Monachis sunt fictæ, aut diabolicâ fraude paratæ. In hac rhodo Janssenius saltet.

253] 2. *Exemplum Samuelis* adducit, sed vehemen-

menter errat : nō animam Samuelis, sed spectrum Diabolicum in specie Samuelis Sauli apparuisse, dicimus & probamus (1) v.6. dicitur, *qvod Dominus Sauli non responderit, nec per somnia, nec per Prophetas*, si non per Prophetas, utiq; nec per Samuelem, qvi inter Prophetas refertur *Act. 3. v. 24.* Si Deus non per vivos Prophetas Sauli respondit, utiq; nec per mortuos, qvos audire prohibuit in lege *Deut. 18. v 11.* (2) Nec anima nec corpus Samuelis fuit ista apparitio; nō anima, qvæ non minus ut animæ aliorū Sanctorū fuit in *in manu Dei Sap. 3. v. 1. in sinu Abrahæ Luc. 16. v. 23. in fasciculo viventium. 1 Sam. 25. v. 29.* Diabolus autem non potest animas Electorum excutere ex manu Dei, easq; in hanc vitam pro lubitu revocare, imò phantasma illius apparuit in formâ corporeâ alicujus *senis pallio amicti*, v. 14. anima verò est ἀσώματος, qvæ nec vestitur nec videtur. *Corpus* Samuelis qvoq; esse non potuit, Deus enim *custodit ossa piorum Ps. 34. v. 21.* adeoq; Diabolo potestatem in ea non permittit. Spectrum illud habebat pallium, qvali Samuel in vitâ suâ usus fuerat, pallium verò illud tot annorum spatio diu fuit in terrâ corruptū. Corpus mortuū qvoq; est expers motus & sensus, hoc autē phantasma ambulabat, neq; credendum est, Deum fuisse cooperatum Sathanæ & Pythonissæ in opere hoc abominando, vel animā Samuelis ad incantationem misisse, vel corpus ejus Diabolo assumendum concessisse. (3) Spectrum istud expresse ait ad Saulem, *cras tu & filij tui mecum erunt v. 19.* at Saul ad Samuelem post mortem non pervenit nec qvoad animam,

mam, in desperatione enim sibi ipsi violentas intulit manus, nec qvoad corpus, qvod sepultum est in *Jabes*, *c*.31. v. 13. (4) Si verus Samuel fuisset divinitus excitatus, Saul certè propter magicam illam revocationem non fuisset divinitus punitus, qvod tamen Scriptura disertè affirmat: mortuus est Saul *propter iniqvitates suas, eò qvod prævaricatus erat mandatum Domini, ac insuper pythonissam consuluerat, nec interrogaverat Dominum, propter qvod interfecit eum 1 Chron. 11. v. 13. 14.* (5) Si verus Samuel fuisset, procul dubio Sauli aliqvid boni consilij dedisset, & ad pœnitentiam eum exhortatus fuisset, qvod non fecit, sed in desperationem eum conjecit, cum tamen Saul bonum consilium ab eo peteret *v. 15. vocavi te, ut ostenderes mihi qvid faciam.* (6) Idem docent Patres fuisse spectrum diabolicum sub specie Samuelis, ut *Tertull. in lib. de animâ* cap. 57. *Author qvæstionum veteris Testamenti qvæst.* 27. *apud Augustinum. Locum Syracidis* qvod attinet, liber ille non est in Canone, qvod fatetur *Thomas, part.* 1. *qvæst.* 89. *Art.* 8. qvi propterea non simplicer admittit fuisse verum Samuelem; qvicqvid autem Syrach loqvitur in isto loco, loqvitur *de Samuele secundum opinionem Saulis & Pythonissæ,* qvi existimarunt verum Samuelem fuisse resuscitatum.

254] Ipse Pontifex in Decret: part. 2. causa 26. qvæst. 5. Cap. 14. *nec mirum*, id confirmat, indignum omninò facinus esse, si secundum verba Historiæ commodetur assensus. Qvomodo enim fieri poterat, ut arte magicâ attraheretur Vir & nativitate sanctus, & vitæ operibus justus? aut si non

non attractus est, consensit? qvod utrumq; de justo credere adversum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia: si autem voluntarius, amisit meritum spiritale, qvod positus in carne qvæsierat, qvod valde absurdum est: qvia qvi hinc justus recedit permanet justus. Porrò autem hoc est præstigium Satanæ, qvo, ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habebere confingit. Qvod Apostolus inter cætera ostendit, dicens: ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis 2 Cor.11. v.14. Ut enim errorē faceret, in qvo glorificaretur, in habitu Viri justi & nomine se subornavit; ut nihil proficere spem, qvam prædicabant Dei cultores, mentiretur: qvando hinc exeuntes justos finxit in suâ esse potestate. Sed hoc qvosdam fallit, qvod de morte Saul, & filij ejus non sit mentitus; qvasi magnum sit Diabolo ante occasum, mortem corporis prævidere: cùm signa qvædam soleant apparere morituris, qvippe â qvibus Dei protectio amota videtur; qvanto magis Diabolo, qvem Angelicâ protestate sublimen prophetica oracula fuisse testantur: de cujus magnitudine Apostolus ait: an ignoratis altitudinem Satanæ 2 Cor.2. v.11. Qvid mirum ergo, si imminentem propè mortem potuit prævidere; cum hoc sit unde fallit, & se in Dei potestate vult adorari; nam tantâ hebetudine demens affectus est Saul ut ad Pythonissam confugeret. Depravatus enim causa peccati, ad hæc se contulit, qvæ damnaverat, sed si qvis propter historiam, & ea, qvæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit,

ſit, rectè faciet qvidem : ſi tamen minimè iſtud veri rapit rationem, ſed ad viſum & intellectum Saul. Neq; enim reprobus factus poterat bonum intellectũ habere. Hiſtoricus enim mentem Saul, & habitum Samuelis deſcripſit; ea qvæ dicta & viſa ſunt exprimens, prætermittens ſi vera, an falſa ſint. Qvid enim ait: audiens, in qvo habitu eſſet excitatus : intellexi, inqvit, hunc eſſe Samuelem. Qvid intellexerit, retulit : & qvia non benè intellexit, contra ſcripturam alium adoravit, qvam Deum, & putans Samuelem adoravit Diabolum, ut fructum fallaciæ ſuæ haberet Satanas. Hoc enim nititur, ut adoretur qvaſi Deus. Si enim illi verè Samuel apparuiſſet, non utiq; vir juſtus permiſiſſet ſe adorari, qvi prædicaverat Deum ſolum eſſe adorandum. Et qvomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad Virũ peſtilentiæ; dignum ardore gehennæ: Cras mecum eris; his duobus titulis ſubtilitatẽ fallaciæ ſuæ prodidit improvidus Satanas; & adorari ſe permiſit ſub habitu, & nomine Samuelis, contra legem, & virũ peccatis preſſum, cum magna diſtantia peccatorum & juſtorum ſit, cum Samuele juſtiſſimo futurum mentitus eſt. Verum poteſt videri ſi de Samuelis nomine taceatur, qvia Saül cum Diabolo futurus erat : ad eum enim transmigravit, qvẽ adoravit. Semper ergò Diabolus ſub velamine latens, prodit ſe, dum ea confingit, qvæ horreant perſonis, per qvas fallere nititur. *Hæc Pontifex in ſuo jure Canonico, Loc. citat.*

255] Exemplum illorum, qvi cum Chriſto reſurrexerunt, Monachꝰ valdè ἀπαιδεύτως allegat:

Sancti

Sancti illi resurgebant virtute divinâ cum Christo qvi resurrectionem ad vitam æternam morte & resurrectione suâ promeruerat, nec solæ animæ, sed corpora ipsorum viva apparebant, neq; petebant illi Missas, ut ex purgatorio liberarentur, sed cum Christo triumphabant de morte. Nos autem qværimus *an solæ animæ post mortem redeant, & strepitu ac ululatu liberationem ex purgatorio petant?* ad hanc qvæstionem exempla allegata prorsus nihil faciunt.

256] 3. Patrum assertio, qvam Monachus producit, hoc non evincit, opponimus enim Patrib9 alios Patres, qvi negant animas post mortem redire. *Tertull. lib. de animâ cap. 57. docet; qvod Spiritus neqvam sub personis defunctorum delitescat. Augustinus lib. 10. de civit Dei cap. 11. scribit: Dæmones simulare animas defunctorum. Idem docet Chrysostomus homil. 29. in Matthæum, ubi adducit exemplum Lazari, cujus anima in sinu Abrahæ qvievit; Stephani, qvi Spiritum suum Christo commendavit; Pauli, qvi cupiebat dissolvi & esse cum Christo; Patriarcharum, de qvibus scriptum est, qvod ad Patres suos congregati fuerint.*

257] 4. Limitat tandem Janssenius, qvòd *Deo permittente animæ redeant in hanc vitam, non pro arbitratu.* Resp. ita qvidem ait, sed non probat Deum hoc unqvam permisisse, vel adhuc permittere: scimus eqvidem Deum hoc posse per absolutam suam potentiam, verum non seqvitur, Deus potest, ergo hoc fecit vel facit, imò nec seqvitur, Deus hoc potest, ut animabus reditum permittat, ergo Spiritus qvidam, qvi apparuerunt,

runt, fuerunt animæ defunctorum, cum Diaboli in Angelum lucis se transformare possint.

258] Sexta fraudulentia committitur *cum reliqvijs Sanctorum*, qvibus Ecclesia aliqvandiu miserè decepta fuit. Olim in Papatu ostensæ fuerunt reliqviæ Christi & Sanctorum. Tales fuerunt reliqviæ digitorum, pedum, ossium, capitum, brachiorum, frustula crucis, coronæ spineæ, tunicæ Christi De cruce Christi tot particulæ sunt inventæ, qvot navis oneraria vix vehat; Clavorum qvibus Christus cruci affixus est, qvatuordecim inventi sunt in diversis locis; pedes asini, qvo vectus est Christus, excreverunt ad sedecim usq; : ex caudâ asini Christi, & ex laqveo Judæ factæ sunt reliqviæ sanctorum, de qvibus omnibus prolixè scripsit Franzius in libro de reliqvijs Sanctorum Wittebergæ & Halæ inventis. Respondet Jansenius (1) *corpora Sanctorum non esse contemnenda vel abijcienda, cum fuerint templa Spiritus Sancti*. (2) *Ossibus Elisæi fuisse mortuum qvendam resuscitatum 2 Reg. 13. qvæ ossa Josias asservari jusserit 2 Reg. 23.* (3) *Sudaria Apostolorum Act. 19. & umbram Petri Act. 5. ægrotos sanasse* (4) *Qvamvis de cruce Christi plures particulæ deciderint, nullam tamen diminutionem factam esse, qvod Patres testentur.* (5) *In Augustino inveniri, olim istis reliqvijs miracula fuisse facta.* (6) *Abusum reliqviarum qvidem irrepsisse, sed ab Ecclesiâ Romanâ approbatum non fuisse.* Ad singula respondemus.

259] 1. *Corpora Sanctorum esse abijcienda vel contemnenda* nos non dicimus, neq; hoc est in qvæstione inter nos & Pontificios. Scimus enim

& nos

& nos corpora talia fuisse templa & organa Spiritus Sancti, verum hoc qværitur, *an reliqviæ Sanctorum sint veneranda cultu religioso*, ut fit in Papatu. Cultus iste consistit in seqventibus capitibus; ossa illa monstrantur populo religiosè veneranda, offeruntur spectantibus osculanda, docetur genua coram illis esse flectenda, peregrinationes ad illa esse instituenda, preces ibi factas citius exaudiri, valere cultum illum ad indulgentias impetrandas, reliqvias illas coli debere accensis candelis, serico, corollis & alijs ornamentis. Pontificem hoc posse decernere per suam canonizationem, ut tales reliqviæ ita colantur: ex devotione & fiduciâ in Deum & Sanctos, eas posse in collo portari, eas imponi posse ægrotis & langventibus ad sanitatem recuperandam, credendum esse omnes reliqvias, qvas ostendunt, verè reliqvias esse de corporibus Sanctorum. In hisce cultum reliqviarum religiosum consistere non tantum viva praxis in Papatu docet, verum etiam *Costerus in Enchiridio cap.* 15. *Bellarm. lib.* 2 *de Imag: cap.* 30. *Stapletonus in Prompt: Cathol. part.* 1. p. 292. & alij plures asserunt. De hoc cultu reliqviarum qværitur, de hac sceletolatriâ & lipsonolatriâ disceptatur: nos negamus hanc rectè institui propter seqventia argumenta.

260] (1) Caret mandato divino, in qvo omnis cultus religiosus unicè fundatur, ut patet ex Deut. 4. v. 2. Esa 8. v. 20 Ezech. 20. v. 19. Rom. 12. v. 2. &c. cultum verò electitium Deus repudiat Deut. 12. v. 8. Matth. 15. v. 9. Coloss. 2. v. 20. Tale mandatum de cultu reliqviarum Papatus

non poteſt produci. (2) Contrarium potius in ſacris habetur mandatum, oſſa Sanctorum terræ eſſe demandanda & ſepelienda, ut in pulverem convertantur Syr. 40. v. 1. Gen. 3. v. 19. Eſa. 26. v. 20. (3) Nullum probatum exemplum invenitur in ſacris vel in Novo vel in Vet. Teſt. qvod poſteri majorum ſuorum oſſa religiosè coluerint. (4) Contraria potius exempla reperiuntur, Abraham Saram ſuam ſepelivit Gen. 23. v. 19. cum tamen fuerit mater credentium, 1 Pet. 3. v. 6. Abraham Pater credentium ſepultus fuit â filijs ſuis Iſaac & Iſmael Gen. 25. v. 9. Iſaac, Jacob, Joſua, David fuerunt ſepulti. De Johanne teſtatur Chriſtus, qvod inter natos mulierũ non ſurrexerit major Matth. 11. v. 11. ſed Diſcipuli corpus ipſius ſepelierunt cap. 14. v. 12. Stephanus fuit ſepultus Act. 8. v. 2 (5) Deus ipſe Moſen ſepelivit in valle terræ Moab, & nemo potuit ſepulcrum ejus invenire Deut. 34. v. 6. aliàs Iſraelitæ procul dubio reliqvias ipſius coluiſſent (6) Superſtitioſum eſt gratiam, auxilium & beneficia in veſtibus, faſciis & oſſibus Sanctorum qværere, qvæ tamen ſolùm in verbo & Sacramentis qværenda tanqvam medijs, qvibus iſta beneficia nobis exhibentur (7) Abſurdiſſimum inde ſeqvitur abſurdum; ſi omnia ſunt religiosè colenda, qvæ Chriſtus tetigit, ſeqvitur aſinum qvoqve ſuper qvo ſedens Hieroſolymam ingreſſus eſt, eſſe venerandum; imò olim veneratio iſta ad corrigiam calceamenti Chriſti, & ad terræ pulverem, qvem calcabat, ſeſe extendebat, teſte *Stapletono part. 1 prompt. Cathol.* p. 292. Corona ſpinea, ſcuticum, clavi lancea & ſimilia fuère inſtrumenta

cru-

crudelitatis Judæorum, si ista colenda sunt, seqveretur etiam Judam, milites & crucifixores esse colendos, qvi similiter corpus Christi attigerunt. (8) Contradicunt etiam qvidam *Pontificij, ut Erasmus in Annotat. super Matth.* cap. 23. *Cassander in Consultatione* Art. 21.

261] 2. *Ossa Elisæi cum tangerent mortuum qvendam militem, continuo in vitam revocatus est 2. Reg. 13. qvapropter Rex Josias jussit ossa illa aservari, cum delubra idolorum everteret, 2. Reg. 23.* Respondetur (1) Fatemur fuisse miraculum insigne, qvod tactu ossium Eliæ Deus militem mortuum resuscitavit, sed non legitur in illâ historiâ, qvod Israelitæ ante illud miraculum hominem mortuum dato studio in sepulcrum Elisæ deportarint, ut contactu ossium resuscitaretur, verùm casu inopinato hoc factum est, dum non haberent spatium foveam fodiendi, cadaver istud subitò in sepulcrum Elisæ projecerunt. Pontificij autem datâ operâ ad ejusmodi ossa Sanctorum concurrunt & miracula ab ijs expectant. (2) Post editum istud miraculum non legimus ossa Elisæi fuisse ê sepulcro eruta, in locum sublimiorem collocata, circumgestata, serico & candelis honorata, religiosè culta, tangenda, exosculanda, spectanda hominibus proposita, sed relicta sunt & asservata â Rege Josiæ usqve ad diem Resurrectionis universalis. Pontificij autem contrarium faciunt, qvi Sanctorum ossa in sepulcris non relinqvunt, sed venerationis causa aliò transferunt. (3) Neqve legimus peregrinationes ab Israelitis ad ossa Elisæi fuisse institutas, preces ad se-

 pul-

pulcrum fuiſſe factas ſpe gratiæ & auxilij impetrandi, qvæ tamen Pontificij faciunt. Exemplum igitur hoc nihil aliud evincit, qvam Deum per reliqvias Sanctorum miracula interdum edidiſſe, oſſaq; illorum honorificè ſepelienda & aſſervanda eſſe, cultum verò Pontificium ex hoc loco nemo probare poterit.

262] *3. Umbrâ Petri Act. 5. v. 15. & Sudarijs Pauli Act. 19. v.* 11. 12. *qvidam ſanati ſunt.* Reſpondetur (1) verum eſt; Deus utebatur umbra Petri & ſudarijs Pauli in operatione miraculorum, ſed nullibi legitur religioſum cultum umbræ & ſudarijs fuiſſe exhibitum, de qvo tamen propriè qværitur. (2) Umbram illam certò fuiſſe umbram Petri, ſudaria illa certò fuiſſe ſudaria Pauli, Chriſtiani illic cognitum habebant, ſed de Sanctorum reliqvijs fraudulentis, ſuppoſititijs nullam habemus certitudinem, prout in ſeqventibus dicetur. (3) Petrus & Paulus cum in vivis eſſent, nolebant permittere, ut homines coram ipſis prociderent Act. 10. v. 26. cap. 14. v. 14. 15. multò minus umbris & ſudarijs ſuis religioſum cultum deferri paſſi fuiſſent. (4) Singulare prorſus & extraordinarium illud fuit, qvod Chriſtus per umbram Petri & ſemicinctia Pauli miracula iſta operatus fuit, verùm de cultu religioſo exinde nulla regula poteſt exſtrui, & cum iſtud donum miraculorum Eccleſiæ primitivæ fuerit proprium, nec promiſſio exſtet in ſacris, de poſtremis hiſce temporibus, fruſtra ejusmodi miracula â reliqvijs Sanctorum expectantur, vel etiam cultus religioſus illis defertur.

263] 4. *De cruce Chriſti*, ait Janſſenius, *plures particulas olim decidiſſe, ſed crucem ipſam non fuiſſe deminutam*, teſte Cyrillo Hieroſolym. & Paulino Nolano. Reſpondetur (1) Ubi hoc teſtantur *Cyrillus & Paulinus*, in qvo libro, qva pagina? Monachus iſta omnia ſupprimit, citatio igitur ſuſpecta eſt. (2) Fraus communis eſt Pontificiorum, ut dicant reliqvias Sanctorum ſeſe multiplicare, particulas inde decidere nec tamen ipſa corpora diminui, ſed unde hoc probant, ubi habent exempla in ſacris, ubi promiſſionem hæc futura eſſe his temporibus? ſolis Monachorum aſſertionibus non creditur, qvi ſæpius in impoſturis & fraudibus deprehenſi fuerunt, non diffitente Janſſenio, ut mox dicetur. (3) Monachus ad rhombum non reſpondet, non enim eſt qvæſtio, an qvædam contigerint in cruce Chriſti miraculosè, ſed hoc qværitur, an cultus religioſus illis particulis ligneæ crucis, vel alijs oſſibus, ſceletis, cranijs, faſcijs & veſtibus fuerit exhibitus, idq; ex mandato divino? ad hoc Janſſenius reſpondere debuiſſet.

264] 5. Ad *Auguſtinum provocat, qvi lib. 20. de Civit. Dei cap. 8. teſtatur, reliqviis Stephani cæcam fœminam viſum recepiſſe, mortuum qvendam reſuſcitatum fuiſſe.* Reſpond: falſi crimen eſt: in illo capite ne verbulo qvidem Auguſtinus tractat de reliqvijs Sanctorum vel de miraculis, verùm agit de alligatione & ſolutione Diaboli, & tamen audaculus iſte ad Auguſtinum provocat. Evolvat Lector Librum & Caput Auguſtini citatum, inveniet falſitatem Monachi. Poſito autem (qvod tamen non eſt) Auguſtinum hoc teſtari, non tamen ſe-

qveretur omnes alias reliqvias Sanctorum miracula edere, vel etiam reliqvias illas religiose colendas esse, de qvo tamen qværitur.

265] 6. Tandem *fatetur Janssenius abusum reliqviarum irrepsisse apud imperitos* p. 159. & hoc est, qvod nos volumus, qvi semel malus, semper præsumitur malus, Monachi autē sæpius in fraudibus & imposturis deprehensi fuerunt circa reliqvias Sanctorum, ergo semper tales præsumuntur. Romæ inventus fuit liber qvidam circa annum 1525. editus, de spolijs, exuvijs & reliqvijs Sanctorum, in qvo mira recēsentur. *Charrovienses Monachi dētes, crines, etiam præputium Christi (horrescit mens præ his blasphemijs) hominibus, ut reverēatur, ostēdunt, præputium idem Romæ etiā in templo Lateranēsi asservatur: mendacium arguit loci diversitas. Sangvis Jesu Christi plus qvā in centum locis: ut Rupellæ à Nicodemō Chirothecis suis exceptæ aliqvot guttulæ. Mantuæ magnæ Phialæ plenæ illius sangvinis, Biliomæ in Avernia in Crystallo ostensus adoratur, nec illinc procul & in alijs locis, & præsertim Romæ in Eustachij tēplo aliqvot fidelias plenas habent, & octingētis annis post ejus mortem demum repertum esse, nō sine grandi blasphemia, & pessūdatione preciosissimi Jesu Christi sangvinis, mētiuntur. Aqvam insuper cum sangvine mixtā, qvæ fluxit de latere Christi, Romæ in templo Lateranensi, ostēdunt. Præsepe ejus Romæ in æde Mariæ majoris venerātur: in D. Pauli æde ibidē, ut & in Hispania in Salvatoris tēplo lodices Christi habentur, itē cunabula, & indusia ejus: Romæ colitur altare, in qvo sistebatur Christus, columnaq; qvâ nitebatur. Hydriæ illæ sex habentur aliqvæ Ravennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi, & in Hispania,*

nia, in templo Salvatoris: Aureliæ vinũ ex aqvâ factũ cõſervatur: calcei Chriſti in Sãcto Sanctorũ Romæ cultu proſcindũtur Idololatrico: menſæ, ſuper qvá cœnam Chriſtus adminiſtravit, in tẽplo Lateran. Romæ honor impẽditur. Panis particula, qvã diſtribuit Apoſtolis, in Hiſpaniá in tẽplo Salvatoris ceu Deus adoratur. Treviris cultrum, qvo agnus paſchalis diſſecabatur, aſſervãt: prope Lugdunum in templo Mariæ Inſulanæ, itẽ in Helvetia in Auguſtinorũ aliqvo monaſterio calix ille Chriſti Diſcipulis cũ ſangvine porrectus, qvi unicus tantũ erat, oſtenditur: Romæ & Genuæ, & Arelatæ, his tribus in locis patinã agni paſchalis unicã habere credunt: ſupparum Chriſti Romæ Lateran. templũ ſibi vendicat, idẽ etiã Achi in Germania reperitur: fruſtrũ qving; panũ Romæ in novæ Mariæ æde, aliud fruſtrũ in Hiſpaniá in Salvatoris æde commõſtratur, ut & palma, qvã Hieroſolymã adveniens geſtaſſe fabulantur: terra, cui inſtitit Lazarũ reſuſcitans, paſſim ſacra habetur. Nec minori cum ſuperſtitione adhuc Toloſſæ inſcriptio crucis Chriſti retineri putatur, Romæ in S. Crucis æde eandẽ reperiri, à mendacibus traditur. Clavi tres qvibus Chriſtus crucifixus eſt, in qvã plurimis locis aſſervari dicútur, Helena filio ſuo, ut Theodoritus perhibet, unũ ſuper galeã ejus poſuit, reliqvos duos fræno eqvi ejus appendit, ſed Ambroſius inqvit, Coronæ Conſtantini unum impoſitum, ex altero frænum fabrefactum, tertiũ Helenã reſervaſſe: nihilominus Mediolanenſes, illum fræno appenſum clavum ſe habere gloriantur. Carpentoractẽſes eundẽ ſibi vendicant, duo præterea Romæ, in templo Helenæ alter ad S. Crucem deprehenduntur, itẽ unus Senis, alius Venetijs: etiã alij duo in Germania, alter Coloniæ, alter Treviris eſſe, ut & pariſijs in ſacello S. unus creditur,

 Car-

Carmelitæ qvoq; unum habent, in S. Dionysij templo Galliæ itidem unus, alius unus Draguinianæ, item alius in Abbatia, qvæ à forpice aurifabri nomen habet, cum veneratione asservatur, Bituriges, se qvoq; unum habere superstitiosè autumant.

266] *Cuspis sarissæ qva latus Christi transfossum, qvatuor in locis, Romæ, Parisijs, in Monasterio forpicis aurifabri apud Xantones, & Selvæ prope Burdegalim adhuc conservatur. Spinea Corona Christi in omnes regiones dispertita est. Parisijs tertia ejus pars, Romæ magna pars pro numine custoditur, Senis Vincentiæ, apud Bituriges, Vesontij in Monte regio, in Hispania Compostellæ, & in templo Salvatoris, in Helvetia, Tholossæ, Mantiscionæ, Chatrovij, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximini in provincia, Sallæ, Novioduno, & alibi rami de ea, aut toti fasciculi, potius nidum ciconiarum, qvam coronam efficientes, tanqvam res sacra & divina coluntur. Purpura Christi respersa sangvinis guttilis alibi adhuc remanet. Tunica ejus inconsutilis in pago Argentoliæ prope Lutetiam parisiorum, item Treviris, item in Turcia à Mahometistis custoditur. Tesserarum militum altera Treviris, altera in Hispania in templo Salvatoris, velut sacrosancta res, asservatur. Sudarium Christi Niceæ, Aqvis in Germania, Trajecti & Vesontij, Cadonij, Lemovici, in Lotharingia, & Romæ in Vestalium aliqvo Monasterio devotè à superstitiosa plebe honoratur. Arundo qvæ Christo pro sceptro dabatur Romæ in Lateranensi templo & spongia in æde S. Crucis superest. Triginta Judæ argentei religiosè adhuc, qvasi res sacra conservari creduntur. Caudam asini, qvem inequitavit Christus, Genuæ (ô sanctas reliqvias) ostendunt, & magis ante*

eam,

eam, qvam ante nomen Domini sese Antichristi humiliant. O maledicta pravitas, in asini cauda gloriari, & Dominũ gloriæ blasphemijs onerare! Spiritus Sanctus vult, ut osculemur filiũ, ne irascatur: hæ infernales bestiæ, pontificij caudam, vah caudam asini deosculantur.

267] Piscis particulam Christo à Petro oblati, item vestigia Christi aliqvot, item lachrymas Christi & sangvinem, aut ex hostijs aut ex imaginibus Christi qvarum multæ ubiq; adorantur, profluxum divino prorsus cultu afficiunt. Has & infinitas alias idolomanias Pontificij cum Christi reliqvijs, ut impiè nominantur, qvotidie cum extrema animarum jactura committũt: sed in his nõ acqviescunt, verùm Mariæ omnibusq; Sanctis, eorumq; reliqvijs ita sedulo vota sua solvunt, pertinaciter adorant, & impensè adeò honorant, ut, Deum omnipotentem nomen & gloriam suam idolis his, & inanibus rebus concessisse, populus superstitiosus omnino persuasum habeat. B. Mariæ lactis tanta copia in Papatu passim creditur, adoratur & colitur, ut centũ mulctralia eo commodè impleri possent. Crines ejus, pectē, indusia, vestes, pepla, Josephi crepidas & caligas cũ admiratione suspiciunt, Apostolorũ autem doctrinã cum indignatione despiciunt, vide, qvo prolapsus sit Antichristus! Michaelis Archangeli pugio & clypeus, qvibus usus est in monomachia cũ Sathana, à Turonensibus adorantur & ostendũtur. Johannis Baptistæ (ut ad Apostolos etiã veniamus) Synciput Ambiani idipsum incolæ Johannis Angelici etiã se habere jactant: occiput Melitæ, illud ipsum etiã Nemorolæ, maxillæ ejus Vesontij, alia pars Parisijs, auricula Aruentæ, frons cum capillitio in Hispania, Novioduni etiã pars qvædã magnis ceremonijs ubiq; commonstratur. Nihilominus Romæ integrũ

caput Johannis in Silvestri cœnobio reperitur: brachium ejus Senenses habent, digitus qvo Christum commonstravit, Vesontij unus est, Tholossæ item unus, Lugduni qvoq; unus, apud Bituriges unus, unus Florentiæ, & prope Mascum in æde Johannis Fortuiti. Sex hi sunt digiti, & unum illum, qvo Christum ostendit, solum modo à conflagratione immunem fuisse fabulantur. Calcei ejus Parisijs residui adhuc sunt, ante 20. annos alter surreptus fuit, sed admodũ citò alius, nescio unde exortus est. Romæ vestis ejus de pilis camelorũ visitur, ut & altare, super qvo cũ in eremo orasse tradũt: Avinone gladius, qvo plexus erat, Achi in Germania florea ei substrata, aliaq; multa de Joh: B. passim extare finguntur.

268] *Petri malam cum barbâ, cerebrum (qvod opertum Genevæ adorabatur, sed cum scrutarentur homines, invenerunt pumicem) sellam & vestem Episcopalem altare, gladiũ, baculum, calceos, catenam & columnam, qvibus alligatus erat, omnia hæc & alia mihi incognita se habere, Pontificij somniãt, Corpus ejus unâ cum Pauli Romæ sepultum est. Tholossatẽses sex Apostolorum corpora: videlicet utriusq; Jacobi, Andreæ, Simeonis, Philippi, & Judæ secum esse, gloriantur: Matthiæ corpus Patavij aliud Romæ, aliud Treviris, membraq; aliqva alibi jacent. Matthæi corpus Salerni positum est, caput, brachiũ & ossa qvædam Treviris inveniuntur. Thomæ Corpus Orthonnæ esse, ferunt. Bartholomæi corpus Neapolis, item Romæ in templo ei sacrato, & cutem pisis papicolæ asservari dicunt. Andreas etiã aliud corpus Melphis, ut & Philippus & Jacobus Minor habent, Romæ alia corpora, præter superiora, item Simon & Judæus ad S. Petrum etiam jacere dicuntur, &c.*
Hæc & alia plura Reliqviarũ Pontificiarũ figmen-

ta ex Libro Romæ invento recitat Wolfius Cent: 16. p. 233. ſeqq. Ita Eccleſia Chriſtiana â Monachis & Sacrificulis miſerè decepta fuit per fictitias illas reliqvias. Dicant autem Pontificij *unde* certus qvis eſſe poſſit, reliqvias, qvas hodie monſtrant, non ſimiliter eſſe fictas; edoceant nos *ſigna* qvibus veræ & falſæ reliqviæ Sanctorum poſſint diſcerni, qvod dum nec faciunt, nec facere poſſunt, tota ipſorum doctrina de Sanctorum reliqvijs, tanqvam fraudulenta meritò univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ ſuſpecta manet.

269] Septimò, *Æqvivocationes etiam objieci,* qvibus Pontificij Lutheranos decipiunt, promittunt ſæpius exercitium religionis noſtræ, ſubintelligentes, *qvamdiu Romanæ Eccleſiæ non fuerit perniciosum:* docet hæreticis aliqvid poſsè promitti, ſed cum ea conditione, *qvamdiu Pontifex hoc conceſſerit.* Adduxi exemplum Garnetti Jeſuitæ in Angliâ, qvi librum de æqvivocationibus cenſendò ſubſcripſit, & ad Tractatum *Meiſneri de Æqvivocationibus* provocavi. Reſpondet Janſſenius (1) *Eſſe manifeſta mendacia p. 159. 161* (2) *Lutherũ hoc docuiſſe, qvod hæreticis fides non ſit ſervanda p. 161. 162.* (3) *Calviniſtas ſubſidium & ſocietatem Turcici Imperatoris petiiſſe, teſte, Florimundo* (4) *De Garnetto eſſe ingentem calumniam.* Reſpondemus.

270] 1. Non ſunt mendacia qvæ ſcripſi de Põtificiorum æqvivocationibus. Docent illi (1) *qvod qvis iniqvè interrogatus, licet ſceleris reus ſit, poſſit tamẽ judicem eludere per qvasdam amphibologias,* dicẽdo; *neſcio,* ſcilicet, *ut tibi dicam*; *non memini*, ſcil. *ad dicendum*; tali modo poſſe judicẽ eludi, *inter omnes*

con-

convenit, ait *Gregor.* de *Valentia Tom.* 3. *Disp.* 5. qvæst. 13. p. 2. colum. 1350. (2) Concedunt, *qvod etiam factum absolutè liceat negare*, ut *Gregor. de Valent:* dicto loco, *colum.* 1350. (3) Statuunt talem negationem qvæstioni factæ directè oppositam, *non esse mendacium*, videatur *Valentianus col.* 1351. In specie docent *æqvivocationes licitas esse (1) in causis matrimonialibus*, ut Valent. refert ex Navarr: d. l. colum. 1351. *(2) In qvæstionibus ad peregrinos* factis si alibi pestis grassetur, ut Toletus lib. 4. de Instruct. Sacerd. cap. 21. num. 6 (3) *In qvæstionibus temerariis. Toletus* d. l. n. 7. (4) *In juramentis coactis, Toletus lib.* 4. cap. 22. (5) *In juramentis qvibusdam* dum in certis casibus nō tenemur fateri veritatem. Exempla adducunt *Jacobi* dicentis ad Patrem: *Ego sum filius tuus primogenitus Esau*, scil. *privilegio & jure, Gen.* 27. *Christi* dicentis: *de die vel horâ illâ nemo scit, neqve Angeli in Cœlo, neq; Filius*, scil. *ut legatus & hominum Doctor Mar.* 13. Item *Joh.* 7. *Ego non ascendam ad diem festum hunc*, scil, *modò*, vel *manifestè ut* soleo, videatur *Toletus* lib. 4. cap. 21. (6) *In causis qvibusdam civilibus mutuum concernentibus Azorius* part. 3. *Instit:* lib. 13. cap. 25. (7) *In negotio religionis*, qvādo libertas religionis promittitur, sed cum tacitâ conditione, scil. *qvatenus & qvamdiu Pontifex approbat, Menoch. lib.* 1. *Consil.* 100. *num.* 219. expressè docet, *fidem hæreticis datam non esse servandam, cum data fides est ad detrimentum Ecclesiæ Catholicæ.* (8) *In salvo conductu, Becanus* Tom. 3. *qvæst. Batav.* 15. p. 171. salvum conductum Hussio datum æqvivocè excusat, scil. *ut interea liceat Judici Ecclesiastico in erro-*

errores talium Personarum inqvirere, eosq; punire, qvomodo justitia suadet.

271] Exempla talium æqvivocationum sunt Franciscus Assisius, qvi interrogatus â lictoribus, an illuc homicida transijsset immissis manibus intra manicas respondit, *hac non transijt*, scilicet *per manicas*. Leo X. cuidam Paulo Balliano salvum conductum dedit, ipsiq; tamen caput amputare jussit, qvem salvum conductũ amphibologicè datum fuisse ait *Menachius lib 1. conf.* 100. n. 224. Ita Garnettus æqvivocè respondit coram Legatis Regijs etiã admonitus ut sine æqvivocatione responderet, referente *Hospin: in Histor. Jesuit:* p 227. Richeomus negavit Heinricum (de Rege Galliæ qværebatur) vocatum fuisse Tyrannũ, intelligebat autem Heinricum Valesium. Sic Franciscus Treshamus cõjurationis Hispanicæ adversus Regem Angliæ cõvictus agonizans juravit, se Garnettũ sedecim transactis annis ne vidisse qvidẽ, cũ tamẽ Garnettus ipse & Anna Vaulx uxor Treshami faterẽtur eos superiori biennio sæpius cõvenisse, sed æqvivoce subintelligebãt, *se Romæ aut Venetijs Garnettũ nõ vidisse*, ut testatur actio proditoria Regni Angliæ in Garnettum & socios *p. 34 seq.* Fatetur etiã manifestam veritatem Jesuita Paulus *Laiman in Theol. Morali lib. 4. Tract: 3 cap 13. fol. 616.* qvi ordine enarravit autores Põtificios æqvivocationẽ approbantes Ex nostratibus de æqvivocatione tractatũ scripsit Meisnerus, in qvo fundamẽta artis æqvivocãdi examinavit. Hos libros Monachus evolvat, & si micam pudoris & honestatis habet, erubescet.

272] *2. Lutherum accusat Janssenius qvasi docu-*

erit

erit, fidem hæreticis non esse servandam. Citat *Tom.2. Jenens. Germ fol.53. aut 65. an.94. in qvadã Epistola ad Electorem Saxoniæ.* Legitur Epistola illa fol.107. in qva Lutherus adhortatur Fridericum Electorẽ Saxoniæ, ut promoveat Concionatorem Evangelicũ ad officium publicum etiam cõtradicentibus Clericis, addit rationem cur ista contradictio non debeat attendi, licet jactarent jus Patronatus, *qvia potestas non sit data ad Evangelij destructionem sed ædificationem, imò nullum jus, nullum Magistratum, nullum sigillum valere adversus veritatem Evangelicã, cum Deo oporteat magis obedire qvã hominibus.* Malitiosè igitur monachus affingit Luthero ac si docuerit, hæreticis fidẽ non esse servandam, cum doceat *Deo magis qvã hominibus esse obediendum, nec hominum jura, potestates aut sigilla aliqvid contra Deũ valere.* Si autẽ in hoc Lutherus peccavit, peccarũt etiam Apostoli, qvi idem docuerunt *Act.5.v.29.* Sacerdotes procul dubio, Apostolis objecerũt penes se esse jus patronatus, potestatẽ, literas, sigilla, consuetudinẽ, præscriptionem & alia Sexcenta, nec licitum esse alijs, ut ad prædicandum surgãt; sed Apostoli nec jura, nec sigilla, nec potestatẽ curarũt, & Deo magis qvam hominibus obediverunt. Tãtum ergò Lutherus hac in re peccavit, qvantum Apostoli, hoc est nihil.

273] *3. Calvinianis obijcit, qvod à Regibus suis ad Turcam factã fide transire voluerint;* ad nos autem hoc non pertinet, qvi nec illorum errores in religione probamus, nec defectioni tali (si modò Calviniani eam concesserint) subscripsimus.

274] *4. Ingentem Calumniã esse ait, qvæ de Garnetto scripsi.*

scripsi. Non est calumnia; *Hospinianus in historia Jesuitica lib. 4. cap. 2. fol. 228.* hac de re ita scribit, *Liber qvoq; paulò ante mortem Elisabethæ Reginæ editus est hoc titulo.* Æqvivocationis tractatus â *Garnetto Jesuitarũ in Angliá provinciali & Blackvello Angliæ Archipræsbytero non solùm visus sed etiam approbatus. In principio autem Garnettus suâ ipsius manu verbũ hoc tituli* æqvivocationis *delevit, & sic mutavit:* Tractatus contra æqvivocationes & falsas dissimulationes. *In fine etiam Blackvellus librũ hunc approbavit & commendavit his verbis: Tractatus iste verè doctus & & verè pius & Catholicus est: certè Sacrarũ Scripturarum, Patrum, doctorum Scholasticorũ, Canonistarũ & optimarum rationũ præsidijs plenissime firmat æqvitatem æqvivocationis, ideoq; dignissimus, qvi typis propagetur, ad consolationem afflictorum Catholicorum & omnium piorum instructionẽ.* Hæc Hospinianus.

275] Octavo Pontificij fraudulenter agunt, *dũ manifesta mendacia spargunt: negant fœminam gessisse Pontificatum; de Luthero spargunt eum hausisse & didicisse doctrinã suam à Diabolo; ipsum infami morte perijsse: Lutheranos bella & seditiones concitare; Sanctos ab illis contemni &c.* Respondet Janssenius *(1) Historiam de fœminâ Pontifice esse fabellam â Florimundo refutatam (2) Lutherum omninò Theologiã suã à Diabolo didicisse iterum ex Florimundo prolixè deducit p. 166. 170 ex ipsa Lutheranorũ cõfessione. 171. 172. ex Serario, 173. (3) Lutherũ morte subitanea obijsse & horribiles exeqvias habuisse ait p. 174 Tandẽ provocat ad Caput 9. qvo ait; se demõstrasse Lutheranos esse turbatores pacis, multaq; bella cõcitasse.* Resp: ad singula.

276] 1. *Fabulam esse historiam de fœminâ Pontifice*

fice, Janssenius qvidem ait, sed non probat: provocat ad *Florimundum* qvi hoc demonstret, sed caput vel paginam nō citat, neq; unicam rationem adfert, qvâ Florimundus hujus historiæ falsitatē demonstret. Contrarium asserunt viri fide dignissimi, qvi diu ante tempora Lutheri vixerūt. *Rudolphus Flaviacensis* Monachus primus hanc historiā descripsit, cujus Rudolphi mentionē facit *Trithey-mius*, vixit ille anno 930. *Marianus Scotus* ex Scotia in Germaniam profectus, in tribus Benedictinorū Monachorum cœnobijs vixit, nempe in Coloniēsi, Fuldēsi & Moguntino, in qvo an. 1086. mortuus est, is collegit Chronicō ex vetustissimis illorū cœnobiorū ita etiā aliorum libris, in qvo historiā de Johanna Pōtifice descripsit. *Sigebertus* Monachus Gemblacēsis collegit annales ex historicis fide dignis, in qvibus puerperiū istius Papæ describit, vixit circa annum 1111. *Martinus Polonus* ordinis prædicatorū Monachus & Papæ Nicolai tertij pœnitētiarius, postea Archiepiscopus Consentinus qvoq; hanc historiam describit, vixit is circa annū 1278. habuit is tanqvā pœnitentiarius Papæ Bibliothecam Vaticanam apertam & Pontificum res gestas eo nomine melius scire potuit, historiā ille his describit verbis: *Post Leonem IV. Joannes Anglus, natione Moguntinus, sedit annis duobus, mēsibus qvinq;, diebus qvatuor, & cessavit Pontificatus mense uno. Mortuus est Romæ. Hic fertur fœmina fuisse: & cum in puellari ætate â qvodam suo amasio, in habitu virili Athenas ducta fuisset: in diversis scientijs ita profecit, ut nullus par sibi inveniretur, adeo ut post Romæ triviū legens magnos magistros discipulos & auditores haberet. Et cum in urbe, vita & scientia magna*

opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per suum familiarem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu inter Colossaeum & sancti Clementis Ecclesiam peperit in viâ. Et postea mortua, ibidem (ut dicitur) sepulta fuit. Et proptetrea, qvod Dominus Papa eandem viam semper obliqvat, creditur omnino â qvibusdam, qvod ob detestationem facti hoc faciat. Nec igitur ponitur in Catalogo Sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, qvam propter deformitatem facti. Veritatem hujus historiae asserunt qvamplurimi, *Otto Episcopus Frisingensis, Robertus Gallus, Wilhelmus Occam, Martinus Minorita in Chronico, Franciscus Petrarcha, Johannes Bocatius, Chronicon Constantiense, Antoninus, Platina, Chronicon Norinbergense, Fasciculus temporum Werneri Rollewinck, Baptista Mantuanus, Tritheymius in Chronico, Crantzius, Volaterranus, Cornelius Agrippa, Jacobatius Cardinalis, Bernardus Girardus Regis Galliae Historicus, Caelius Rhodiginus, Leander Albertus Bononiensis Monachus, Felix Malleolus, Johannes Nauclerus, Joannes Stella Sacerdos Venetus, Onus Ecclesiae, Christianus Massaeus in Chronico & alij plures*, qvos omnes uti & testimonia illorum recenset *Wolfius in Centurijs Lect. Memorab.* Centen. 9. p. 214. seqvent. Imò *Æneas Sylvius* qui tandem Pontifex factus est, hanc historiam qvoq; descripsit in sextâ mundi aetate p. 170. Operis historici.

277] Patet itaq; veritas historiae (1) ex continuata & consentiente in omnibus seculis tot historicorum serie, qvibus si fides denegetur necesse

 est

est omnem fidē historicam cadere. (2) Ex eo qvod ipsi Monachi & Episcopi, imò Æneas Sylvius postea Pontifex factus historiam unanimiter describant, qvi suspecti esse non possunt. (3) Ex eo qvod diu ante Lutheri tempora hæc fuêre scripta, sicuti etiā ante Lutherū nemo hanc historiā in dubium vocavit. (4) Ex sellâ pertusâ, qvæ hodie adhuc Romæ apud Johannem Lateranensem invenitur, ita aptatâ, ut Pontifex electus in illā collocetur, & per duos fide dignos de clero ejus testiculi de sexu virili testimonium præbentes tangantur, ut testatur *Felix Malleolus in Dial. de Nobil.* (5) ex Imagine hujus scorti, qvæ reperitur *Senis* in templo Cathedrali ad D. Catharinā, ubi sculptæ facies Romanorū Pōtificū habentur, scriptis verbis, *Fœmina Angla*, teste Crollio in Italico Itinerario. Huc pertinet, qvod ab anno 855 qvo ista Meretrix in sedē Pontificiā evecta, usq; ad annū 1521. qvo Lutherus Wormatiæ coram Imperatore Meretrici Babylonicæ publicè contradixit, numerentur anni 666. qui est numerus bestiæ Apocalypticæ Apoc. cap. 13. v. 18.

278] 2. *Lutherum hausisse doctrinam suam ex Diaboli informatione* prolixè asserit Janssenius; fingit sibi qvoq; me responsurum, *esse mendacia, & à Papistis in Tomos Lutheri inserta* p. 170. sed errat vehementer. Objectionem hanc Pontificijs communē diu refutarunt solidè *Balduinus contra Serarium, Zeæmannus contra* Ungerstorff, *Lælius contra Sixtum Sartorium, Garthius in Colloqvio Pragensi cum Jesuitis habito, Meisnerus contra Lessium & alij plures.* Brevissimis repetam. Lutherus â Diabolo fuit tentatus, de qva tentatione ipsus scribit Tom. 6. Jenens.

nens. Germ. fol. 82. 83. Ich bin einmal zu Mitternacht aufferwacht / da fieng der Teuffel mit mir in meinem Hertzen eine solche Disputation an (wie er den mir gar manche Nacht bitter vnnd sawr genug machen kan) höret jhrs / Hochgelehrter / wisset jhr auch / daß jhr fünffzehen Jahrlang / habt fast alle Tage winckelmesse gehalten / wie / wenn jhr mit solcher Meß hettet eitel Abgötterey getrieben / vnd nicht Christi Leib vnd Blut / sondern eitel Brodt vnd Wein da angebetet / vnd anzubeten andern fürgehalten? Ich anwortet / bin ich doch ein geweyheter Pfaff / habe Chresem vnd Weyhe vom Bischoff empfangen / dazu solches alles auß Befehl vnd gehorsam gethan / wie solte ich den nicht haben gewandelt / weil ich die Wort mit ernst gesprochen / vnnd mit aller müglicher Andacht Messe gehalten / das weistu fürwar. Ja / sprach er / es ist war / aber die Türcken vnd Heyden thun auch alles in jhren Kirchen / auß befehl vnd ernstlichem gehorsam / die Pfaffen Jerobeam zu Dan vnd Bersebe theten alles / vieleicht mit grösser Andacht / weder die rechten Priester zu Jerusalem / wie wann deine Weyhe / Chresem vnnd Consecriren auch vnchristlich vnd falsch were / wie der Türcken vnnd Samariter. Hie brach mir warlich der Schweiß auß / vnd das Hertz begont mir zu zittern vnnd zu pochen / der Teuffel weiß sein Argument wol anzusetzen vnnd fortzudringen / vnnd hat eine schwere starcke Sprache / vnd gehen solche Disputation nicht mit langen vnnd viel bedencken zu / sondern ein Augenblick ist ein Antwort vmbs ander.

279] Ex hisce verbis Lutheri patet (1) quod

Satanas Lutherum aggressus fuerit animo tentandi & ad desperationem adigendi propter Idololatriam in Missa commissam. (2) Qvòd Satan non docendi & informandi, sed pervertendi & perdendi causa hoc fecerit. (3) Satan vero non semper mendacia, sed etiã veritatem interdum loqvitur. Vera locutus est Job. 2. v. 4. *Omnia qvæ habet homo, dabit pro anima sua.* Matth. 8. v. 9. *Jesum Nazarenum esse Filium Dei, & venisse ut torqveret Diabolos.* Act. 16. v. 17. *Apostolos esse servos Dei supremi, eosq; viam salutis annunciare:* cum autem loqvitur veritatem, malo fine hoc facit; exaggerat Dei misericordiam illis, qvos in peccata præcipitat, Dei justitiam illis, qvos ad desperationem adigit, vera qvidem loqvitur, justitiam & misericordiam Dei exaggerando, sed omnia malo fine. (4) Hoc cum ita sit, qværitur an Satan in colloqvio cum Luthero veritatem dixerit, cum ipsum idololatriæ accusavit? ad hoc respondetur; ex verbo Dei Diabolum vera omninò dixisse, sicut in Capite de Missâ demonstratur. (5) Sicut autem non seqvitur, Satan tentavit Capernaitas & Gergesenos dicendo: Jesum esse Filium Dei (in qvo dixit veritatem) ergo illi homines Diabolum habuerunt Magistrũ, â Diabolo hoc didicerunt, adeoq; falsam habent doctrinam, Jesum esse Filium Dei; ita non seqvitur; Satan Lutherum tentavit idololatriam Missæ exaggerando desperationis causa, ergo Diabolus est Lutheri Magister, adeoq; Lutherus falsam de Missâ habuit doctrinam.

280] Missam verò esse Idololatriam Lutherus primò à Diabolo non didicit, *â qvo nihil omninò disce-*

discere volebat, ut scribit *Tom. 2. Jenen. German. fol. 182.* sed diu ante hoc colloqvium cum Diabolo ex Scripturis didicit. Primam Missam celebravit Anno 1507. cum verò â Diabolo tentaretur, scribit sese ante annos 15. in Missâ sacrificasse, illa igitur tentatio anno 1521. facta est: Jam verò Lutherus diu ante illud tempus contra Sacrificium Missæ docuerat ut patet *Tom. 1 Jenen. Germ. fol. 335. 336. 338.* qvo tempore Satan illum nondum tentaverat, ex eo manifestè liqvet, qvod Lutherus abrogationem Missæ â Diabolo primùm non didicerit, cùm diu ante illam tentationem Sacrificio Missæ contradixerit. Dum verò Lutherus ait, *sese plus uno salis modio cum Diabolo comedisse*, eo ipso loqvitur de insidijs Satanæ fraudulentis, qvibus insultat pijs, est enim apud Germanos talis loqvendi formula, modium salis comedere cum aliqvo, qvâ describitur multiplex conversatio cū aliqvo homine: ita de Christo dicere possemus, ipsum cum Juda proditore modium salis comedisse, hoc est, per aliqvot annos cum ipso conversatum esse.

281] Istæ verò tentationes Lutherum nullius malitiæ aut collusionis cum Dæmone possunt cōvincere; qvot Sancti vixerunt in ejusmodi tentationibus? Caput Sanctorum *Christus* in cruce clamabat ex summis angustijs animæ & tentationibus inferni ac Satanæ, *se â Deo esse derelictum Matt. 27. v 46. Jobus* in summis tentationibus qværebatur, *Deum sibi factum esse infensum, precabatur animæ suæ mortem & suspendium Job cap. 13. v 15. 24. cap. 7. v. 15. 16. David* in summis tentationibus

conqveritur: *dolores inferni circumdederunt me Ps. 18. v. 6. sagittæ tuæ infixæ sunt mihi Ps. 38. v. 3. Paulus* conqveritur in suis tentationibus, *qvod Angelus Satanæ ipsum colaphizet 2 Cor. 12. v. 7.* imò de omnibus Christianis dicitur, *qvod eos pugnare oporteat cum Principibus tenebrarum Eph. 6. v. 11. 12.* sicut autem non seqvitur exinde, Christum, Davidem, Jobum, Paulum & alios Sanctos Diabolum habuisse pro Magistro, licet in diabolicis tentationibus exercitati & probati fuerint, ita etiam simile qvid de Luthero concludi non potest; imò per inversionem dicimus, Lutherum oportet fuisse insigniter sanctum, cum Diabolus tentationibus & stimulis suis illum petierit, scimus enim antiqvum serpentem semen suum proprium non odisse, sed semen mulieris, cui insidiatur *Gen. 3. v. 15.*

282] 3. *Lutherum morte subitaneâ obÿsse, & horribiles exseqvias habuisse* ait Janssenius p. 174. citans historiam Florimundi. Respondemus (1) Ejusmodi mendacia sparsa fuêre vivo adhuc Luthero; evolvatur *Tomus 8. Jenen. Germ. fol. 206.* ubi Lutherus recenset, qvæ Pontificij de morte & sepulturâ ipsius sparserunt, & miratur impudentiam Dæmonis, qvi ipso adhuc vivo talia commenta proferat (2) Lutherum placidè obijsse in Domino, non morte subitaneâ sed lentâ, morbo præcedente, testantur *D. Justus Jonas, & M. Michael Cœlius*, qvi fuerunt αὐτόπται, mortis Lutheri descriptio ipsa reperitur *Tom. 8. Jenen. Germ. fol. 384* seq. Idem testatur *D. Pomeranus* in concione funebri Lutheri, *item Mathesius in concionibus*

bus de Luthero scriptis, ubi Lector inveniet, qvibus Scripturæ dictis & precationibus sese ad mortem præparaverit, qvibus medicamentis usus fuerit, qvid de horâ in horam factum fuerit morbo durante usq; ad mortem, qvæ ultima verba Lutheri fuerint. (3) Si Lutheranis fides non habetur, videatur *Thuanus* Pontificius, qvi idem de Luthero testatur in histor lib.2 an.46. Lutherũ pia colloqvia ante mortem habuisse, de vita æterna & statu beatorum in cœlis, adeoq; rectè ad mortem sese præparasse. (4) Dissensus Pontificiorum de morte Lutheri falsitatem manifestè arguit, *Bozius lib. 23. de sign. Eccles. cap. 3. & Gretser. in Tomo 1. defens. Bellarm. col. 855.* scribunt; *Lutherum serâ vesperâ bene potum sese dormitum contulisse, & mediâ nocte suffocatum fuisse. Claudius Santes repetit. 1 de Enchir. cap. 10.* scribit, *qvod Lutherus seipsum laqveo suspenderit, statim verò in domo illâ fuisse prohibitum, ne rem divulgarent. Bredembach Colloq. Sacr. lib. 7. cap. 39.* scribit; *molossum ingentem Luthero apparuisse, ipsumq; ante mortem terruisse, imò Diabolos ipsos in morte Lutheri visos fuisse.* Ita fratres isti Cadmæi inter se consentiunt de morte Lutheri, sicut testes de blasphemiâ Christi Mar. 14. v. 56. 57. 58. 59. aut duo senes de adulterio Susannæ, qvæ discrepantia non obscurum falsitatis signum est. (5) Lutherum non horribiles, sed Christianas & splendidas exseqvias habuisse, non tantum Justus Jonas, M. Cælius & alij testantur in descriptione sepulturæ Tom. 8. Jenens. Germ. p. 387. sed etiam *Cochlæus* hostis Lutheri infensissimus, cui (si fides nobis non adhibetur) Janssenius

credet, & *p. 303.* veram narrationem de sepultura in historia ipsius de Luthero evolvet. Qvæ bella, qvot turbas Lutherani excitarint, ait Janssenius supra sese descripsisse; nos dicimus ad ea qvoq; supra responsum esse.

283] Nona fraudulentia committitur â Pontificijs, *dum in Legendis Sanctorum mirabilia fingunt.* Tale commentum legitur in Francisci Legendis, *Satanam aliqvando Monachum ad inferos vivum rapuisse; accedens autem Franciscus increpavit Diabolum, eumq; ita coangustavit, ut coactus fuerit cucullum Monacho exuere, eumq; in monasterio relinqvere propter summam sanctitatem, fratrem verò sine cucullo ad inferos secum deduxit, unde articulus fidei provenit de sanctitate cucullorum, qvibus etiam Reges & Principes olim se involvebant in mortis agone, sperantes se sanctitatis cucullorum participes fieri posse.* Respondet Janssenius (1) *se nescire an ista fabula ibidem exstet, nec numerum esse citatum.* (2) *Melanchtonem statuisse Franciscum & Dominicum sanctos fuisse, qvorum historiam nemo possit negare.* (3) *Ipsos Catholicos ridere stultas istas fabellas de Francisco* (4) *Meipsum mentiri asserendo Pontificios docere æqvivocationes, fidem hæreticis non esse servandam, cumprimis calumniâ Garnettum fuisse oneratum.* (5) *Lutherum in multis insigniter mentitum fuisse.* Respondemus.

284] 1. Bruta responsio est Monachi, dum ait, *se nescire an fabula illa in Legendis Francisci habeatur*; tantus helluo Legendorum ista omnino scire debebat. Inveniet hanc fabulam Num. 406. Articulus fidei autē *de cucullis Monachorum* Francisca-

ciſcanorum in qvibus etiam indulgentiæ & peccatorum remiſſio inveniantur, deſcribitur *in Compendio privilegiorum ordinis Minorum num. 6.* Commento iſto impio & fatuo olim Reges & Principes perſvaſi ſunt, ut voluerint in cucullis Monachorum mori & ſepeliri. Tales fuerunt Jacobus & Alphonſus Arragoniæ Reges, Robertus & Fridericus Siciliæ Reges, Manuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus & alij plures, recenſente *Sedulio in commentario ad vitam Franciſci p. 393.*

285] 2. *Lutherus & Melanchton*, ait, Janſſenius, *agnoverunt hos viros eſſe Sanctos, credenda ergo ſunt, qvæ hiſtorici de illis ſcribunt.* Reſpondetur: Lutherus & Melanchton, Dominicum, Franciſcum vocarunt Sanctos partim ex vulgari conſvetudine, partim per μίμησιν ſicut nos Pontificiorum Sanctos ſolemus Sanctos appellare, qvos tamen non ſtatuimus eſſe Sanctos; partim etiam hoc nomine notarunt, non qvales fuerint ſed qvales eſſe debuerint. Lutherus *Tom. 2. Lat. Jenenſ. fol. 480.* Franciſcum vocat Virum *mirabilem* ſeu ridiculũ propter fatua & ridicula, qvæ de iſto Franciſco alijsq; Sanctis papalibus leguntur. Bonaventura ſcribit in Legendis Franciſci Antverpiæ An. 1547. excuſis, Franciſci pietatem tantam fuiſſe, *ut etiam lepus qvidam eam animadverterit, adeoq; de ſinu ejus diſcedere noluerit. In Vinea Franciſci cap. 44. fol. 113.* leguntur qvædam de corvo, qvi ex informatione Franciſci circumvolavit in ædes, & fratribus panem & carnẽ attulit, cumq;

aliqvando eqves admonitus de corvo, monachis aliqvid donare nollet, corvus pileo eqvili abrepto avolavit, qvem dum eqves inseqvebatur, corvus pileum reliqvit & eqvo insedit, frenaq; eqvitis ore suo arrepto cursu velocissimo eqvitavit. *Surius Tom.4. fol. 341.* ait: vidisse Dominicum in cœlo Mariam Virginem sub pallio suo ingentem numerum Monachorum Dominicanorum occultare. Deum Patrem habere duos filios, unum ex corde progenuisse, scil. Dominicum, alterum verò ex ore, scilicet Christum, legitur *in Legendis Dominici lib. 2. cap.14.* Qvis credat generationem Dominici esse sublimiorem generatione Christi, cum *ille ex corde*, hic verò *tantùm ex oris Patris* progenitus esse impio & blasphemo ore asseritur. *In libro Conformitatum Francisci, Mediolani Anno 1510. excuso p. 119.* legitur Franciscum jussisse, ut Frater qvidam nudus in publico cōcionem haberet, & præmij loco vitam æternam certò expectaret. Fatuum est, his levitatibus (nudo corpore concionari) vitam æternam acqviri. Huc pertinet qvod legitur *in Legendis Francisci à Sedulio editis p. 38. 40.* Franciscum in morbo suo collum fune circumdedisse, & nudum ad patibulum protractum esse; illoq; in loco prædicasse.

286] Janssenius porro p. 276. accusat Lutherum calumniæ, qvâ Ecclesiam Romanā petijsse videtur *Tom.1. Germ. Witt. præfat.3. apud Johannē Lufft 1539. Nostri, inqvit. Papistæ Christum non aliter in corde suo observant, qvam veluti inanem fabulam, aut gentile idolū. Item ibid. fol. 84. Papistæ asserunt, si qvis in Christum crediderit, esse condemnatū. Ibid. fol. 311. Christū*

agno-

agnoscere & in illum credere, Papistæ sentiunt idololatriam esse. Ibid. Carthusiani tenent, se non salvari per Christum, sed per regulam suam & constitutiones. Item in Colloqv. Mensal. fol. 99 apud Urbanum Gaubisch 1567. Qvod in Papatu nō ampliꝰ cantetur, Christus resurrexit, neq; ullus cantare ausit, nemo in culpâ est quàm Papa, qvi suis copiosam pecuniam offert, ut affirment, Christus non resurrexit. Sed Respond. Calumnia hoc est, dum Lutherus accusatur calumniæ. *Tom, 1. Germ. Witteb præfat. Tert.* conqveritur de malitiâ Pontificiorum, qvod videri velint Christum colere & confiteri, cum tamen illos, qvi Christum doceant, colant & confiteantur, perseqvantur; dum hoc faciunt, inqvit, eo ipso monstrant, qvod Christum verè non colant, sed velut inanem fabulam habeant. Qvicunq; enim jactat Deum, alios autem Deum illum confitentes & colentes, perseqvitur, is illū Deum qvem jactat, verè non colit, aliàs cultores illius Dei non perseqveretur. Provocat etiam ad vitam Curtisanorū in Aulâ Romanâ & universâ Italia, qvi vitâ pessimâ Christum abnegent. Is est sensus Lutheri in loco citato prout *αὐτοψία* textus monstrat. *Ibid. fol. 84* Lutherus exaggerat, qvod Scriptura dicat, qvi credit in Christum salvabitur; Pontificij autem doceant, non qvi in Christum credit salvabitur, sed qvi opera facit salvabitur. Credere in Christū, certè à Pontificijs nō habetur pro medio salutis unico & vero, sed opera urgent meritoria, qvod etiā Janssenius facit; qvi ergò docet, nō per fidē solā sed per opera meritoria salvari, is utiq; docet, fidē in Christum nō facere ad salutē, sed damnare, nisi opera

meri-

meritoria accesserint, eâq; de causâ Pontificij irrident doctrinam nostram de sola fide, vocantes nos fidesolarios, qvi fictam & putativam habeant fidem; dum ergo per opera salutem docent conseqvendam, per Christum certè damnationem seqvi necesse est, cum Scriptura opera & fidem in Christum, in nostrâ justificatione opponat: verè hanc mentem Lutheri esse in loco allegato, monstrant omnes textus circumstantiæ. P. 311. eodem sensu loqvitur, Papistas tumultuari contra fidem in Christum & per regulas ordinum salutem qværere, qvod verissimum esse sola Francisci Legenda testantur; de Christo qvidem loqvuntur, sed sine verbo ex figmento rationis, qvi autem credit in Christum & per fidem ad salutem contendit, illum qvasi idololatram rident, reijciunt, perseqvuntur, cum tamen ipsi in Missa & cultu fictitio idololatriam committant. Colloqvia mensalia Luthero consentiente & approbante non sunt edita, ex illis igitur nulla peti potest probatio: Ego qvoq; in colloqvijs Anno 1568. Francofurti excusis citata non invenio, neq; p. 99. neq; in toto loco de Christo.

287] Pontificij potius rei sunt calumniarum, qvas spargunt de Luthero & Lutheranis. *Gabriel Prateolus Marcossius, Doct. Theol. in Elencho Hæreticorum qvem scripsit Lutetijs parisiorum Anno 1568. uti excusus est Coloniæ apud Arnoldum Qventelium Anno 1605. sub privilegio S. Cæsar. Majest.* hanc in Lutheranos calumniam evomit *lib. 1. hæresi 77.* qvæ est Atheorum, ita scribens: *In qva opinione (Atheorum) hoc nostro seculo, impietate Satanica, multi*

ex

ex nostris Evangelicis conqviescunt. Desideratam, nempe (ut verbis Gvilhelmi Lindandi utar, qvibus in suo Dubitantio adversus hanc improbitatem utitur) ambitiosissimè illam Dei optimi similitudinem, cujus præposterâ superbissimâq; cupiditate ex paradiso, cœlestibusq; sedibus est ejectus, etiamnum ambire non desinit improbus, superbusq; ille Spiritus, adeò quidem, ut hac tempestate, apud eos ipsos Evangelicos rebus suis pro voto confectis, hoc est, Christo per eorum qvosdam cœlis extracto, ac in tartara misso, Deo Opt. Max. abnegato, sese Deum esse illis non modò persvaserit, sed colendum etiam, idq; accuratius qvam Catholici Deum colimus, præscripserit. Ut enim Catholici prisca de consvetudine Deum vivum & verum per diem adoramus novies; ita isti Satanici dæmonem - Deum (ô Cœlum, ô terra) decies invocant atq; colunt. Facti qvidem illi ex Christianis non modo Antichristiani, Judæi, Turcæ, & Mahometani, sed & diaboli cultores atq; adoratores. *Immò si verum mihi credere licet veri athei atq; impij, qvi nec Christum, nec Deum, nec deniq; Diabolum, nec cœlum, nec infernum esse profitentur. Ita Jodocus Cocus in Thesauro Catholico* scribit: Lutherum docuisse non esse Deum, non esse tres personas in Trinitate, Filium Dei non esse unius essentiæ cum Patre, Christum non esse unicum mundi mediatorem, qua de calumnia infra pluribus agetur. In Comitijs Augustanis Cancellarius Hispaniæ narrabat Melanchtoni, sparsum fuisse in Hispaniâ, Lutherum negasse Trinitatem, Mariam & Christum blasphemasse, Magistratum contempsisse, Cœnam Domini ut Cœnam vulgarem habuisse. In Gallia rumor increbue-

crebuerat, qvod Lutherani non conjugium, non Magiſtratum, non Eccleſiam curarent ſed brutorum inſtar promiſcuè viverent. Videantur *Acta Hiſtor. Auguſt. Confeſſ. & Præfat. Lutheri, in Articulos Smalcaldicos*.

Caput Undecimum.

De primatu Pontificis Romani.

288] GEnerale principium Religionis Pontificiæ eſt, Papam Romanum eſſe Caput & directorē totius Eccleſiæ Chriſtianæ, utpote qvi ſit infallibilis, & omnium Controverſiarum Judex: in hoc principiū tota religio Papiſtica poteſt reſolvi. Falſitatē verò iſtiꝰ hypotheſeos Pontificiæ novē argumentis demonſtravi in mea Admonitione (1) eſt ſcripturæ ſilentiū (2) Chriſti reſponſum (3) Modus demonſtrandi ex Philoſophia (4) Pontificum in veteri & Novo Teſtamento fallibilitas. (5) Paparū errores (6) Impotentia Papæ in decidendis controverſijs (7) Notæ Antichriſti in Pontifice (8) Chriſti ſolius primatus. (9) pluralitas Paparū uno eodemq; tempore. Ad ſingulas rationes Janſſenius excipit.

289] Primò Scriptura ſilet in univerſum de tali Capite. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & credentes vitā habeatis, ait Joh. 20. v. 31.* qvicqvid igitur non eſt ſcriptū, ſub neceſſitate ſalutis non eſt credendum, dari autem viſibile Caput Eccleſiæ in terris præter Chriſtū, illudq; eſſe Pontificem Romanū, nullibi ſcriptum eſt, ergo non eſt credendū *Eph. 4. v. 11.* Paulus recenſet totā Hierarchiam Eccleſiaſticam, dum ait; *Chriſtus dedit Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas,*

listas, Pastores & Doctores, Episcopi autē Oecumenici & Capitis generalis Ecclesiæ nulla fit mentio, unde rectè concluditur, tempore Pauli primatū illū Papæ fuisse ignotū, aut Paulū extremè fuisse invidum, qvi de tam præclaro thesauro Ecclesiā erudire noluit. Jansenius respondet (1) *Paulū non delineasse totam Hierarchiam Ecclesiasticā in hoc loco, cum Presbyterorum & Diaconorum nulla fiat mentio* (2) *dici posse totam Hierarchiam hic esse delineatam, adeoq; Pontificis (qvi Caput sit illius Hierarchiæ) mentionem implicitè fuisse factā, qvi sub aliqvo ordine intelligatur.* (3) *Balduinum sese confundere, qvi dicat in Disputatione qvadam Pontificis, in hoc dicto nullam confusam nec expressam mentionem fieri.* (4) *Sub nomine Ecclesiæ in Symbolo intelligi Pontificem, sicut enim posito exercitu Cæsaris Dux supremus tacitè intelligatur, ita etiam in hoc dicto in enumeratione ordinū Ministerij Pontificem tacitè intelligi, inprimis Petrum, qvi Pastor fuerit Ordinarius & ejus Successores p. 179. 180. Respondebimus ad singula.*

290] 1. Qvod Paulus nō delinearit totā Hierarchiā contrariatur *Bellarmino, qvi lib. 1. de Rom. Pōtif. c. 9.* nō potest negare, *totā Hierarchiā Ecclesiasticā hic esse descriptā*, unde etiā primatū Romani Pōtificis, ait, *sub Apostolatu* cōprehendi; imò Janssenius ex malâ cōscientiâ paulo post cōcedit *dici posse, hic scribi totā hierarchiā*. Monstrat verò scop9 Apostolici textus, eū totam Ecclesiasticam Hierarchiam voluisse describere *v. 10.* docet: *Christum ascendisse supra omnes cœlos*, interim tamē curā habere Ecclesiæ suæ in terris, qvā *corpus Christi* vocat *v. 12.* ut verò hoc corpus Christi mysticū *ædificetur, & Sācti ad*

opus

opus Ministerij perficiantur, ait Christum qvinqve ordines Ministrorum Ecclesiæ dedisse, *Apostolos*, *Prophetas*, *Evangelistas*, *Pastores*, *Doctores*. *Apostoli* sunt primarij Doctores â Christo immediatè vocati, & in Scholâ ejus instituti, qvi primò ad Israelitas tantúm *Matth. 10. v. 6.* sed post resurrectionem Christi ad omnes gentes in toto mundo ablegabantur *Matt 28. v. 19.* habebant illi promissionem singularem *de Spiritu Sancto Act. 1. v. 4. Luc. 24. v. 49. de potestate miraculorum Mar. 16. v. 17.* In locum Judæ proditoris Matthias electus *Act 1. v. 26.* qvibus Paulus extraordinariè accessit *Act. 9 v. 15.* qvi se qvoqve Apostolum vocat *Rom. 1. v. 1.* *Prophetæ* fuerunt Viri Apostolici in Ecclesiâ primitivâ qvi Spiritu fatidico erant præditi, casus & eventus futuros prædicendi, talis erat *Agabus*, qvi prædicebat famem, & vincula Pauli *Act. 11. v. 28. cap. 21. v. 11.* qvo dono etiam fœminæ qvædam fuerunt instructæ, *ut qvatuor filiæ Philippi Act 21. v. 9.* qvidam etiam singulari dono Spiritus Sancti Scripturarum sensum absconditū poterant eruere & interpretari, tales fuerunt *Barnabas & Simon Act. 13. v. 1.* de qvibus loqvitur Apostolus *1 Cor. 14. v. 24. 31.* *Evangelistæ* fuerunt, qvos Apostoli sibi interdum in prædicatione Evangelij comites adjungebant, ut *Timotheus Act. 16. v. 3. Titus 2 Cor. 8. v. 19. Philippus Act. 21. v. 8* & alij. Specialiter autem denotantur hoc nomine qvatuor illi amanuenses Spiritus Sancti, qvi Evangelicam de Christo historiam literis complexi sunt, inter qvos fuerunt duo Apostoli *Matthæus*, *Johannes*, & *Marcus* Petri, ac *Lucas* Pauli comes, *Eusebius lib. 6. Histor. cap. 13.*

Pasto-

Pastores fuerunt illi, qvi mediatè vocabantur, & ordinariè mittebantur in certum aliqvem locum ad docendum verbum Dei & Sacramenta Christi administranda, erantq; illius Ecclesiæ ordinati & perpetui informatores. *Doctores* autem fuerunt in Scholis, qvi Scripturæ interpretationi, corruptelarum refutationi incumbebant, qvorsum qvidam referunt *Catechetas Gal. 6. v. 6. Zenan Legisperitum Tit. 3. v. 13.* tales erant in Scholâ Alexandrinâ Pantæus, Origenes, Clemens, & hodie in Scholis atq; Academiis Professores, qvi informant illos, qvi ad Ministerium Ecclesiasticum sunt vocandi. *Atqvi Presbyteri & Diaconi hic non recensentur*, ait Janssenius, respondetur: isti comprehenduntur sub nomine Pastorum: Pastores enim ad certam Ecclesiam mediatè vocati, erant vel Presbyteri seu Seniores, qvi vel in verbo & in doctrinâ laborabant *1 Tim. 5. v. 17.* vel morum & disciplinæ Ecclesiasticæ inspectionem habebant *1 Cor. 12. v. 28.* R*om. 12. v. 8. Hebr. 13. v. 7. 17. 1 Tim. 4. v. 13.* vel erant Diaconi, qvi tum curam pauperum habebant *1 Cor. 12. v. 28. Act. 6. v. 2.* tum Presbyteris in munere docendi & Sacramenta administrandi conjuncti erant *Phil. 1. v. 1. 1 Tim. 3. v. 8.* hi benè ministrantes gradum sibi bonum acqvirebant, *1 Tim. 3. v. 13.* Qvanqvam diaconatus in Ecclesia Apostolica ordo potius œconomicus qvàm Ecclesiasticus fuerit Act. 6. v. 3. 4.

291] 2. Ait Janssenius, *posse dici, mentione Pastorum & Doctorum totam Hierachiam ministrorum Ecclesiæ hic fuisse significatam, Pontificisq; implicitam mentionem factam fuisse.* Resp. Notetur contradi-

ctio & inconstantia istius Monachi; modò dicebat, *Paulum non descripsisse in hoc loco totam Hierarchiam*, jam asserit *dici posse, totam Hierarchiam fuisse descriptam*. Duarum propositionum contradictoriarũ una tantùm potest esse vera, sed Janssenius fluctuat dubitatione conscientiæ, ut nesciat, qvid ipsi constanter sit asserendum: conseqventia autem est miserrima qvam nectit monachus, *tota Hierarchia hic describitur, ergò Pontificis implicita fit mentio, qvi est Caput illius Hierarchiæ*. Qværitur an in hoc loco Pontifex introducatur ut caput Ecclesiæ? affirmat Janssenius & probat, qvia tota Hierarchia Ecclesiastica hic describatur, adeoq; Pontificis etiam fiat mentio, cum is sit Caput Ecclesiæ: hoc est idem per idem probare, *Papa est caput Ecclesiæ, qvia est caput Ecclesiæ*: atqvi hoc est in qvæstione, qvæstio de qva dubitatur, non potest præsupponi tanqvam certa & indubitata qvædam propositio, qvod ἀλόγος iste Monachus nondum didicit. Ait verò *sub nomine Pastorum & Doctorum comprehendi ordines ministrorum Ecclesiæ, adeoq; Papam*. Contradicit autem *Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 9. & docet, sub Apostolatu* Pontificatum fuisse comprehensum; ita fratres isti Cadmæi inter se dissentiunt.

292] 3. *Balduinum* ait *& Mullerum sese confundere, cum Balduinus dicat in isto loco Pontificis nullam vel confusam vel expressam mentionem fieri*, atqvi hoc ego etiam dixi in mea Admonitione & adhuc dico, nec implicitè nec explicitè hic fit Pontificis mentio: non explicitè, nullibi enim

nomen

nomen vel primatus ipsius exprimitur; non implicitè, nec enim est Apostolus, nec Propheta, nec Evangelista, nec Pastor certæ alicujus Ecclesiæ (totius enim Ecclesiæ Dominium sibi arrogat) nec Doctor aliqvis in Scholâ; ergò prorsus nulla mentio Pôtificis hic habetur, adeoqve nec Balduinus sese, nec ego me confundo, Monachus potius se confundit, & gladio proprio sese jugulat.

193] 4. Potissima responsio in eo consistit, *in Symbolo Apostolico sub nomine Ecclesiæ* (credo Ecclesiam Catholicam) *principaliter intelligi Pontificem Romanum, sicut enim vocato Cæsaris exercitu summus Dux includatur, ita etiam Ecclesiâ nominatâ subintelligi Pontificem, Petrus enim fuit Pastor ordinarius cui Pontifex succedit.* Respond. ô miseram probationem (1) non disputatur jam de Symbolo Apostolico, sed de loco Paulino ad Ephesios 4. v. 11. qværitur *an Paulus in totius hierarchiæ Ecclesiasticæ descriptione Papam qvoq; introducat?* ad hoc respondendum erat, sed Janssenius relinqvit ex desperatione hunc locum, & ad Symbolum Apostolicum transit, perinde ut milites, qvi cum de aliqvo propugnaculo defendendo desperant, fugiunt, & in aliud sese conferunt. (2) *Bellam. lib 3. de Eccles. cap* 17. circa finem scribit; *una persona non potest dici Ecclesia*, atqvi subsumo, Pontifex est una persona, ergo non potest dici Ecclesia, neq; in Symbolo Apostolico, neq; in alio loco; transigat ergò Janssenius cum suo Bellarmino, qvid hic sit respondendum. Ecclesia est nomen collectivum denotans congregationem fidelium, verbo Dei & Sacramentis rectè

utentium, Pontifex autem est persona unica, qvi si rectè uteretur verbo & Sacramentis non Ecclesia, sed membrum Ecclesiæ dici posset. (3) Simile illud de exercitu Cæsaris prorsus ineptum est: toto exercitu denominato intelligitur qvidem Dux supremus, cum certum sit Ducem talem esse exercitui præfectum; sed totâ Ecclesiâ denominatâ non statim intelligitur Pontifex & caput Ecclesiæ visibile, cum adhuc controvertatur an ejusmodi Pontifex universalis & Caput Ecclesiæ in terris detur, & sicut meritò rideretur ille, qvi qværenti an *Petrus Generalis esset Dux exercitus alicujus*, responderet omninò, qvia posito exercitu ponitur Dux generalis, cum tamen qværatur *de Petro an ille sit Dux Generalis*; ita meritò exploditur Monachus, qvi qværenti *an Papa sit caput Ecclesiæ*, respondet, omninò *qvia nominatâ Ecclesiâ caput ipsius includitur*, cum tamen qværatur, an Papa sit illud caput Ecclesiæ? præsupponit igitur Monachus Papam esse caput Ecclesiæ, qvod tamen qværitur & de qvo dubitatur, an Papa sit caput Ecclesiæ? qvi modus disputandi crassam Logices ignorantiam in isto Monacho arguit. (4) *Petrum fuisse Pastorem*, ait, *ordinarium, cæterisq; majorem, cui Pontifices successere, sed ait tantùm, non demostrat. Bellarminus* enim d. l. non sub Pastoratu sed sub Apostolatu docet Pontificatum contineri, cum qvo Janssenius prius transigat. Imò si Petri primatus sub Pastoratu continetur, cur Pastoratus qvarto demum loco ponitur in dicto loco, cum tamen ipsi ut Pontifici & Capiti Ecclesiæ primæ deberentur. Petrum verò cæteris Apostolis non fuisse majorem,

jorem, Pontificesq; ipsius Successores non esse, infra in capite peculiari de Petro demonstrabitur.

294] *Secundò,* Christus qvoq; tacet de tali capite Ecclesiæ, rogatus â Discipulis, qvis inter ipsos major futurus esset in regno cœlorum, hoc est, in Ecclesiâ, in regno Messiæ, non respondit: *Petrus erit major, & post eum Romanus Pontifex*, hoc modo omne dubium, omnis disputatio fuisset sublata, Discipuli ita rectè fuissent informati; Christus nec directè, nec obliqvè ita respondet, verùm cogitationes de Capite & Principe Apostolorum removet, omnibus par officium commissum esse docet, & solam humilitatem ac ministerium illis commendat *Matth. 18. v. 2. 3. cap. 20. v. 25. seq. cap. 23. v. 11. 12. Luc. 22. v. 25. 26.* Qvis credat autem Christum hoc dogma sublime non expressisse, sed studio subticuisse? Respondet Janssenius (1) *omnino Christum stabilivisse primatum in Ecclesiâ Responsione suâ, qvi major est in vobis* (2) *Licet illum non nominaverit, qvi primus esse debeat, erudivit tamen Discipulos, qvomodo sese ille gerere debeat, qvi hanc dignitatem esset administraturus, nempe ut cæteris serviat & humilitate illis sit submissior, talis autem sit Pontifex Romanus, qvi se vocet servum servorum Dei, & licet alios interdum titulos assumat, hoc tamen non fieri superbiæ causa, sed ut potestatem officij sui indicet, instar alicujus Regis.* (3) *Dominium â Christo concedi, ait, sed sine libidine dominandi, qvalis est in Regibus gentium, qvi plerumq; sunt Tyranni* p. 181. 182. Respondemus.

295] 1. Janssenius ait *Christum omninò his verbis*

bis primatum in Ecclesiâ docuisse; qvi major est in vobis, fiat minor, *eo ipso concessisse, dari aliqvem in Ecclesiâ cæteris majorem* sed hoc est falsum (1) hac ratione Christus non respondisset ad qvæstionem, Apostoli qværebant de personâ, *qvis major est in regno cœlorum Matth. 18. v. 1.* si autem Christus de modo respondisset, utiq; Discipulos non rectè informasset, qvæstio enim *de persona*, & responsio *de modo*, inter se non conveniunt. (2) Christus accusaretur hac ratione malitiæ & negligentiæ, videbat omnes affectare primatum, si ergo cãdidè eos voluisset docere, & qvæsito satisfacere, Petrum utiq; nominasset, & cæteros ad obedientiam adhortatus fuisset; sed horum nihil fecit, ergò etiam primatum Petro & alijs denegavit, in articulis enim fidei valet regula Patrum, qvod Scriptura tacet, tacendo negat (3) Contrarium expresse docet;; *Reges gentium dominantur Luc. 22. v. 26. vos autem non sic*, qvasi dicat; dominium Monarchicum non habetur in Ecclesia, sicut in Politiâ. vos non decet auditores ita regere, ut Reges & Principes suos regunt subditos; ex vestro Collegio non eligetis Monarcham, qvi sit superior cæteris omnibus. Hæc responsio propriè tangit Apostolorum qvæstionem, qværebant illi, qvis sit major futurus? respondet Christus prohibendo tale imperium, in qvo qvis sit major omnibus cæteris. (4) Qvidam volebant esse majores, ut filij Zebedæi, qvorum alter ad dextram, alter ad sinistram sedere volebat in regno Christi, sed Christus respondet islis: *qvicunq; voluerit fieri major, erit vester minister, & qvicunq;*

cunq; voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus Mar. 10. v. 43. 44. Liqvet ex hisce verbis non fuisse qvenqvam in Collegio Apostolorum, qvi ex Christi concessione major fuerit reliqvis, sed fuisse qvosdam qvi majores esse voluerunt (5) Si per πρῶτον & ἡγούμενον Monarcha Ecclesiæ intelligitur, seqveretur omnes Apostolos debuisse esse Monarchas, ita enim argumentor: qvi debuit alijs ministrare, is est major & Pontifex; atqvi omnes Apostoli debuerunt ministrare, ergo omnes Apostoli hic sunt constituti Pontifices. Major propositio est Janssenij qvi convertibilia putat esse, majorem esse & alijs servire, applicat enim hoc ad Romanum Pontificem, qvi se dicat servum servorum, & tamen reliqvis omnibus sit major.

296] 2. *Modum dominandi à Christo descriptum, esse,* ait Janssenius, *ut scilicet Monarcha talis cæteris inserviat, in humilitate, qvod Pontifex faciat, sese servum servorum nominando, & pedes pauperum lavando.* Respondetur (1) Non de modo, sed de re ipsâ fuisse qvæsitum & responsum, in præcedenti theoremate est demonstratum. (2) Ex hoc principio potius contra Papatū argumentamur: qvicunq; in regno Christi vult esse primus, sit minister & servus; Papa Romanus autem non est minister & servus, ergo nec est, nec esse potest primus. Minor est vera, licet enim se vocet servū servorum, reipsa tamen sese Dominum Dominorum esse declarat, dum sibi, ait, omnem potestatem datā esse in cœlo & in terrâ, dū Imperatores & Reges de throno audet deturbare, regna & Principatus

illis eripere, dum ſeſe Imperatore ſuperiorem eſſe jactitat velut Sol Lunâ, vel aurum plumbo eſt ſuperius, dum pedibus ſuis omnia ſubjecta eſſe ait, dum omnes judicat, â nemine autem vult judicari, dum ſibi dominium eſſe jactitat in omnes Reges atq; Principes, qvi ipſi etiam in temporalibus ſubjecti eſſe debeant; hoc non eſt ſervire, ſed imperare, Chriſtus autem non intelligit ſervitium tale qvod in nudis conſiſtat verbis, dum ſeſe qvis ſervum eſſe profiteatur, ſed qvod verum & propriè dictum ſit ſervitium. (3) Nos ita argumentamur: Qvicunq; verè imperat & dominatur, is propriè nō eſt ſervus eorum, qvibus imperat, contradictorium enim eſſet, uni ſubjecto ſimul ſervire & imperare; atqvi Pontifex Romanus verè imperat & dominatur Eccleſiæ, ergò propriè illius non eſt ſervus ſeu miniſter.

197] *Pedes Pauperum Pontifex lavat, & in eo ſingularem humilitatem & ſerviendi ſtudium ſectatur*, ex mente Janſſenij, ſed reſpondemus illam lotionem eſſe meram hypocriſin (1) Qvia pedes pauperum prius benè ſunt loti, & aqvâ odoriferâ imbuti, non igitur fit mundandi cauſa, ſed ex ſimulatâ qvadam humilitate. (2) Qvia aliqvam vim Sacramentalem huic lotioni tribuunt. Salmeron Tom. 9. Tract. 8 ſcribit, impudenter â Bucero affirmari, illam lotionem eſſe nudam ceremoniam & Spiritu Dei deſtitutam, cōfert eam cum Euchariſtia & Baptiſmo, & tanqvam exercitium fidei commendat. (3) Qvia peculiarem & mimicam hanc lotionem ſectantur, negligentes internam & Spiritualem lavationem, qvæ â Chriſto præfigura-

figurata est. (4) Pedes aliorum lavant, corda autem & manus superbiæ, avaritiæ & aliorum peccatorum sordibus conspersa retinent, ut illud meritò illis obijciatur, qvod Christus Pharisæis objecit *Matth 23. v. 25. 26.* (5) Lavant illi pedes qvorundam, sed verorum Christi Confessorum sangvinem interim effundunt, & veloces habent pedes ad sangvinem piorum effundendum *Esa. 59. v. 7.* (6) Vim aliqvam meritoriam huic lotioni tribuunt, docent enim qvemlibet actum charitatis mereri vitam æternam. (7) Etiamsi Pontifex digito uno vel altero affundat aqvam pedibus qvorundam (hoc ipsi vocant lavare pedes) non tamen in eo servit Ecclesiæ Dei, nam servitium qvod Pastores Ecclesiæ debent, principaliter consistit in prædicatione Verbi & Sacramentorum administratione; pedes lavare & alia Charitatis officia exhibere, omnibus Christianis incumbit, etiam qvi non vivunt in Ministerio verbi. (8) Collatio unici istius actus humilitatis, & cæterorum actuum superbiæ, qvæ pompâ plusqvam regiâ perficiuntur, monstrat fictam esse humilitatem & meram hypocrisin, qvam Pontifex in ista pedum lotione exhibet. Ex hisce omnibus apparet titulum Papæ dum se servum servorum vocat, in solis verbis & externâ specie consistere.

298] 3. Ait: *Pontificē exercere dominium à Christo concessum, sed sine libidine dominandi, qvalis fit apud Reges Gentium qvi plerumq; sunt Tyranni.* Respond: vetus hæc cantilena est Bellarmini, Gretseri & aliorum; sed Christus non tantum Tyrannicum regiminis modum, verum omnem prima-

tum & regimen ipsis hic prohibuit nam.(1)Discipuli non qværebant de modo, *Domine qvo modo*, an Politico & Tyrannico aliqvis ex nobis major esse debet, sed de re ipsa, Domine *qvis est major* in regno cœlorum? itaq; nisi velimus dicere, Christum non rectè respondisse, de ipso regimine, ipsum fuisse locutum fatebimur (2)Christus in responso nō limitatè, sed absolutè nō de imperij vitio, sed de ipso imperio loqvitur, *vos nō sic*: qvæ verba id removent, qvod prius assertum fuit: non ait Christus, Reges gentium dominantur tyrannicè, vos autem dominemini eqvidem sed alio modo, verum simpliciter ait, reges Gentiū dominantur, *vos autem non sic*, ubi verba, *vos non sic*, non sunt limitatio prædicati, sed ipsum prædicatum (3) Christus distingvit inter Reges dominantes & Apostolos non dominantes, & differentiam ponit in eo, qvod Reges dominentur, Apostoli minus, si verò Christi responsio de Tyrannide interdictâ intelligatur, discrimen istud concidet, qvia nec Reges Tyrannicè imperare debent. (4) Qvia de talibus Regibus loqvatur Christus, qvi sunt εὐεργέται, sed hi non Tyrannicè gubernant, aliâs non essent εὐεργέται, ergo per verba *non sic*, non intelligitur modus regendi; seqveretur enim aliàs neq; Apostolos instar Evergetarum & beneficorum imperare debere. (5) Qvia Christus non tantùm Petrum, sed omnes Apostolos his verbis alloqvitur, *vos non sic*; si autem modum regiminis tyrannicum prohiberet, & ipsum regimen admitteret, seqveretur omnes duodecim

Apo-

Apostolos fuisse Monarchas & Pontifices: qvicqvid enim verbis *istis*, denegat, id omnibus denegat, qvicqvid concedit, id omnibus concedit, omnes enim alloqvitur (6) Qvia Christus subjungit admonitionem, *qvi voluerit inter vos magnus esse, sit vester minister, & qvi voluerit inter vos primus esse, sit vester servus*; hinc fluit argumentum: Qvos Christus vult esse ministros & servos, eos non vult esse dominos, atqvi omnes Apostolos vult esse ministros & servos, ergo non vult esse dominos & Monarchas. (7) Qvia Christus *Luc. 9. v. 48.* omne dominium prohibet, dum vult, ut major sit μικρότερος ἐν πᾶσιν inter omnes minimus; qvis credat autem Pontificem, cui omnes Creaturæ, ipsi etiam Angeli sunt subjecti, esse μικρότερον ἐν πᾶσιν. Qvicqvid huic titulo contrariatur, illud Christus prohibuit; esse autem Monarcham totius Ecclesiæ huic titulo contrariatur, ergò id Christus prohibuit. (8) Qvia Christus *Matth. 18. v. 4.* statuit puerulum in medio discipulorum & dixit; *qvi humiliavit se sicut puerulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Jam verò nullus puerulus potest esse Ecclesiæ Monarcha, omnis autem Minister Ecclesiæ debet esse sicut Puerulus, ergò nullus Episcopus potest esse Ecclesiæ Monarcha. Ex hisce omnibus manifestum est, qvod Christus non tantùm modum dominandi tyrannicum, sed ipsum dominium in Ecclesiâ prohibuerit.

299] Tertio dixi, Monarchiam Papalem principaliter ex Principio Philosophico confirmari;

mari; præcipua enim ratio, ut patet ex Bellarmino, eſt, qvia regimen Monarchicũ omnium eſt optimũ, in qvo themate defendẽdo integros libros conſcribunt, ut *Bellarminus Nicolaus Sanderus, Jacobus Gretſerus* & alij fecerunt. Non autem qværitur de formâ Eccleſiæ Ariſtotelicâ ſed Apoſtolicâ, non de regimine Politico, ſed Eccleſiaſtico, ab illo ad hoc nulla valet conſeqventia, cum regimen Eccleſiæ adminiſtrari debeat non ſecundum Principia Ariſtotelis, vel alius Philoſophi, ſed ſecundum effata Chriſti, qvia enim in illo omnis theſauri ſapientiæ & ſcientiæ fuêre reconditi, optimè novit, qvænam forma regiminis Eccleſiaſtici ſit optima. Ariſtoteles ipſe jubet, ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος in diſputando, qvi autem ex Philoſophia concluſiones Theologicas format, is utiq; de genere in aliud genus tranſit, contra Philoſophi præceptum. Reſpondet Janſſenius (1) *Bellarminum præſupponere apertam voluntatem Chriſti, qvi unum Eccleſiæ caput præfecerit, & autoritate Scripturæ primatum Petri ſtabiliverit.* (2) *Articulos fidei non ita pugnare cum rectâ ratione, ut non liceat eos ex ratione probare, qvod etiam voluerit Theodoretus & Lipſius.* (3) *Philoſophiam à nobis contemni, eam tamen eſſe antiqviorem Theologiâ.* (4) *Philoſophiam non contrariari Theologiæ, cum veritati omnia conſonent.* (5) *Prolixè declamat Eſavum & Jacobum fuiſſe typum Philoſophiæ & Theologiæ, & concludit, articulos fidei rationibus Philoſophicis rectè probari,* p. 173. usq; ad 187.

300] *Bellarminum ait, præſupponere Chriſti voluntа-*

luntatem, qvi unum Ecclesiæ caput præfecerit. Respond. (1) Illud qvod est in qvæstione probandum, non potest præsupponi, tanqvam indubitatum; exempli causâ, qværitur à Photinianis an Christus sit verus Deus? si qvis autem hoc vellet probare, dicendo, se præsupponere, scripturā hoc asserere, Christum esse verum Deum, talis disputator meritò esset ridendus, ita etiam iste Monachus putat ea præsupponi ante qvæstionem, qvæ tamen in qvæstione ipsâ sunt probanda, an scilicet Christus Monarcham Ecclesiæ suæ præfecerit. (2) Bellarmino Janssenius facit injuriam, is enim non præsupponit, Christum præfecisse Monarcham suæ Ecclesiæ, sed assumit hanc qvæstionem probandam aliqvot rationibus, primam deducit ex argumento Philosophico, *qvod Monarchia sit optima Reipub. forma, lib. 1. de Rom.: Pontif: cap. 2. postea* verò assumit dicta scripturæ, *c. 10. & seq.* ex qvibus voluntatem Christi deducit, ut ex inspectione Bellarmini patet.

301] 2. Ait, *Articulos fidei cum rectâ ratione ita non pugnare, ut non liceat eos ex ratione probare, teste Theodoreto & Lipsio.* Respond. Ratio humana non est regula articulorum fidei. (1) Qvia Scriptura tota silet de hac re, & nullibi ad judicium rationis in rebus fidei nos remittit. (2) Qvia ratio humana in rebus divinis cœca est; *animalis homo non percipit ea, qvæ sunt Spiritus Dei stultitia enim est illi, & non potest intelligere, 1. Cor. 2. versu. 14. tenebris obscuratum habemus intellectum, alienati à vitâ Dei per ignorantiam, qvæ est in nobis,*

bis, propter cæcitatem cordis nostri Ephes. 4. v. 18. (3) Qvia Scriptura jubet, *ut rationem captivemus sub obseqvium fidei, 2 Cor. 10. v. 5.* si ratio captivanda est in fide, utiqve mysteria fidei ex ratione non poterunt probari. (4) Qvia exempla fidelium docent, qvod illi contradicente ratione crediderint, ut *Abraham Rom. 4. v. 18. Paulus Gal. 1. v. 16. mulier laborans profluvio Matth. 9. v. 20. 21.* (5) Contrarium docent exempla illorum, qvi rationem in divinis consuluerunt, sed gravissimè errarunt, tales fuerunt, *incredulus Tribunus in Samariâ 2 Reg. 7. v. 2. Nicodemus Joh. 3. v. 4. 9. Thomas Joh. 20. v. 25. Saducæi Matth. 22. v. 23. seq.* Opponimus ergo Theodoreto & Lipsio (qvi tamen in loco allegato longè aliud vult) authoritatem Scripturæ, qvæ major est omnium hominum authoritate.

302] 3. Obijcit, *Lutheranos Philosophiam contemnere, eamq; pro Sophisticâ profanâ habere, cum tamen sit antiqvior Theologiâ:* sed iterum mentititur os impudens; Philosophiam in Scholis trivialibus & Academijs docemus; Juventuti, ut in eâ se exerceat, svademus, eam pro dono Dei & radio sapientiæ divinæ splendidissimo agnoscimus. Nonne prostant libri nostratium eruditissimi, in qvibus Logicam, Rhetoricam, Matheseos partes omnes, Physicam, Metaphysicam & Philosophiam practicam excoluerunt & illustrarunt; imo neminem ad Theologiæ penetralia admittimus, nisi prius in Philosophicis se exercuerit, animumq; ad sublimiora præparârit. Provocare possum ad omnes Academias Luthe-

rano-

ranorum, imò ad omnes cordatos Theologos, qvi in Philosophia sese exercuerunt ergregiè, antеqvam Theologiam susceperint Sit nobis unus, instar omnium beatus Meisnerus, qvem Monachus iste *impium & imperitum* vocat, qvi tamen in Philosophiâ ita versatus fuit, ut ad hunc usq; diem nemo vel ex adversarijs ipsius Sobriam Philosophiam refutârit. *Philosophiam verò esse antiqviorem Theologiâ*, unde hoc Monachus probabit? si Theologiam consideres, vel ut in Deo est Archetypa, vel ut in homine est Ectypa, utroq; modo antiqvior est Philophiâ. In Deo qvidem, qvi ab æterno novit ea, qvæ sint Dei, & qvæ ad hominum salutem pertineant; in homine autem, cui imago Dei in prima creatione fuit indita; cujus beneficio Deum rectè poterat agnoscere, eiq; servire in sanctitate & justitiâ. Philosophia autem, qvia occupatur potissimum circa creaturas, ideoq; ex creaturarum contemplatione tandem exorta est, unde patet Theologiam Philosophiâ antiqviorem esse, & non contra.

303] 4. *Philosophiam, ait, Theologiæ non contrariari cum veritati omnia sint consona*, sed respondemus: bonus iste socius congruentiam Philosophiæ & Theologiæ nondum satis intelligit. Nihil est verum in Theologiâ qvod sit falsum in Philosophiâ, & contrâ; nihil est falsum in Theologia qvod sit verum in Philosophiâ, ratio est, qvia qvælibet istarum Disciplinarum propria sua habet objecta, circa qvæ altera

altera illa disciplina non versatur: dum itaq; Philosophia ignorat objecta Theologiæ, nihil veri aut falsi de illis potest asserere, & contra. Exempli causâ, qværitur an hæc propositio sit vera aut falsa, Maria *Deipara est Virgo & simul Mater ex obumbratione Spiritus Sancti?* Philosophia de hac propositione nihil potest judicare, eam nec veram nec falsam asserere, cum prorsus ignoret, qvid sit Deipara, qvid Spiritus Sanctus, qvid ejus operatio: ita qværitur, an Christus sit Redemptor generis humani? Philosophia hoc neq; affirmat, neq; negat, cum ignoret, qvid sit Christus, qvid mundi Redemptor. Sic in nostro exemplo, *qværitur an Ecclesia debeat regi Monarchicè*, Philosophia novit eqvidem qvid sit Monarchia, sed qvid sit Ecclesia, qvid regimen Ecclesiæ, prorsus ignorat, ideoq; hanc propositionem nec affirmat nec negat. Non autem exinde seqvitur, ut Monachus concludit, *res Theologicas ex Philosophià posse probari*. Sicut enim conclusiones Medicæ ex Jure Civili non probantur, licet duæ istæ disciplinæ sibi non contrarientur, ita etiam res Theologicæ ex Philosophiâ probari neqveunt, licet duæ istæ disciplinæ contrarietatem non habeant. Imò qvæ disciplina ignorat propositiones Theologicas illas non potest probare, atqvi Philosophia ignorat propositiones Theologicas, ergo illas probare neqvit.

304] 5. *Ex typo Esavi & Jacobi Monachus congruentiam Theologiæ & Philosophiæ vix probabit*; præterqvam enim qvod similia nihil probent, sed rem probatam tantùm illustrent, dico potius disso-

dissonantiam utriusq; disciplinæ exinde deduci? sicut enim Esau Jacobum odio habuit, ita ut etiam Jacobus ex metu fugerit, ita seqveretur Philosophiam adversari Theologiæ; & sicut Jacob sese tandem humiliavit coram Esavo ex metu, ita seqveretur Theologiam esse inferiorem Philosophiâ; simile igitur istud Esaviticum Monachi assertiones potius destruit qvàm adstruit.

305] Nos verò usum rationis & Philosophiæ ex Theologiâ non simpliciter tollimus, verùm certo respectu libenter admittimus. Ratio humana reqviritur ad res Theologicas percipiendas tum *passivè* tum *activè*, passivè qvia subjectum Theologicæ cognitionis est humana ratio, nemo enim potest verbum (ex qvo fides oritur) sine ratione audire & percipere. Activè autem, tum respectu *notitiarum connatarum* theoreticarum & practicarum, qvæ in discursu theologico utiliter possunt adhiberi, à notiori ad ignotius, à generaliori ad specialius progrediendo; tum etiam respectu *suarum operationum*; ratio enim terminos simplices apprehendit, qvid sit Christus, qvid fides, qvid justitia, componit & dividit illus, Christum esse Deum, hominem non justificari operibus, tandem discurrit, ut, si ex operibus venit justitia, Christus frustra mortuus est. Specialia postmodum rationis axiomata suum qvoque usum habent in Theologia, faciunt enim ad meliorem intelligentiam qvorundam terminorum, ad expositionem Scripturæ, qvæ ex Physicis multa admiscet, ad hæreticorum refutationem, & si interdum mixtæ qvæstiones in Theologicis occurrant, ad secunda-

riam illarum demonſtrationem. Ita etiam Philoſophia inſervit Theologiæ in inſtrumentalibus & realibus diſciplinis. Grammatica enim docet in Scripturis dictiones & conſtructiones, Rhetorica figuras modosq; loqvendi, Logica concluſiones & cohærentias. Reales autem diſciplinæ habent uſum ſuum in terminorum qvorundam explicatione, in accuratâ Scripturæ interpretatione, in hæreticorum confutatione, & ſecundariâ qvorundam demonſtratione, qva de re alibi fuſius agi ſolet.

306] Notandum verò eſt, Philoſophiæ uſum in abuſum degenerare (1) qvando ratio judicat, ſecundum regulas Phyſicas, Metaphyſicas, Ethicas, de myſterijs fidei, & credere recuſat, qvod cum iſtis regulis non congruit (2) cum axiomata Philoſophica opponuntur Scripturæ, ijsq; verbũ Dei in ſenſum peregrinum detorqvetur, ea de cauſa, qvia literalis ſenſus apparet regulis Philoſophicis eſſe contrarius. (3) Qvando ratio modum myſteriorum divinorum inqvirit, & ab ignoratione modi ad negationẽ rei procedit. Hoc modo Scriptura malè de tribunali deijcitur, & cœca ratio pro normâ fidei venditatur. Philoſophia igitur nõ debet contemni, qvaſi infructuoſa Theologo, neq; eâ debemus abuti, qvaſi ſit norma fidei, ſed medio incedendum eſt modo, prout jam expoſuimus.

307] Sed ad ſcopum: *qværitur an Eccleſia debeat Monarchicè regi?* hoc Monacho fuiſſet confirmandum, nos negamus (1) cum in ſacris ſit prohibita iſta forma Eccleſiam regendi Luc. 22. v. 25. 26. Mar. 10. v. 42. Matth. 20. v. 26. 27. ut antea fuit

expli-

explicatum.(2) cum ſit impoſſibile iſtud regimen in Eccleſiâ, nemo enim tam potens eſt, qvi univerſum mundum ſibi poteſt ſubijcere, omnes regiones expugnare, omnes hæreſes tollere, nemo tam ſapiens eſt, ut omnes controverſias Theologicas & politicas in toto mundo occurrẽtes poſſit decidere (3) Qvia vinculum inijceretur conſcientijs, dũ iſte Monarcha omnes ad fidem ſuam cogeret, regnumq; ipſum facilè in tyrannidẽ mutaretur (4) Qvia nõ omnes Scriptores, ad qvos Pontificij provocant, Monarchiam pro optimâ habent regiminis formâ *Joſephus lib. 1. antiqvit cap. 8.* Ariſtocratiã cæteris præfert Reip. formis, *Patritius Senenſis lib. 1. de inſtit: Reip. cap. 1.* Ariſtocratiam Monarchiæ qvoq; præfert (5) Imò ipſe *Bellarm: lib 1. cap. 3.* Monarchiæ ſimplici mixtam & ex Ariſtocratiâ temperatam præfert.

308] Qvartò, in mea Admonitione objeci, Pontificem non poſſe Caput Eccleſiæ dici, cum homo ſit erroribus obnoxius *Jac. 3. v. 2. Rom. 3 v 4 cum* Aaron erraverit *Ex. 32. v. 2. 4. 5.* Caiphas ſimiliter *Joh. 19. v. 6.* Petrus qvoq; cum Chriſto paſſionem diſſvaderet *Matth. 16. v. 22.* cum Chriſtum abnegaret *Matth. 26. v 70.* cum qvosdam cibos putabat eſſe impuros *Act. 10. v. 14.* cum hypocriticè cum Judæis converſaretur, qvo nomine Paulus ipſum reprehendit *Gal. 2. v. 14.* Reſpondet Janſſenius prolixè p. 189. usq; ad p. 196. ſingula videbimus.

309] *1. Ait, ſupra* cap. 3. *ſeſe reſpondiſſe ad ea dicta, qvæ homines omnes errare docent, Papam verò non poſſe errare propter preces* Chriſti Luc. 22. Reſp. qvæ ſupra attulit, ſupra qvoq; ſunt refutata: ſumma

 eſt,

est, omnes homines posse errare, nisi habeant immediatā Spiritus Sancti adsistentiam; Patres vero & Pontifices destitui promissione de tali assistentia, & licet actu non semper errent, proclives tamen sunt ad errores, adeoq; naturâ erroribus obnoxij. Preces verò Christi Luc. 22. v. 32. dicentis ad Petrum, *rogavi pro te, ne fides tua deficiat*, non inferunt Pontifici immunitatem errandi, nam (1) preces istæ ad Petrum tantùm pertinebant, qvem solum Christus alloqvebatur, ergò nec Romani Pontifices, nec alius qvispiam illas preces pro se potest allegare. (2) Petrus erravit etiam post has preces, qvando Christum abnegabat Luc. 22. v. 57. 58. 60. ergò hæ preces non absolutam errandi immunitatem Petro contulerunt, multò minus alijs conferunt. (3) Christus etiam rogavit pro cæteris Discipulis omnibus, imò pro omnibus fidelibus Joh. 17. v. 17. 20. interim non seqvitur nullum Discipulum, nullum verbi Ministrum, aut nullum fidelem posse errare. (4) Christus rogavit pro Petro ne fides ipsius finaliter deficeret; cum enim Christum abnegasset, non penitus ad finem usq; defecit fides ipsius, sed per pœnitentiam ad Christum se convertebat. (5) Si istæ preces Christi dant Pontifici immunitatem ab erroribus, cur ergò *Honorius* Papa delapsus est in hæresin, teste *Cano lib. 6. L.C. cap. ult* p. 345. Cur *Liberius* fuit hæreticus teste *Baronio an.* 351. *§.* 21. imò cur Bellarminus docet *lib. 2. de Pontif. cap.* 30. *Papam hæreticum manifestum per se desinere esse Papam*; si ergò Papa potest fieri hæreticus manifestus, utiq; errrori erit obnoxius.

310] 2 *Aaronem, respondet, errasse in facto tantùm non in doctrinâ, neq; eum tum fuisse Pontificem, quando erravit.* Respon: Qvicunq; docet cultum, â Deo non præceptum, sed Idololatricum, is in doctrinâ errat: atqvi Aaron docuit Israelitas cultum â Deo non præceptum Ex. 32. nam. v. 2. *jubet afferre populum inaures aureas,* v. 4. *format vitulum, cumq; placeret hoc populo, ædificavit altare* v. 5. *coram eo, & præconis voce clamavit, cras est solennitas Domini.* Aaron itaq; & voce & exemplo docuit Israelitas istum cultum idololatricum, ergò in doctrinâ erravit; hinc Moses corripit Aaronem v. 21. dicens: *qvid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Aaronem non fuisse tum temporis Pontificem, est falsum, nam cap. 28. v. 1. â Deo jam erat denominatus & constitutus.

311] 3. *Caipham* verò errantem Janssenius miserè excusat, dicendo, *qvod erraverit qvidem in doctrinâ, sed Christo præsente, qvomodo Esaias cap. 9. v. 14. 15. Pontifices erraturos prædixit.* Respond: Concedit Janssenius Caipham in doctrinâ errasse, ergo certum est summum Pontificem in doctrinâ posse errare, Christi verò præsentia errorem Caiphæ non excusat, sed potius exaggerat, qvod eo tempore, qvo Messias in carne fuit exhibitus, cujus conciones audivit, miracula vidit, nihilominus Messiam reijciendo erravit. Si autem Pontifex erravit, cùm Christum haberet visibiliter præsentem, multo magis errare poterit hoc tempore, qvo Christus post ascensionem visibili & naturali modo ipsi non est præsens. Prædictum esse

hunc errorem Esa. 9. v. 14. est falsissimum, in illo loco Caiphæ nulla fit mentio, in genere v. 15. & 16, dicitur de qvibusdam Prophetis qvod doceant mendacia & seducant populum; intelligit autem Prophetas qvi vivebant tempore eversionis decem tribuum, ut contextus monstrat. Ponamus autem hunc errorem Caiphæ fuisse prædictum, interim non seqvitur, ergò non fuit error, aut ergò est error iste excusandus, imò de Antichristo Romano similiter prædictum est, ipsum erraturum 2 Thes. 2. v. 4. 9. 10. Caiphas itaq; cum Põtifice Romano manent erroribus obnoxii. Janssenius addit rationẽ, cur unus sit in Ecclesiâ Rector, scilicet ut conservetur unitas, qvæ fuisset disrupta inter Judæos Caiphâ præsidente, nisi Christus suâ præsentiâ errorem discussisset. Vitia hic occurrũt plurima. (1) Si sub præsidio Caiphæ potuit unitas disrumpi, ergò etiam sub præsidio Romani Põtificis, qvi eodem officio cum Caipha vult fungi. (2) Si propter Christi præsentiam fuit error Caiphæ discussus, seqvitur propter Christi absentiam in terris (qvam Pontificij docent, & pro qvâ Forerus hactenus acriter pugnavit) hodie errores istos in præsidio Pontificum non discuti. (3) si talis unitas conservatur in Ecclesiâ Romanâ Papa Præsidente, qvalis inter Judæos Caipha præsidente, seqvitur unitatem Ecclesiæ Romanæ contra Christũ esse directam, talis enim erat illa unitas Judæorũ in Concilio Christum ad mortem condemnante. Ita Monachus iste causam Pontificis Romani magis ac magis suspectam & peiorem reddit.

312] 4. Jam *errores Petri excusare satagit*

Matth. 16. v. 22 (1) Petrus dissvadebat Christo passionem, qva de causâ Dominus illum increpabat, & Satanam appellabat, respondet Janssenius, *qvod tum temporis Ecclesiæ non fuerit præfectus*, hoc stante Pontificiorum hypothesi manifestè falsum est, nam v. 18. Christus dixerat, *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; in hoc loco dicunt Pontificij unanimiter, Petrum Ecclesiæ fuisse præfectum, & Janssenius ipse infra cap. 3. ex hoc loco vult demonstrare Petrum fuisse caput Ecclesiæ; postea v. 23. ait Dominus ad Petrum: *Vade post me Satana, scandalum mihi es, qvia non sapis ea, qvæ sunt Dei, sed qvæ sunt hominum* Ergo Petrus erravit etiam tum, cùm ex mente Pontificiorum summum Ecclesiæ Caput ante constitutus esset.

3[3] (2) Petrus ter abnegavit Christum Matt. 26. v. 70. 72. 74. Respondet Janssenius, *qvod Dei gratiam sed non fidem amiserit; qvod hoc factum sit ante præfecturam Ecclesiæ, qvam adeptus sit Joh. 21. v. 15. seqq.* Respond: gratia Dei & fides hominis formaliter qvidem differunt, interim sunt inseparabiliter connexa, ita ut fides â gratia Dei separari non possit. Eph. 2. v. 8. *ex gratiâ salvati estis per fidem*; qvi ergo gratiam Dei amittit, is amplius fidem retinere non potest, cum illa gratia nobis contingat in respectu fidei Christum apprehendentis, *ex gratia per fidem justificamur* Rom. 3. v. 24. Si ergo Petrus gratiam Dei amisit, ut fatetur Janssenius, ergo etiam fidem amisit ipsam, qvæ sine gratiâ Dei consistere neqvit. Imò fides vera consistit in fiducia cordis, Psalm. 2. v.

 ult.

ult. Esa. 26. v. 3. Prov. 3. v. 5 Psalm. 31. v. 1. Joh. 16. v. ult Rom. 4. v. 18. 19. 20. 21. & in confessione oris, si qvis de fide qværatur: *corde creditur ad justitiam, ore fit confeßio ad salutem Rom.* 10 v 10. *Estote parati ut rationem reddatis spei qvæ in vobis est. omni qværenti.* 1. Pet. 3. v. 15. *Qvi me abnegaverit coram hominibus, illum iterum abnegabo coram Patre cœlesti*, inqvit Christus Matth: 10. v. 33. in hisce locis confessio oris nobis præcipitur, ita ut si qvis ore abneget Christum (hoc enim est negare coram hominibus) illum Christus iterum in extremo die velit abnegare. Fides autem & abnegatio fidei simul stare non possunt. Imò si Petrus fidem retinuit, Christum non abnegavit, nam fidei retentio & Christi confessio sunt conjuncta. Monstret ergò nobis Janssenius vel unicum dictum sive exemplum Scripturæ asserentis veram in Christum fidem cum Christi abnegatione stare posse, & herbam ipsi porrigemus. Petrum verò in Christi abnegatione nondum fuisse præfectum Ecclesiæ, est contra ipsos Pontificios asserentes, qvod Matth. 16. præfectura universalis Ecclesiæ ipsi collata fuerit; & infra p. 374. cap. 15. art. 2. Janssenius ex eodem dicto primatum Ecclesiæ Petro collatum fuisse demonstrat, adeoq; proprio suo gladio se jugulat.

314](3) Petrus cibos qvosdam immundos esse putabat, qvi tamen mundi erant Act. 10 v. 14. Respondet Janssenius: *hoc factum fuisse in excessu mentis*; sed hoc non sufficit ad errorem excusandum, qvi enim errat in excessu mentis, is qvoqve errat. Lex ceremonialis debebat tolli & abrogari,

qvor-

qvorsum ciborum discrimen Mosaicum qvoq; pertinebat, sed Petrus putabat illam legem adhuc vigere, & cibos qvosdam immundos esse: qvodq; in excessu mentis dicebat, id ante excessum mentis credebat; causa igitur erroris non fuit mentis excessus, qvippe in qvo Petrus singulari modo ab humanis ad visionem cœlestem rapiebatur, & â Deo corrigebatur, verùm inveterata sententia de distinctione ciborum in lege data; Duo igitur ista visio cœlestis notabat, primo discrimen ciborum olim in lege datum, in Novo Testamento non amplius esse observandum, prout alibi hoc explicatur Coloss. 2. v. 16. 1. Tim. 4. v. 3. deinde discrimen populorum, Judæorum scilicet & Gentium in Novo Testamento non amplius attendi, utrisq; enim patere aditum ad Evangelium Act. 10. v. 35. Ephes. 2. v. 14.

315] (4) *Paulus* Petro restitit in faciem propter hypocrisin commissam Gal. 2. v 14. Respondet Janssenius multipliciter; *scilicet errorem Petri fuisse in facto, non in fide; Petrum incautè simulasse Judaismum, unde Gentiles ansam scandali acceperint, superiores rectè posse corripi ab inferioribus; Istam reprehensionem à Paulo simulatè factam esse, qvin potius fuisse admonitionem, qvid alij in Petro reprehenderint, licet hoc immeritò & injuriâ fieri Paulus intelligeret &c. qvæ omnia latè deducit* p. 190. ad p. 195. Respondemus: nervus qvæstionis in eo consistit, *an Petrus verè erraverit, & propter illum errorem à Paulo verè reprehensus fuerit?* Petrus benè noverat observationem legum Judaicarum nō esse necessariam ad salutem, nam (1) divinâ visio-

ne Act.10.v.11. 12.seqq. fuit edoctus, discrimen ciborum Leviticum in Novo Testamento esse sublatum, conversationem Judæorum cum Gentilibus non esse illicitam, Circumcisionem & alia legis opera non esse ad salutem necessaria.(2)Ipse prædicaverat,apud Deum non esse respectum personarum, per nomen Jesu accipere remissionem peccatorum omnes, qvi credunt in eum Act. 10.v. 34. 43. (3) Cum accusaretur â Judæis, qvod cum Gentibus manducasset, gravissimè se defendit, ut adversarij agnoscerent, Deum Judæis & Gentibus eandem dedisse gratiam Act. 11.v. 17. (4) In Concilio Hierosolymitano Petrus cum reliqvis Apostolis publicè decrevit, gentiles conversos legibus Judæorum non esse onerandos Act: 15.v.10. Sciebat ergò Petrus hæc omnia, & vera esse seriò credebat, sed coram Judæis nolebat hæc confiteri, ne aliqvam existimationis jacturam pateretur in Judæa, ubi ipsi docendum erat. Peccavit ergò Petrus *verè* (1) qvod suam doctrinam ex metu nolebat profiteri. (2) Qvod suâ subductione gentilibus conversis ansam opinandi præbebat, qvasi adhuc immundi essent, nec verè justificati nisi juxta legem Mosaicam viverent, circumcisionem & discrimen ciborum admitterent, & hoc vocat *Paulus* Gentes cogere ad Judaizandum (3) Qvod alios implicabat simulatione suâ, ut vel in fide titubarent, vel in istam hypocrisin consentirent. (4) Qvod Pauli libertatem facto suo damnabat. Gravissimum igitur hoc fuit Petri peccatum, in qvo non recto pede ad veritatem Evangelij incessit.

316]

316] His præsuppositis, qværitur *an Paulus verè reprehenderit Petrum verè peccantem?* id verò nos qvoq; adfirmamus. Nam (1) restitit ipsi in faciem, seu κατὰ πρόσωπον, qvæ loqvendi formula non significat *simulationem*, ac si Paulus non seriò sed simulatè Petrum reprehendisset, verùm significat *publicè* seu *palam*; eodem modo Paulus usurpat hanc vocem 2. Cor. 10 v. 1. ubi ait, κατὰ πρόσωπον *humilis sum inter vos*; ubi Paulus non intelligit, ac si simulatè humilis esset, sed qvod coram omnibus publicè suam humilitatem testetur. (2) Objurgatio ista facta est ἔμπροσθεν πάντων *coram omnibus* v. 14. Paulus publicè docuit qvinam sit verus justificandi modus, scilicet per fidem in Christum, non per opera legis, ac in publico coram omnibus Petrum reprehendit, qvod suâ simulatione ansam dederit dubitandi de isto justificationis modo. (3) Totus contextus evincit seriam hanc fuisse objurgationem; si enim concesseris Paulum simulatè Petro restitisse, concedas qvoq; necesse est, Paulum simulatè & non verè de justificatione docuisse. Cohærent enim immediatè Petri objurgatio, & doctrinæ de Justificatione nostrâ declaratio v. 11. 12. 13. 14. 15. 16. (4) Petrus vocatur â Paulo κατεγνωσμένος, id est, ut habet versio vulgata, â qva Pontificijs non licet discedere, *reprehensibilis*, seu condemnatione dignus v. 11. si igitur fuit reprehensibilis, Paulus utiq; non potuit non verè ipsum reprehendere. (5) Seriò Paulum in omnibus egisse & scripsisse patet ex gravissimâ attestatione hujus Episto-

Epiſtolæ cap. 1. v. 20. dum ait: *Ecce coram Deo, qvæ ſcribo vobis, non mentior.* (6) *Auguſtinus Epiſt.* 8. 9. 10. ejusdem ſententiæ eſt, & graviter refutat opinionem Hieronymi, qvi hanc Pauli reprehenſionem ſimulatam fuiſſe docuit. Ex hiſce patet Petrum verè peccaſſe, & ipſum verè absq; ſimulatione â Paulo objurgatum fuiſſe. Videatur *Lutherus Tom. 1. Lat. Jenen.* p. 406. & *Tom. 4. Lat. Jenen.* p. 38. ſeq.

317] Objicit Janſſenius p. 194. *Petrum idem feciſſe qvod Paulus ſè feciſſe gloriatur* 1. Cor. 9. Act. 16. *qvi Timotheum circumcidit, atq; ita legem Moſis ſimulatè ſervavit, qvam tamen obſervatione neceſſariam non putabat.* Reſpondetur: diverſa eſt ratio in exemplo, nam (1) Paulus circumcidit Timotheum infirmitati Judæorum inſerviens, qvi circumciſionem adhuc magnifaciebant; ſed ſine opinione neceſſitatis; cum autem Judæi circumciſionem urgebant qvaſi neceſſariam ad ſalutem, Paulus illis reſtitit, ac propterea Titum non circumcidit. Petrus autem ſuâ ſimulatione docuit neceſſariam eſſe abſtinentiam â cibis, cogebat enim Gentes Judaizare: in qva voce *(cogebat)* tota ratio erroris ſita eſt, ut Lutherus rectè monet. (2) Paulus traducebatur â calumniatoribus, qvaſi totam legem abieciſſet, & gentes ad Epicureiſmum introduceret Act. 21. v. 21. has calumnias ut declinaret, neceſſariæ defenſionis causâ fecit ea, qvæ aliàs potuiſſet intermittere pro libertate Chriſtianâ, ne talis eſſe videretur, qvalis accuſabatur. Petrus autem id non fecit alicujus defenſionis causâ, nulla de ipſo ſpargebatur calumnia,

nulla

nulla talis de ipso erat suspicio, sed peccabat *ex metu* v. 12. ubi vox *metus* non notat sollicitudinem officij, ut Janssenius putat, sed meticulositatem vitiosam, qvæ erat vera causa, cur Petrus â gentilibus sese subducebat, & propter qvam â Paulo objurgabatur; officij enim sollicitudo potius fuisset laudanda, qvia verò iste metus â Paulo reprehenditur, patet fuisse meticulositatem, in qvá Petrus recto pede secundum veritatem Evangelij non incessit, aliosq; in simulationem adduxit, ac gentes Judaizare coegit.

318] Erravit igitur Petrus verè, *non eqvidem in capite doctrinæ sed in conversatione vitæ, non in ipso dogmate, sed in praxi & dogmatis applicatione*; qvem errorem Janssenius tandem p. 195. confitetur, dum aït: *Petrum incautè simulasse Judaismum, & postulante necessitate à Paulo rectè fuisse reprehensum*, qvod sufficit. Exceptio illa, qvod *superiores ut Petrus, ab inferioribus rectè possint reprehendi, adeoq; Petrus nihilominus manserit caput Ecclesiæ*, hùc non pertinet, non enim qværitur, *an Petrus fuerit caput Ecclesiæ, ideo, qvia Paulus illum reprehendit? Sed qvod erroribus varijs obnoxius fuit*, qvæ infallibilitas dum de Petro negatur, dignitas supremi Capitis & Præsidis simul tollitur. Imò (qvi scopus est disputationis) si Petrus Apostolus vir aliàs Sanctissimus, tot infirmitatibus fuit obnoxius, sequitur modernos Pontifices, qvi immediatam Spiritus Sancti adsistentiam non habent, erroribus longè pluribus & majoribus obnoxios esse.

319] Qvintò objeceram in Admonitione, multos

multos Pontifices fuiſſe ſeductores, necromanticos, hæreticos, alijsq́; flagitijs contaminatos; regerit Janſſenius p. 196. *eſſe convitia & calumnias, ne unum qvidem ex tot Pontificibus Romanis, notâ hæreſeos infamem aut vixiſſe aut obijſſe.* Reſpondetur: Imò hiſtoriæ id ſatis teſtantur. Marcellinus Pontifex metu mortis idolis ſacrificavit, teſte jure Canonico Diſtinct: 21. cap. 7. & licet coactus hoc fecerit, erravit tamen, qvi enim coactus errat, is qvoq; errat, imò erravit in eo, qvod Idololatriam commiſit, ut mortis periculum effugeret, cum tamen mors ipſi vel decies obeunda fuiſſet, anteqvam ad cultum Idolorum ſe cogi paſſus fuiſſet. Anaſtaſius ſecũdus communionem habuit cum Photino & hæreticis Arrianis, qvod in ipſo taxat jus Canonicum, *diſtinct. 19. cap. 9 Hieronymus in Thren. & in Catal. Script. Eccleſiaſt:* teſtatur, qvod Liberius & Felix II. fuerint Arriani. Baronius qvoq; An. 351. §. 21. teſtatur, Liberium fuiſſe hæreticum. Honorium fuiſſe hæreticum Canus liberè fatetur *lib. 6. Loc. Com. cap. ult: p 345.* Wilhelmus Occam peculiarem ſcripſit tractatum de erroribus & hæreſibus Johannis XXII. in qvo 71. errores & 7. hæreſes iſtius Pontificis recenſet. Acta Concilij *Conſtantienſis Seſſ. II.* teſtantur Johannem XXII. (alij numerant XXIII.) accuſatum fuiſſe, qvod animæ immortalitatem & corporum noſtrorum reſurrectionem negaverit. Eugenius Qvartus in Concilio *Baſilienſi ſeſſ. 41.* proclamatus eſt hæreticus & Schiſmaticus, qvod ſcripta hæretica in publicum ſparſerit. Bellarm. *lib 4. de Rom. Pont. cap. 8.* ait, credibile eſt, Zepherynum Pontificem

ficem à Montanistis persvasum esse. Platina in Benedicto IV. inqvit p. 118. 149. *qvosdam Pontifices fuisse Necromanticos, qvosdam Simoniacos, imò Portenta & mõstra* Idem Platina testatur, qvod Stephanus VI. acta Formosi condemnaverit; acta Stephani VI. Johannes IX. rejecerit, acta Johannis VI. verò Sergius III. iterum condemnaverit, in istorum Pontificum decretis est manifesta contrarietas, id eò isti omnes ab errore non potuerunt esse immunes. Sylvester II. celebris fuit Necromanticus, ut Platina, Martinus Polonus & alij testãtur Qvis verò credat Spiritum Sanctum ejusmodi impuris & sceleratis hominibus assistere, qvi solis pijs & credentibus promissus est, *Joh: 14. v, 16 animam verò malignam non intrabit, nec habitabit in corpore peccatis subdito Sap.* 1. v. 4. 5.

320] Sextò objeceram Pontificem controversias in Papatu non posse decidere, qvod tamen ad caput Ecclesiæ necessariò pertinet. Controversiam illam Monachorum, *an Virgo Deipara in peccatis sit concepta & nata* in hunc usq; diem non potuit decidere. Leo X. Græcum Testamentum Erasmi commendavit, Paulus IV. verò damnavit. In Concilio Tridentino qvæstionem de dubitatione circa gratiam Dei & salutem æternam decidere non potuerunt. Respondet Janssenius seqventia.

321] *(1) Controversiam Monachorum*, ait *non esse eam, an Deipara in peccato Originali sit nata, sed an in instanti conceptionis peccatum Originale contraxerit, an verò ante primum instans conceptionis à peccato sit præservata? Hanc qvæstionem*, ait, *non eqvidem*

dem decisam esse, cum ad fidem non usq; adeo pertineat, interim Pontificem posse eam decidere p 197. Respond: de ista controversia peculiarem tractatum scripsit *Lucas Waddingus in libro cui titulus, Legatio Philippi III. & IV. Regum Hispaniorum de finiendâ controversiâ immaculatæ conceptionis B. Virginis, Lovan.* 1624. In hoc libro controversiæ status ita proponitur, *an Virgo Deipara sicut alij homines, sit in peccato Originali concepta?* Franciscani hoc negant, & immaculatam conceptionem defendunt; Dominicani autem affirmant. Hæc Controversia non est levis momenti, ut eam Ianssenius extenuat. Orator enim Regis Hispaniæ contendit hanc controversiam ad fidem pertinere, cum principijs fidei eam habere maximam connexionem. Recensentur ibidem argumenta utriusq; partis: Dominicani contendunt, dogma de maculatâ conceptione Mariæ esse in sacris fundatum, communi Patrum consensu confirmatum, contrarium dogma esse hæreticum & blasphemum eoq; Scripturas depravari. Imò dogma de maculatâ conceptione esse per sedem Apostolicam & Generalia Concilia determinatum. Franciscani contra defendentes immaculatam conceptionem beatæ Virginis, dicunt Dogma hoc esse in sacris fundatum, ab ipsis Apostolis profectum â Patribus approbatum, â Romanis Pontificijs confirmatum, Concilijs stabilitum, Miraculis & revelationibus confirmatum contrarium dogma esse hæreticum, diuq; damnatum &c. Misit ergò Rex Hispaniæ Romam Oratorem, qvi præter literas Regis Hispaniæ etiam alias attulit li-

teras omnium Academiarum, Ecclesiarum, Prælatorum, Regnorum & civitatum Hispaniæ, in qvibus à Pontifice petunt, ut hoc mysterium velit aperire. Moriente Philippo III. Filius Philippus IV. succedit, cui legationem confirmavit. Distinctæ orationes coram Pontifice hac de re habitæ fuerunt. Accesserunt literæ intercessoriæ Isabellæ, Ferdinandi Cardinalis, Margaretæ Austriacæ & aliorum Principum, Pontifex autem istam Controversiam decidere non potuit, verum in literis ad Philippum IV. Regem Hispaniæ se excusavit scribens: *Ne qvid novi tantâ in re decernatur, monet tum negotij magnitudo, tum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplum. Spiritus Sancti enim voci auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qvi in divinæ sapientiæ Cathedrâ Christiano orbi à Deo præfecti sumus. Qvare cum nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecerit, in Dei Romanorumq; Pontificum authoritate debent fideles populi conqviescere.* Apparet ex hisce omnibus, Pontificem Romanum non potuisse hanc controversiam decidere, Spiritum Sanctum (cujus adsistentiam Papa aliàs jactitat) ipsi mysterium hoc non revelasse. ita Spiritus Sanctus cogitur ferre culpam ignorantiæ & malitiæ istius Pontificis, & cœci Monachi interea coguntur ambulare in tenebris dubitationum de conceptione Mariæ Virginis, donec Pontifex certi qvid eâ de re statuerit. O miserum Ecclesiæ Caput, qvod hanc controversiam, decidere neqvit! Noterur autem ridiculus controversiæ status, qvem Janssenius for-

mat, *an scil. Maria ante primum instans conceptionis à peccato originali sit præservata ?* Maria ante primum instans conceptionis suæ nondum fuit in rerum naturâ, ergo peccato Originali nec inqvinari, nec ab eo præservari potuit, non entis enim non dantur affectiones.

322](2) Qvod Leo X. Testamentum Græcum Erasmi approbarit & commendaverit, *negat* Janssenius prætendens *esse fabulam*: Os impudens, evolve *Novum Testamentum Erasmi Basileæ impressum Anno 1527.* videbis in facie secundâ folij primi Epistolam Leonis X. ad Erasmum scriptam his verbis: *Dilecte Fili Salutem & Apostolicam ben. Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in Testamentum novum jam pridem editæ, non tam qvia nostro nomini dicatæ fuerant, qvam qvod non vulgari, sed nova & insigni qvadam eruditione præstabant, omniumq́; Doctorum calculo plurimum laudabantur. Qvas nuper à te recognitas, & pluribus additis annotationibus locupletatas, illustratasq́; fuisse certiores facti, non mediocriter gavisi fuimus, ex primâ illâ editione, qvæ absolutissima videbatur, conjecturam facientes, qvalis hæc futura, qvantumve boni sacræ Theologiæ Studiosis ac orthodoxæ fidei nostræ sit allatura. Macte igitur istius animi tui esto, ac publicæ utilitati studens, operi tam Sancto, ut in lucem exeat, sedulò invigila, dignam qvidem tot laborum mercedem ab ipso Deo relaturus: à nobis verò meritam commendationem, & cunctis Christi fidelibus perpetuam laudem consecuturus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris Die X. Septem. 1518. Pontificatus nostri Anno sexto.* Eat nunc Janssenius & dicat Leonem

nem X Eraſmi labores in Novo Teſtamento enucleando, non commendaſſe.

323] (3) Num de gratia Dei & æternâ ſalute dubitandum ſit, dixi, Concilium Tridentinum nihil definijſſe; reſpondet Janſſenius hoc factum eſſe *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 9.* Reſpond. Ego in hac Objectione digitum intendi in ſummam Pontificis poteſtatem, qvod non poſſit omnes Controverſias definire, prout caput Eccleſiæ decet, adeoq; nec illam qvæſtionem decidit, an aliqvis (etiam Pontificius) poſſit eſſe certus de gratia Dei & juſtificatione ſuâ (ſcilicet qvam per infuſum juſtitiæ habitum adipiſcitur ſecundum Pontificiorum ſententiam) hoc dubium Pontifex in Concilio Tridentino non potuit decidere. In loco citato eqvidem Concilium Tridentinum reijcit *inanem hæreticorum fiduciam*, (ita ſe habent verba) & docet, *neminem* (ſcilicet hæreticorum ut habet Titulus) *de ſuâ juſtificatione poſſe certum eſſe*; verùm an ipſi Pontificij de ſua juſtificatione, qvam fingunt ſe adipiſci per infuſum juſtitiæ habitum, certi eſſe poſſint, de hoc qværitur Qvæſtionem verò hanc in Concilio non fuiſſe deciſam teſtatur *Catharinus Archiepiſcopus Minorienſis in libro contra Dominicum Sotum, Monachum Hiſpanum* qui Catharinus ipſi Concilio interfuit, verba ipſius ſunt: *Secundò ſuppono, imò ex eo qvod jam præſuppoſitum eſt, deduco: contra hanc noſtram ſententiam, qvæ non noſtra eſt, ſed ſanctorum Patrum, nihil pronunciaſſe Synodum Tridentinam, qvod ego in primo meo detexi libello, qvem ad Præſidentes ipſi Concilio (qvorum alter, Deo*

gratia, summus est Pontifex Julius tertius) *& ad ipsam Sacrosanctam Synodum destinavi, eos alloqvens his planè verbis; addo, qvod sæpius hoc protestati sint ambo præsidentes, & specialiter in hac controversia, tum in conventu Patrum, tum verò in congregatione Theologorum, & ambos audimus contestantes, non videri sibi qvæstionem hanc discussam satis ad decisionem. Imò ipsam & sacrosancta Synodus bis declaravit hujus rei definitionem tunc omittendam esse, & in aliud tempus servandam, sicut in Actis possit apparere. Deniq; ipse titulus novi capitis hoc manifestat abundè, qvi sic habet: Contra inanem hæreticorum fiduciam. Hæc ego ibi.* Videatur hac de re *Flacius de Dissension. Pontif. p. 85.* Manet itaq; Pontificem neq; hanc qvæstionem dubiam decidere potuisse.

324] Sed longè plures restant dubiæ qvæstiones, qvarum decisionem solidam Pontifex nondum in lucem edidit, Gravissima qvæstio est, *an Electio hominum ad vitam æternam facta sit ex prævisis meritis operum? Negat* hoc Bellarminus *lib. 2. de grat. & lib. arbit: cap. 9.* affirmat hoc Becanus *parte 1. Theol. Scholast. Tract. 1. cap. 14. p. 129.* seq. cur dubiam hanc qvæstionem Papa non decidit? De latinâ Bibliorum versione gravis est Paparum contradictio. Nam Sixtus V. vulgatam illam versionem publico decreto approbavit, & pro emendatissimâ haberi voluit, post mortem ipsius Clemens VIII. judicavit eam scatere difficilimis & gravissimis erroribus, ut testatur *Thomas Jammes Anglo Londinus in libro, qvem inscripsit Bellum Papale, sive Concordia Discors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem.* Uter ex his Pontifici-

tificibus verum dixit, propter contrarietatem sententiarum necesse est alterutrum errasse. Uterq; sedit in Cathedrâ Petri, uterq; Spiritus Sancti adsistentiam jactavit, impossibile autem est Spiritum Sanctum sibi ipsi contradicere & improbare per Clementem illud, qvod per Sixtum approbaverat. Gravissima est Disputatio inter Jesuitas & Dominicanos de *viribus liberi arbitrij & concursu gratiæ divinæ in conversione hominis*. Sententiam Jesuitarum defendit Bellarminus *lib. 6. de gratiâ & lib. arbitr. cap. 15. p. 806.* & docet hominem excitatum & adjutum liberè moveri in Deum, qvoniam vocationem Dei recipere & reijcere potest, ex Concilio Tridentino; cur itaq; Pontifex hanc controversiam non decidit? Ita Janssenius disputat contra Franciscanos; *Legenda Francisci esse Apocrypha*, qvod Franciscani negant, & strenuè pro suo Francisco pugnant, expectabimus hic qvid Pontifex de hac controversiâ sit judicaturus. Si Legenda Francisci Apocrypha esse dixerit, apocryphum qvoq; dogma erit de vulneribus, sanctitate & merito Francisci; sin verò minus, Janssenius causâ suâ cecidit, & dogmata Franciscanorum amplius reijcere non poterit. Qvot altercationes sunt *de potestate Pontificis in temporalibus, de Papæ depositione in Concilio.* ut recenset Bellarm. *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30.* alijs qve plurimis capitibus, qvas tamen Papa nõ audet componere, aut enim non vult, aut non debet, aut non potest; si *non vult*, est homo invidus, infidelis & negligens; si *non debet*, ergo nõ est Judex universalis, si *non potest*, malè ad ejus judicium provocatur.

325] Septimò objeceram, notas Antichristi inveniri in Pontifice Romano, dum (1) Deum Deorum blasphemat (2) alium Deum adorat (3) facit qvod lubet (4) Extollit se supra omne id qvod Deus est. (5) Prohibet matrimonium & cibos (6) Sangvinem Christianorum effundit. (7) Signa mendacia facit (8) habitat super septem montes. (9) est institor animarum ex Daniele & Apocalypsi. Ad hæc Janssenius excipit (1) *ista esse inepta, absurda & blasphema.* (2) *Historiam recenset de qvodam nobili Holsato, qvi dixerat sese Pontificem pro Antichristo nõ habere propter opera pietatis, qvæ exerceat, dum ad pauperum pedes sese prosternat, eosq; abluat, cibum & potum pauperibus offerat, dum per gradus sanctos adscendat, qvos Christus in ædibus Pilati ascendit, qvæ omnia sint humilitatis signa Antichristo non communia.* Resp. (1) Inepta, absurda & blasphema me scripsisse dicit, sed nõ probat, si hoc est refutare, tribus verbis refutabo omnia adversariorum scripta dicendo, esse inepta, absurda & blasphema: turpissima principij est petitio & ineptissimus disputandi modus. (2) Historia illa de Nobili Holsato non evincit, Papam cum Antichristo nihil commune habere, nam (1) dubitatur de historiæ veritate (2) Etiamsi esset verissima, iste tamen Holsatus non esset regula decidendarum controversiarum, cujus judicio nobis standum sit. (3) Qvid si nobilis iste Janssenium irrisionibus & sarcasmis excepisset, joco ista dixisset, aut studio veritatem dissimulasset? (4) Qvid si alij proferrent duos vel decem alios nobiles Holsatos, qvi contrarium adfirmarent, & Papam pro Antichristo agno-

agnoscerent ? (5) Si discursus iste redigeretur in Syllogismum, tale prodiret argumentum; qvicunq; pauperibus abluit pedes, & gradus ascendit, qvos ipse Christus ascendit in prætorio Pilati, is non potest esse Antichristus; atqvi Pontifex hoc facit, ergò non est Antichristus. Major est incertissima, pedes enim abluere & gradus Pilati ascendere possunt etiam scelestissimi homines & hypocritæ, si pedum ablutio & scalarum ascensio faciunt Sanctum, seqveretur omnes, qvi aliorum pedes lavant, esse Sanctos, imo ipsum Pilatum fuisse Sanctum, qui istas scalas procul dubio ascendit. Lotionem pedum esse actionem hypocriticam supra *n. 297.* fusius demonstravi. Scalas verò Pilati vel canes interdum possunt ascendere. *Sed*, inqvit, *Pontifex flexis genibus adrepit per scalas in memoriam passionis Christi*; atqvi hoc etiam possunt Empectæ & hypocritæ; fiunt ista præterea sub opinione cultus Divini & alicujus meriti, imò fiunt sine mandato: in Christi & passionis ipsius recordationem cœnam Dominicam celebrare jubemur *Matth. 26. v. 26. 27.* sed scalas Pilati in memoriam passionis Christi ascendere nullibi mandatur; memoriam passionis Christi is benè recolit, qvi sese peccatorem agnoscit, & illam passionem pro peccatis nostris â Christo exantlatam verâ fide apprehendit, sibiq; applicat: ascensus mentis verâ fide in Deum, non ascensio corporis in gradus Pilati ad memoriam passionis recolendam reqviritur.

326] Ad rationes autem, qvibus Pontificem Antichristum esse demonstravi, respondet

Janſſenius extra ordinem p. 391. *qvod iſta omnia, Deũ blaſphemare, Deum novũ adorare, facere qvod lubet, extollere ſe ſupra omne qvod Deus eſt, prohibere cibos, matrimonium &c. etiã alijs hæreticis competant, AntiTrinitarijs, Manichæis, Encratitis &c.* Reſpond. (1) In Pontifice iſta omnia inveniri non negat, dũ ergò nõ negat tacitè concedit, ſi non concederet, utiq; negaſſet, qvod probè notandum eſt. (2) Licet in alijs hæreticis iſta inveniantur, non tamen ſeqvitur, Papam non eſſe Antichriſtum, qvalis enim eſt conſeqventia, qvædam notæ Antichriſti in hæreticis inveniuntur, ergò Papa non eſt Antichriſtus, hæreticorum incluſio non eſt Papæ excluſio, præſertim cum Papatus nihil aliud ſit qvã congeries & cloaca omnium hæreſium. (3) Argumentum noſtrum ex eo procedit, qvod in Pontifice Romano notæ iſtæ *omnes & ſingulæ* inveniantur; in nullo hæreticorum niſi in ſolo Pontifice, iſtæ notæ Antichriſti omnes concurrunt, rectè ergò concludimus, Pontificem Romanum eſſe magnum illum Antichriſtum. *Sedet is utiq; in Babylone Apoc. 17. v. 5.* in magna illa civitate qvæ imperium habuit in Reges terræ *v. 18.* in qva ſeptem montes inveniuntur v. 19 qvam Romam eſſe fatentur *Ribera in Apoc. cap. 14. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 2.* & alij plures. *Extollit is ſeſe ſupra omne id, qvod Deus eſt 2 Theſſ. 2. v 4.* non obſtante Chriſti inſtitutione calicem Laicis eripit. Poteſt diſpenſare contra Apoſtolum, *Gloſſa diſtinct. 34. cap. Lector* in verbo, *fiat.* Angelis etiam poteſt imperare, ut patet *ex Bulla indulgent. Clem. VI.* non eſt purus homo, *Gloſſa in proœmio Clement.* in verbo

Papa,

Papa, ideo poteſt recipere adorationes, licet ſoli Deo conveniant. Si totus mundus ſentiret contra Papam in aliqvo negotio, videtur qvod ſententiæ Papæ ſtandum eſſet, *Gloſſa*, *cauſ. 9. qv. 3.* cap. *nemo*, in verbo *neq; ab omni Clero*. Papa poteſt aliqvid ex nihilo facere, *gloſſa, in decret. Gregorij lib. 1.* tit. 7. Imperator Romanus ſtratoris officium ipſi debet exhibere tenens frænum eqvi ipſius, *Decret. part. 1. diſtinct. 96. cap. 14.* Sic Pontifex *amores fœminarum* ſcil. conjugales non curat. *Dan. 11. v. 37.* prohibet potius Matrimonium, *1 Tim. 4. v 3.* & qvidem Clericis, tanqvam impurum qvid *cauſ. 32. qv. 1. cap. 12. nuptiæ terram*; imò qvod expellat Spiritum Sanctum *cauſa 33. qv. 2. cap. 4. Connubia*; impediens preces & uſum ſacræ cœnæ, *cauſa. 33. qv. 4. cap. 1. ſciatis*; qvæ omnia non poſſunt ſtare cum eo, qvod Papa conjugium pro Sacramento habet. *Cibos â Deo creatos Pontifex prohibet*, jubet enim certo tempore abſtinere ab eſu carnis, lactis, caſei, butyri, ovorum, ſub opinione cultus, meriti & ſatisfactionis, imo qvidam Monachi per omnem vitam ab eſu carnium abſtinent, ſolis herbis & radicibus veſcentes, idq; ex opinione ſingularis ſanctitatis, etiam ſpe meriti & ſatisfactionis. Pontifex etiam *novum Deum* (Mauſim ſeu Miſſam) *adorat*, qvem Deum Patres, Prophetæ & Apoſtoli imò Chriſtus ipſe ignorarunt, & qvicunq; hunc Deum venerantur illos conſtituit dominos terræ Dan. 12. v. 58. 39. hoc eſt, Cardinales extollit ſupra Reges, Epiſcopos ſupra Principes. *Fidē & doctrinā ſuam ſangvine propagat* & cruentis perſecutionibus, ut Hiſpanica inqviſitio, & truculenta bella

passim testantur, ita ut ebrius sit sangvine Sanctorum & Martyrum Jesu *Apoc.17. v. 6.* Negotiationes exercet animabus hominum *Apoc. 18. v. 13.* dum indulgentias vendit pro peccatis, in qvibus etiam futura peccata remittit; dum remissionem peccatorum, homicidij, parricidij adulterij, incæstus, Sodomiæ, pecunijs vendit, ut testatur *Taxa pœnitentiæ.* Ita institor ille negotiatur per avaritiam verbis fictis, *2 Pet. 2. v. 1.* putans pietatem esse negotiationem, *1 Tim. 6. v. 5.* *Sedet qvoq; in templo Dei* in Ecclesiâ Christianâ, ac de miraculis suis fictis multa gloriatur *2 Thess. 2. v 9.* *Numerus bestiæ Apoc. 13. v. 18.* ipsi competit, qvem *Irenæus lib. 5. Cap. 30.* in nomine λατεινος inveniri scribit. In Latio enim Papa fixit sedem suam. *Revelatus* qvoq; est extremis hisce temporibus, prout Paulus de eo vaticinatur *2 Thess. 2. v. 3.* Qvæ omnia uti & alia plura in Papa Romano conjunctim inveniri prolixè & solidè jam diu probavit *Heilbrunnerus in Papatu Acatholico Art 14. Cap. 3. de Antichristo,* qvæ omnia hic repetere libri hujus angustia non admittit: si placet Janssenio disputationem de Antichristo seorsim instituere, nos nostro loco & officio non deerimus.

327] Octavò objeceram, Christum solum vocari *Caput Ecclesiæ Eph. 1. v. 20. 21. Coloss. 1. v. 18* *sponsum Ecclesiæ Joh. 3. v. 29. 2 Cor. 11. v. 2.* *Sacerdotem summum Novi Testamenti Hebr. 7. v. 21.* *Archiepiscopum, 1 Pet. 5. v. 4.* De nullo hominum hæc leguntur aut dicuntur præter Christum, dicere autem Pontificem esse Caput, Sacerdotem & Sponsum Ecclesiæ, hoc esset Christo honorem eripere, & homi-

hominibus eundem appropriare. Respondet Janssenius: *Papam esse Caput sed Ministeriale, eo autem ipso non eripi Christo suum honorem, sicut enim Rex Hispaniorum constituit Proregem Neapolis, nec tamen desinit esse Rex, ita & Christus Vicarium in terra creavit, nec tamen Caput Ecclesiæ esse desijt, sed gratiæ influxu Ecclesiam velut Caput Membra rigat.* Respondetur; simile hoc valdè esse dissimile, Rex enim Hispaniorum, qvia non potest præsens esse Neapoli & alijs regnis suis, ideo constituit Vicarium seu Proregem, Christus autem Ecclesiæ suæ semper est præsens *Matth.18. v.20. Matth.28. v. 20.* Incrementum & instaurationem dat corpori suo non per Vicarium, sed per Ministerium Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum, Pastorum, qvos ipse post suum in cœlos ascensum Ecclesiæ dedit, qvibus in terrâ prædicantibus ipse præsens cooperabatur *Mar.16. v. 20.* unde nemo illorum Christi Vicarius, sed omnes Συνεργοὶ Θεοῦ, *Dei cooperarij* vocantur, *1Cor.3. v.9.* Hinc Christus in cœlum ascensurus nullum hominem legitur substituisse qvasi Vicarium, cui primatum in Ecclesiâ commendasset, sed Spiritū Sanctum promisit Apostolis, *spiritum veritatis, qvi eos in omnem veritatem sit ducturus Joh.14. v.26. cap. 16. v.13.* hujus influxu & directione Christus regit Ecclesiam suam, ita ut Prorege Romano, hoc est, Pontifice, non opus habeat.

328] Tandem Objeci diversis temporibus fuisse duos vel tres Pontifices, qvod si Pontifex sit caput Ecclesiæ, seqvi, Ecclesiam esse monstro bicipiti aut tricipiti similem, imò interdum sede

Ponti-

Pontificis vacante Ecclesiam esse ἀκαίφαλον & monstrum sine capite. Respondet Janssenius, *si multi sint Papæ simul, idem esse ac nullum esse Papã, & sedem vacare: qvando autem sedes vacat, Christum suo afflatu divino Ecclesiam regere & defendere p. 202.* Respondetur: *Stapletonus in Relect. Princip. Fidei contr. 1. qvæst. 5. art. 3* numerat viginti qvinq; schismata Paparum. *Onuphrius* ista omnia enarrat qvam acriter inter se de dignitate Pontificiali digladiati fuerint Novatus & Cornelius, Liberius & Felix, Damasus & Ursicinus, Bonifacius & Eulalius, Symmachus & Laurentius, Bonifacius & Dioscorus, Sylvester & Vigilinus, Petrus & Theodorus, Theodorus & Paschalis, Theophilactus & Paulus secundus, Constantinus & Philippus, Zinzinus & Eugenius, Anastasius & Benedictus Tertius, Formosus & Sergius, Leo qvintus & Christophorus, Johannes XII. & benedictus V. Bonifacius VII. & Benedictus VI. Johann. XVII. Gregorius V. Sylvester III. & Benedictus IX. Clemens III. & Gregorius VII. & alij plurimi, qvi recensentur ab *Onuphrio in Appendice Platinæ.* Tempore Imperatoris Wenceslai schisma fuit memorabile qvod duravit per annos 50. referente Onuphrio, tempore Concilij Constantiensis acriter digladiabantur de Pontificatu Gregorius XII. Benedictus XIII. Johannes XXIII. Qværitur an non Ecclesia Romana monstro tricipiti aut bicipiti fuerit simillima tempore istorum Schismatum?

329] Janssenius ait ex Bellarmino, *Dubius Papa est non Papa*; atqvi hoc negarunt isti Papæ dum

qvi-

qvivis ſeſe verũ Papãeſſe propugnavit, nullus iſtorum conceſſit ſeſe dubiũ eſſe Papam. Tres Pontifices tempore Cõcilij Conſtantienſis mutuò ſeſe lacerabant, alter alterũ fulmine Anathematis percutiebat, alter alteri Epiſcopatus & beneficia eripiebat, qvilibet ſeſe verum Pontificem eſſe acriter defendebat. Gregorius XII. eqvidem ſponte â Pontificatu ſe abdicabat, eâ tamen ſpe, ſe propter iſtam humilitatem â Concilio iterum ad Pontificatum evectum iri, qvod cum non fiebat, præ mœrore moriebatur. Benedictus XIII. ſimpliciter nolebat cedere, donec â Concilio violenter deponebatur. Johannes autem XXIII. accuſatus & convictus multorum ſcelerum tandem qvoq; depoſitus fuit. Ubi tum temporis fuit ſucceſſio? ubi ſedes Petri? ubi Spiritus Sanctus? ubi Papæ authoritas? qvi nemini ſubjectus eſt, ubi electio Pontificis? ubi fulmen anathematis? ubi ſanctitas Pontificis? qvi errare non poteſt; hiſce omnibus neglectis Papæ iſti litigantes ſunt depoſiti, qvo ipſo univerſo innotuit mundo, authoritatem Papæ tantam non eſſe, qvantam Pontificij jactitant.

330] *Sede vacante autem*, inqvit Janſſenius, *Chriſtus ſuo afflatu regit Eccleſiam*. Reſpond: (1) monſtretur textus ex ſacris, ubi Chriſtus promiſit mediatum per Pontificem, vacante autem ſede pontificali, immediatum præſidium & afflatum Eccleſiæ ſuæ? (2) Si Chriſtus ſine Vicario regere poteſt Eccleſiam ſuam ſede Pontificis vacante, cur non idem poſſet omni tempore? eandem utiq; retinet omnipotentiam, eandem ſapientiam (3) Hoc modo exſpirant omnia argumenta, qvæ Pontificij

tificij afferunt pro Monarchiâ Papali de Vicariatu & Capite visibili, semper enim urgebo afflatum Christi divinum qvo suam Ecclesiam regit sede Pontificis vacante, adeoq; Capite visibili & Vicario opus non esse. Nisi ergò Pontificij expressum textum dederint de duplici regimine Ecclesiæ, qvorum alterum est mediatum per Pontificem, alterum immediatum sine Pontifice, nunqvam credent Lutherani Monarchâ visibili in Ecclesiâ opus esse.

321] Firma igitur & inconcussa stant argumenta omnia & singula, qvæ contra Papatum in meâ Admonitione producta fuêre, de qvibus omnibus judicium Christianæ Ecclesiæ committo.

Caput Duodecimum.

De Augustanâ Confeßione ejusdemq; fundamento.

332] FUerunt hactenus *Novem argumenta* pro Religione Pontificiâ reijciendâ, seqvuntur nunc duo fundamenta *pro Lutherana religione amplectenda & retinenda, Norma scilicet Scripturæ*, & *Modus propagandi divinus*; ita enim argumentamur: Qvæcunq; Religio (1) per omnes articulos fidei consentit cum Verbo Dei (2) Non per humana sed divina media est propagata & conservata, illam sanctam & divinam esse oportet: talis autem est Religio Lutherana, Ergo est sancta & divina. Minor sufficienter probata est in mea Admonitione per singula membra.

333] Prius membrum fuit fundamentum

Scriptu-

Scripturarum, cum qvibus Religio noſtra per omnes fidei Articulos conſentit. Auguſtana Confeſſio eſt Compendium illorum, qvæ in noſtris Eccleſijs docentur & creduntur, cujus ſinguli articuli cum Verbo Dei conveniunt, prout in Admonitione meâ per omnes Articulos demonſtravi. Notetur autem hic inſignis malitia Janſſenij, qvi prolixe recitat Articulos Auguſtanæ Confeſſionis p. 203. 206. meam verò collationem Articulorum cum ſacrâ Scripturâ in libello ſuo ſtudiosè ſupprimit. Articulus primus de Deo fundatur *Deut.* 6. v. 4. 1. *Joh.* 5. v. 7. Articulus ſecundus *de peccato Originali* fundatur *Job.* 14. v. 4. *Pſal.* 51. v. 7. *Joh.* 3. v. 6. *Rom.* 5. v. 12. Tertius Articulus *de Perſonâ & officio Chriſti* fundatur *Joh.* 1. v. 1. 2. *Rom.* 9. v. 5. 1. *Joh.* 5. v. 20. *Luc.* 1. v. 32. *Joh.* 1. v. 14. 1. *Tim.* 2 v. 5. *Eſa.* 53. v. 6. *Actor.* 20. v. 28. 1. *Johan.* 2. v. 1. 2. Qvartus articulus *de Juſtificatione* fundatur, *Rom.* 3. v. 24. 25. *Rom.* 4. v. 4. 5. *Cap.* 11. v. 6. *Gal.* 2. v. 16. *Epheſ.* 2. v. 8. Articulus qvintus *de Miniſterio Eccleſiæ* fundatur *Matth.* 28. v. 19. *Epheſ.* 4. v. 11. 12. *Rom.* 10. v. 14. 2. *Cor.* 5. v. 20. Articulus ſextus *de bonis operibus* fundatur *Gal* 5. v. 6. 22. *Jacob.* 2. v. 17. 1. *Johan.* 3. v. 6. 9. *Jacob* 2. v. 26. Articulus ſeptimus *de Eccleſiâ* fundatur *Matth.* 28. v. 20. 1. *Corinth.* 11. v. 26. *Matth.* 16. v. 18. 1. *Pet.* 2. v. 5. 1. *Corinth.* 14. v. 33. Articulus octavus *de mixtura bonorum & malorum in Eccleſia:* 2. *Timoth.* 2. verſu. 20. *Matth.* 13. verſu. 47. *Matth.* 3. verſu. 12. *Phil.* 1. verſu. 28. Articulus nonus *de baptiſmo:* *Johan.* 3. verſu. 6. *Act.* 2. verſu. 38. 1. *Pet.* 3. verſu. 21. *Matth.* 28. v. 19.

Matth. 19. v. 13. Articulus decimus *de Cœnâ Dominicâ: Matth.* 26. v. 26. 27. 1 *Cor.* 10. v. 16. 1 *Cor.* 11. v. 27. Articulus undecimus *de Confessione: Psal.* 19. v. 13. Articulus duodecimus *de pœnitentia: Ezech.* 33. v. 11. *Rom.* 5. v. 20. *Luc.* 7. v 44. 50. *Ez.* 18. v. 24. 25. *Eph* 2. v. 8. *Tit.* 3. v. 5. Articulus decimustertius *de usu Sacramentorum* 1. *Joh.* 5. v. 8. *Rom.* 4. v. 11. *Matth.* 16. v. 16. *Matth.* 26. v 27. Articulus dicimusqvartus *de Ordine Ecclesiastico: Jer.* 23 v. 21. *Rom.* 10. v. 15. *Hebr.* 5. v. 4. Articulus decimus qvintus *de Ritibus sive Ceremonijs Ecclesiasticis:* 1 *Cor.* 14. v. 26. 40. *Matth.* 15. v. 9. *Colos.* 2. v. 16. 18. *Esa.* 1. v. 12. Articulus decimus sextus *de Ordine Politico: Prov.* 8. v. 15. *Rom.* 13. v. 1. 2 3. 1. *Pet.* 2. v. 13. 14. Articulus decimus septimus *de extremo judicio:* 2 *Cor.* 5. v. 10. *Matth.* 25. v. 31. *Dan.* 12. v. 2. Articulus decimus octavus *de libero hominis arbitrio: Rom.* 2. v. 14. 15. 1 *Cor* 2. v 14. 2 *Cor.* 3. v. 5. *Colos.* 2. v. 13. Articulus decimus nonus *de causa peccati: Psal.* 11. v. 7. *Psal.* 5. v. 5. *Jacob.* 1. v. 13 14. 1 *Joh.* 3. v. 8. Articulus vigesimus *de Fide & bonis operibus, convenientiam habet cum articulo sexto.* Articulus vigesimus primus *de cultu Sanctorum: Matth.* 4. v. 10. 1 *Joh.* 2. v. 1. *Hebr.* 6. v. 12. *Apoc.* 19. v. 10. Hæc omnia debuisset Janssenius bonâ fide adscribere, aut si noluisset adscribere, saltem debuisset refutare, sed neutrum istorum fecit, nec adscripsit, nec refutavit Ne autem prorsus tacuisse videatur, objicit (1) *Mutationem istius Confessionis* (2) *Imperfectionem* (3) *Dissonantiam qvorundam articulorum à Scripturis.* (4) *Fraudulentiam.* Singula ordine videbimus.

334] Primò *Mutationem objicit à Melanchtone factam,*

factam, de qvâ ex colloqvio Altenburgensi & Reginaldo prolixam citat qverelam, à p. 207. ad p. 210. Lutheranosq; nescire ait, qvodnam verum sit illius Confessionis exemplar. Respondemus (1) Si nostra Confessio reijcienda esset propter mutationem, seqveretur ipsum Codicem Biblicum qvoq; reijciendum esse, qvi interdum mutationibus & variationibus partim hæreticorum, partim Typographorum miserè torqvetur. Satan Matth. 4. v. 6. mutilatè citavit verba Psalmi 91. Pontificij corrumpunt dictum Gen. 3. v. 15. qvod de semine mulieris, non de ipsa muliere loqvitur. Judæi corruptionem verbi divini sæpius tentarunt. Qvis nescit malitiam Arrianorum qvædam dicta de Christi Deitate expungentium. Verbo interim divino & ejus dignitati ex hisce mutationibus nihil potest derogari. Mutatio & castratio Patrum, glossatio Juris Canonici & aliorum Scriptorum Pontificijs ignota esse non potest, ex qvâ tamen conclusionem admittere nolunt, scripta ista esse dubia & abijcienda. (2) Mutationes Augustanæ Confessionis sunt distinctæ; qvibusdam exemplaribus incuriâ Typographorum qvædam vitiosè inserta sunt, qvæ nemo hominum unqvam approbavit aut defendit. Qvædam exemplaria verba habent transposita, aut syllabas leviusculè variatas, qvæ procul dubio ex Correctorum negligentiâ fuêre exorta; In qvibusdam sunt Periodi mutatæ, qvoad ordinem & verba, sed in rebus ipsis nihil mutatum deprehendes; In qvibusdam realia sunt mutata, potissimum in illâ Philippi Melanchtonis, qvi non germanicam (hæc enim incorrupta per-

mansit) sed latinam versionem articulo inprimis decimo mutavit, delendo verba, *adsint & distribuantur*, ac substituendo, *exhibeantur*, clausulamq; adjectam prorsus tollendo, *& improbant secus docentes*, de qva mutatione potissimum qværitur (3) Suspecta meritò redderetur nostra Confessio, si ipsi Principes & status Imperij Romani, qvi istam Confessionem exhibuerunt, eandem qvoq; mutassent, aut mutare jussissent, si integræ Ecclesiæ, qvarum est ista Confessio, hoc fecissent: sed id non factum est, verum unicus homo suo judicio hoc fecit, Philippus Melanchton, ut ipsi Pōtificij fatentur, idq; eo fine, ut mollioribus loqvēdi formulis ansam daret Calvinianis eandem Cōfessionem qvoq; acceptandi, ut fatentur *Badenses Motivæ rat.4.* p. 232. si qvid ergò ab homine privato factum est sine jussu & præscitu Ecclesiarum, id ipsis Ecclesijs imputari non potest (4) Contradictum est huic mutationi à beato Luthero, qvi ægrè ferebat totius Ecclesiæ Confessionem ab uno homine privato mutari: Testatur *historia Augustanæ Confessionis* p. 365. qvod Lutherus Philippum graviter objurgarit de istâ mutatione, cum eam sine mandato instituerit. *Johannes Wigandus Episcopus Pomezaniensis* scribit in præfatione qvadam super Augustanam Confessionem: *Constat Dei beneficio satis, Lutherum hasce tam crebras mutationes Confessionis Augustanæ neqvaqvam approbasse. Cum adhuc essem Studiosus audivi Witebergæ sæpius M. Georgium Rorarium Virum integerrimum & Scriptorum Lutheri collectorem, & correctorem alacrem & fidelem narrantem, Lutherum ad Philippum*

dixis-

dixisse: Philippe, Philippe, non est tibi integrum toties mutare librum, qvi est totius Ecclesiæ. Meminerunt & alij Viri graves D. Hieronymum Nopum Superintendentem Ratisponensem sibi narrasse, qvod Lutherus intellectâ mutatione Confessionis, magnâ cum indignatione prohibuerit, ne in lucem prodiret. Elector qvoq; Saxoniæ per Cancellarium suum D. Pontanum Philippum graviter reprehendit, qvod Confessionem totius Ecclesiæ privato judicio sine aliorum vel jussu vel præscitu mutare ausus fuerit. (5) Philippus ipse cum videret, hanc mutationem Ecclesiæ displicere in Colloqvio Ratisponensi eandem abrogavit, & verba in decimo Confessionis articulo de Cœnâ olim mutilata, integrè restituit, dum fatetur, in cœnâ Christi corpus & Sangvinem verè & realiter esse præsentem, & cum pane & vino vescentibus distribui, reijcitq; illo in loco omnes qvi hoc negant; Tom. 4. p. 736. (6) Contradixerunt mutationi Principes & Civitates, & sese non nisi invariatam Confessionem amplecti, protestati sunt. In Conventu Principum Naumburgensi simpliciter provocarunt ad invariatam Confessionem. Augustus Elector Saxoniæ fassus est sese constanter adhæsurum invariatæ Confessioni, qvæ Carolo V. Imperatori sit exhibita. Wolffgangus Princeps Anhaltinus ad Electorem propriâ manu scripsit, sese libenter subscribere Confessioni, sed illi qvæ olim Imperatori Carolo, V. sit exhibita, variatæ autem subscribere vocat levitatem. Duces Lunæburgenses Heinricus & Wilhelmus Fra-

tres ad Electorem scribunt, sese permansuros ad mortem usq; in illâ Confessione, qvæ olim Imperatori sit exhibita. Senatus Norimbergensis ad Wilhelmum Palatinum An. 1561. reijciunt istas mutationes & de novo ad Confessionem invariatam provocant, de qvibus omnibus historia Augustanæ Confessionis â Saxonicis Theologis scripta videatur p. 550. seq. In præfatione super Formulam Concordiæ protestantes Electores, Principes, Comites & Civitates hac de re suam dilucidè proferunt sententiam. *Ideo ne Adversariorum nostrorum calumnijs de ingenio suo confictis, qvibus jactant, ne nobis qvidem constare, qvæ sit vera & genuina illa Augustana Confessio, aliqvi se turbari sinant: sed & ij, qvi nunc in vivis sunt, & posteritas etiam disertè & firmiter doceatur, ac certior reddatur, qvænam illa pia confessio sit, qvam & nos & Ecclesiæ ac Scholæ nostrarum ditionum omnibus temporibus professæ & amplexæ fuerint: post sinceram & immotam verbi Dei veritatem, solam primam illam Augustanam Confessionem Imperatori Carolo V Anno 1530. in celebribus illis comitijs Augustanis exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle luculenter testamur: cujus exempla in Archivis Antecessorum nostrorum excellentis memoriæ, qvi ipsi Carolo V. in Comitijs illis eam exhibuerunt, reposta, per fide dignos homines, ne qvid ad accuratissimas rationes diligentiæ in nobis desideraretur, cum eo, qvod Imperatori ipsi exhibitum est, & in Sac. Rom. Imp archivo asservatur, conferri voluimus: & certi sumus nostra & Latina & Germanica exempla per omnia sibi conformi sententia invicem respondere. Qva etiam de causa,*

causa, Confeßionem illam tum exhibitam, nostræ, quæ his subjicitur, declarationi, sive libro Concordiæ, inserere voluimus: ut omnes intelligant, quod in nostris ditionibus, Ecclesijs & scholis nullam aliam doctrinam ferre constituerimus, quam quæ Augustæ anno 1530. à commemoratis supra Electoribus, Principibus & Imperij Ordinibus solenni Confeßione approbata fuit. Hanc Confessionem etiam, Deo nos benè juvante, usq; ad ultimos Spiritus, piè ex hac vitâ ad cœlestem Patriam migraturi, tenebimus: excelso & intrepido animo puráq; Conscientiâ comparituri coram tribunali Domini nostri Jesu Christi. Speramus itaq; adversarios nostros posthac & nobis, & Ecclesiarum nostrarum ministris, parsuros esse: nec consuetis illis & gravissimis criminationibus usuros, nos de fide nostrâ nihil certi apud nos ipsos posse constituere, eamq; ob causam ferè singulis annis, imò verò mensibus, novas Confessiones cudere.

336] Lutheranos verò ignorare, qvodnam sit verum Exemplar Augustanæ Confessionis, ut Janssenius blaterat, est falsissimum. Nam (1) in Archivis Romani Imperij primum & originale exemplar custoditur extra omne dubium, neq; Pontificij ipsi id hactenus potuerunt negare. (2) Theologi Electoris Saxoniæ provocant ad exemplar genuinum & incorruptum *in Pupilla* cap. 8. qvod in Archivis Electoralibus ad hanc usq; horam custodiatur. (3) Protestantes Electores & Principes in præfatione super formulam Concordiæ testantur sese collationem instituisse Confessionis genuinæ & incorruptæ per Viros fide dignissimos, eamq; invaritatam & incorruptam Confessio-

onem Libro Concordiæ inſeruiſſe. (4) Theologi Electorales in Refutatione *libri Staffortici*, ut vocabant, p. 57. teſtantur; qvod Auguſtus Elector Saxoniæ eo tempore, qvo liber Concordiæ conſcribebatur, verum & Originale exemplar Auguſtanæ Confeſſionis ex Archivis Imperij petierit, & factâ inſpectione & collatione accuratâ illud in locum ſuum remiſerit, ut eò certiores eſſent Confeſſores de vero & incorrupto exemplari. (5) Moderni qvoqve Theologi Electorales in defenſione Pupillæ verum & immaculatum exemplar Auguſtanæ Confeſſionis repetût, qvod licet Forerus & alij Monachi calumnijs & mendacijs arroſerint, ab ijsdem tamen Theologis ſolidè & prolixè reſponſum eſt in *Apologia magna ejusdem Pupillæ cap.* 20. 21. ſeq. qvorſum Janſſenium qvoq; remitto.

337] 2. *Imperfectionem Auguſtanæ Confeſſionis obijcit* p. 210. *recenſendo qvædam capita Chriſtianæ fidei, de qvibus in Confeſſione nihil ſit definitum, ut de numero Sacramentorum, de Sacrificio novæ legis incruento, qvod in Miſſâ offertur, de una Chriſti hypoſtaſi; an Chriſtus paſſus & mortuus ſit una vel utraq; natura? an humana ejus natura ſit ubiq;? de uſu legis, & Chriſti ad inferos deſcenſu, de electione hominũ ad vitã æternam.* Reſpondemus autem ad veterem hanc Cantilenam (1) hac ratione Symbolum Apoſtolicum tanqvam mancum poſſet reijci, in illo nihil invenies de Scripturâ, de Baptiſmo, de Cœnâ, de Imagine Dei, de peccato Originis, de prædeſtinatione; imò nihil ibi legitur de Papâ, indulgentijs, Purgatorio, Miſſa,

Con-

Confeſſione auriculari & ſimilibus. (2) Symbolum Athanaſij eodem argumento poſſet reijci, in illo enim nihil legitur de Scripturâ, Baptiſmo, cœnâ, peccato Originis, Imagine Dei, de Magiſtratu &c. & tamen hoc Symbolum publicè ab Eccleſiâ Chriſtianâ recipitur. (3) Diſtingvendum eſt inter modum, qvo qvid alicubi continetur, interdũ hoc fit explicitè verbis expreſſis, interdũ implicitè per bonam conſeqventiam. Creatio Angelorum expreſsè non habetur in Symbolo Apoſtolico, interim tamen continetur ſub Articulo de creatione; de Sacramentis nihil ibidem legitur, continentur autem ſub articulo de Eccleſia, cujus bona propriè ſunt Sacramenta. Ita qvoq; in Auguſt: Cõfeſ: qvædam habentur implicitè, qvæ per bonãconſeqventiã ad certos Articulos poſsũt referri, & ex ijsdẽ deduci. *Pontificis dominatus* refertur ad Articulum 7. *abuſuum* de Epiſcoporũ poteſtate; purgatoriũ reijcitur ex Articulo 3. abuſuũ, qvo negatur pro mortuis debere ſacrificari; *Indulgentiæ* damnantur ex articulo 4. qvo docetur, remiſſionẽ peccatorũ per fidẽ in Chriſtum nos conſeqvi, & ex articulo 3. abuſuum, qvo damnãtur nundinæ Põtificis, in qvibus remiſsionẽ peccatorum pecuniâ vendidit, Idẽ de alijs articulis eſto judicium. (4) Confeſſores in Epilogo Confeſs: libenter fatẽtur, ſeſe potuiſſe plures articulos proferre, ſed brevitatis causâ qvosdã omiſiſſe, interim Principales eſſe annotatos, ex qvibus judiciũ de cæteris facilè poſſet ferri. Verba illorum ſunt: *Hi ſunt præcipui articuli, qvi videntur habere controverſiam. Qvanqvam enim de pluribus abuſibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixita-*

tem, præcipua complexi sumus, ex qvibus cætera facilè judicari possunt. Tantum ea recitata sunt, qvæ videbantur necessariò dicenda esse, ut intelligi possit in doctrinâ ac Ceremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut Ecclesiam Catholicam, &c. Si qvid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, juxta Scripturas exhibere. (5) In Comitiis Augustanis Imperator qvæsivit an Principes protestantes plures articulos vellent offerre, illi verò habitâ deliberatione responderunt, *sese reiicere omnia falsa dogmata & omnes abusus, qvi contrarientur Doctrinæ & articulis in Cofessione oblatis. Qvod si tamen adversarii nollent qviescere, sese paratos esse ad prolixiora scripta,* ut testatur *Chytræus in Histor. August. Confess. fol.* 97. 98. (6) Confessores testantur Art. 20. Art: 3. & 5. Abus. sese non adornasse plenariam consignationem omnium articulorum fidei, sed tantùm præcipuorum, qvi opus habebant declaratione contra calumnias & obtrectationes adversariorum. (7) Evolvant modo Pontificii Apologiam Augustanæ confessionis â Philippo in Comitiis scriptam, & postea locupletatam, videbunt facilè qvid de articulis cæteris, qvi secundum literam non exprimuntur, Confessores tum temporis judicârint.

338] Ex hisce omnibus patet, qvid respondendum sit ad articulos â Janssenio prolatos. *De numero Sacramentorum* agitur, dum duo tantùm & non plura numerantur Sacramenta, Baptismus & Cœna Art. 9. & 10. *De sacrificio Missatico* agitur, & qvidem prolixè Art. 3. abusuum ubi reiiciuntur

untur

untur nundinæ Missaticæ, sacrificium pro vivis & tuis, & opinio illa, qvasi per Missam ex opere operato sine fide gratiam Dei consequamur. Provocant Confessores ibidem ad Pauli tempora, qvibus Missæ Papisticæ non fuerint in Ecclesiâ, docentq; unum esse sacrificium cruentum pro omnibus peccatis nostris, Mortem scilicet Christi. *De unâ Christi hypostasi* agitur Art. 3. dum expressè dicunt duas naturas esse in Christo ad unam personam unitas, unumq; Christum esse Deum & hominem. *An Christus sit passus & mortuus secundum utramq; naturam*, non eqvidem disputant, interim nota est Confessorum sententia, qvid in nostris Ecclesijs doceatur, *Totum Christum fuisse passum & mortuum*, Deitatem autem in se nec pati nec mori posse, cum sit Spiritus, interim Deum fuisse passum & mortuum in carne assumptâ, Deum suo sangvine acqvisivisse Ecclesiam Act. 20. v 28. Principem vitæ fuisse interfectum Act. 3. v. 15. Dominum gloriæ fuisse crucifixum 1. Cor. 2. v. 8. *De descensu Christi ad inferos* expressa sunt verba in Art. 3. *Electionem filiorum Dei* ad vitam æternam non expresserunt, nulla enim tum temporis hac de re movebatur controversia. *De usu Legis* ex articulo de bonis operibus & justificatione constat, qvod Lex justificare non possit, interim in Ecclesiâ Legem non esse tollendam, cum sit regula vitæ. *De Christi omnipræsentiâ* articulo tertio docetur, dum fatentur Christum adscendisse ad cœlos, sedere ad dextram Dei, ut æternùm dominetur super omnes creaturas. Dextera illa Dei est *dextra Majestatis Hebr. 1. v. 3. qvæ facit miracula Ex. 15 v. 6.*

omnia mutare potest Psal. 77. v. 11. *est præsens in cœlo in inferno, in mari Psal.* 139. v. 8. 9. 10. *fundavit terram & metitur cœlos Esa.* 48. v. 13. *ad hanc dextram sedet Christus, hoc est. regnat,* ita enim vocula *sedere* usurpatur *Psal.* 47. v. 9. *Psal.* 99. v. 1. ut etiam Paulus omnipotens istud dominium explicat 1. *Cor.* 15. v. 25. *Eph.* 1. v. 20. 21. 22. Exercet verò hoc dominium non absens instar Regum mundanorum, sed præsens, *dominatur enim in medio inimicorum Psal.* 110. v. 2. *est nobiscum usq; ad consummationem seculi Matth.* 28. v. 20. *implet omnia, Eph.* 1. v. 23. qva de re alibi fusius docetur.

339]3 Objicit Janssenius *dissonantiam qvorundam articulorum Augustanæ Confessionis à sacra Scriptura: Qvartus articulus de justificatione, si fidem Majorum attendimus,* ait, *longè est alius qvam Lutherani somniant.* At qvæ est ista fides majorum? nostri Majores fuerunt Prophetæ & Apostoli, qvi docuerunt *Christum peccata nostra portasse Esa.* 53. v. 4. 5. 1. *Pet.* 2. v. 24. *nostra peccata ipsi imputata in ipsum conjecta fuisse Esa.* 53. v. 6. *ipsius verò justitiam nobis donatam & nobis imputatam esse Rom.* 4. v. 5. 2. *Cor.* 5. v. 21. *ex gratia nos salvari Eph.* 2 v. 8. *Rom.* 3. v. 30. *& qvidem per fidem sine oporibus Legis Rom.* 3. v. 28. *Joh.* 3. v. 16. *opera omninò excludi à nostrâ justificatione Luc.* 17 v. 10. Articulus sextus de bonis operibus *non longissimè distat*, ut Janssenius ait, sed fundatur in Scripturis. Docetur in illo *bona opera esse facienda ex Matth.* 5. v. 16. 1. *Tim.* 2. v. 10. 1. *Tim.* 6. v. 17. 18. 2. *Pet.* 1. v. 6. 7. *illa opera non debere esse electitia, hæc enim à Deo prohibentur, Num.*

15. v.

15. v. 39. *Deut.* 4. v. 2. *cap.* 5. v. 32. *Coloß.* 2. v. 18. *Esa.* 1. v. 12. *Matth.* 15. v. 9. *sed à Deo mandata*, *taliaq; opera ex fide debere provenire Gal.* 5. v. 22. *Rom.* 14. v. 23, *Hebr.* 11. v. 6. iſta verò opera eſſe imperfecta *Esa.* 64. v. 6. 1. *Joh.* 1. v. 8. *Psal.* 19. v. 13. 1. *Cor*, 13. v. 9. *Jacob.* 2. v. 10. adeoq; nos nihil prorſus mereri poſſe ijsdem apud Deum, prout ſupra n. 156. ſeqv. demonſtratum eſt.

340] Decimus articulus, ait Janſſenius, *ſententiam Catholicam exprimit*, Reſp. qvomodo igitur poteſt referri inter illos, qvi repugnant Scripturis, niſi fortè ipſi Catholici Scripturis repugnent. Ait *Synuſiam in illo reÿci, Lutheranos autem refinxiſſe hunc articulum & alia verba ſubſtituiſſe, ne viderentur cum Pontificÿs Tranſſubſtantiationem credere*; ſed ſalva res eſt, mi Janſſeni, Lutherani hoc non fecerunt publico Eccleſiarum nomine, ſed ſolus Philippus Melanchton proprio & privato hoc fecit judicio, ut modò dictum eſt. In decimo articulo habentur eqvidem verba *ſub ſpecie panis & Vini Corpus & ſangvinem Chriſti exhiberi*, ſed non eo ſenſu, qvaſi panis in corpus, & vinũ in ſangvinem Chriſti ſubſtantialiter transmutentur; verùm *ſpecies* in illo articulo notat externum & viſibile ſignũ panis & Vini, qvo exhibentur corpus & ſangvis Chriſti. Ita legitur *Luc.* 3. v. 22. qvod Spiritus Sanctus deſcenderit *corporali ſpecie*, qvo in loco non intelligitur columbæ in Spiritũ Sanctum ſubſtantialis mutatio, ita ut externa ſpecies ſeu ſchema columbæ remanſerit, verùm notatur ibi Spiritus Sancti cum columbâ iſtâ ſingularis unio, ita ut Spiritus Sanctus in ſpecie colum-

bæ

bæ unitæ apparuerit. Ita communiter dicimus cœnam diſtribui apud nos ſub *utrâq; ſpecie*, in Bohemiâ Proteſtantes communiter vocabantur, Status ſub *utrâq; ſpecie*, ubi intelligitur utrumq; Symbolum externum, non transmutatum, ſed unitum cum corpore & ſangvine Chriſti.

341] Articulus Undecimus cum Scripturis qvoq; non pugnat: Confeſſio auricularis ibidem reijcitur, idq; non ſine ratione, caret enim mandato & exemplo probato in Sacris, eſt ſimpliciter impoſſibile omnia peccata enumerare, cum peccata multa infirmitatis nos lateant *Pſal.* 19. v. 13. Confunditur in illâ Confeſſione Lex & Evangelium, conſcientiæ miſerè torqventur, prout alibi fuſius explicatur. Objicit Janſſenius *Act.* 19. v. 18. legi, *multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos*; ſed hoc dictum non pugnat pro auriculari confeſſione. Jeſuita *Lorinus* in Cômentario ſuper hunc locum fatetur, ſe certò non poſſe aſſeverare, hic agi de auriculari confeſſione, addit rationem, *cum incertum ſit, an iſti homines baptizati fuerint, apparere enim ex textu, eos fuiſſe Catechumenos*, qvi fidem Chriſtianam primò qværebant, auricularem verò Confeſſionem non niſi à baptizatis poſſe fieri. Poſito autem fuiſſe Chriſtianos baptizatos, vocula tamen, confitentes, non evincit qvaſi peccata ſua confeſſi fuerint; ſed confeſſi ſunt actus ſuos, hoc eſt, ea qvæ prædicando, miraculis & exhortationibus ſuis effecerint, ſicut ſeptuaginta Diſcipuli *revertentes confitebantur & enarrabant, qvæ effecerant* Luc. 10. v. 17. Si verò maximè concederetur, qvod peccata ſua con-

confeſſi

fessi fuerint, auricularis tamen Confessio, qvalis est Pontificiorum, inde non exstruitur. Qvomodo enim seqvitur, confessi sunt peccata sua, ergò omnia peccata cum omnibus circumstantijs, sub metu, ne tota absolutio irrita fiat, sicut in Papatu fit. Vide qvæ supra n. 189. 190. de Confessione auriculari dicta sunt.

342] Articulum decimum tertium Confessionis Janssenius taxat, qvod damnentur in eo, omnes illi, qvi docent, *Sacramenta justificare ex opere operato, sine fide.* Adducit qvædam Scripturæ dicta *Joh.* 3. *Act.* 2. cap. 22. *Tit.* 3. *ubi salus & vita æterna baptismo tanqvam causæ instrumentali attribuitur, & opus operatum describit, qvod sit ipsa actio externa, qvæ consistit in applicatione formæ ad materiam, & utriusq; ad suscipientem Sacramentum.* Respondemus: distingvendum est inter media, qvibus gratia Dei nobis confertur, qvædam sunt ex parte Dei & respiciunt δόσιν, qvædam ex parte hominum & respiciunt λῆψιν, illa sunt verbum & Sacramenta, ex parte hominis accipientis autem est fides. Ista media duplicia sese non tollunt mutùo, sed potius ponunt; sicut enim fides non excludit verbum & Sacramenta, ita vicissim verbum & Sacramenta non excludunt fidem, sed salus potius medijs hisce ex utraq; parte attribuitur; ex parte Dei porrigentis, verbo & Sacramentis, ex parte hominis accipientis, fidei. Dum ergò Janssenius qvædam dicta adducit, qvæ Baptismo salutem tribuunt, fit hoc respectu Dei porrigentis, qvi hoc medio utitur, dum nobis salutem

donat,

donat, ſed hoc medium porrigentis non excludit medium accipientis, hoc eſt fidem, *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo Hebr*. 11 v. 6. & ſicut Evangelium eſt *virtus Dei in ſalutem, ſed Credentibus Rom*. 1. v. 16, ita Sacramenta ſunt virtus Dei in ſalutem, ſed illis qvi credunt, *nam qvi credit & baptizatur ſalvus erit Mar*. 16 v. 16. *ſi credis toto corde, poteſt fieri ut baptizeris*, Philippus dicebat ad Eunuchum *Act*. 8. v. 37. Et ſicut verbum Dei credentibus eſt odor vitæ ad vitam, nō credentibus eſt odor mortis ad mortem, ita etiam Sacramenta credentibus proſunt, non credentibus non proſunt, *qvi enim indignè manducat corpus Domini, is judicium* ſibi *manducat* 1. *Cor*. 11. v. 29.

343] Opus operatum verò qvid ſit, Janſſenius ex ſua mente deſcribit, â vetuſtioribus autem Pontificijs vehementer diſcrepat. *Bellarm. lib*. 2. *de Effica: Sacram. cap*. 1. ſcribit: *opus operatum non ſolum excludit dignitatem miniſtri, ſed etiam fidem & motum internum ab efficientiâ gratiæ Sacramentalis. Concil. Trident, Seſſ*. 7 *de Sacram. Can*. 6. *opus* operatum deſcribit, *qvod conferat gratiam, ſaltem obicem non ponentibus*. Ubi reqvirit in voluntate hominis non poſitionem boni alicujus, hoc eſt, fidem, ſed tantùm negationem mali, ſi modò qvis obicem non ponat & malitiosè non reſiſtat. Scholaſtici qvoq; ſicut per opus operantis devotionem interiorem ſuſcipientis, ita per opus operatum intellexerunt perfectionem operis ſine motu interno, ut prolixè demonſtrat *Gerhardus in loco de Sacramen: n. 86*. In Articulo XV. XX. XXI. qvædam deſiderat Janſſenius, ſed alibi ſe tractare

ait

ait, cap. 6. & 15. ego qvoq; ad illa capita Refutationis meæ Lectorem remitto.

344] 4. Tandem *insignem fraudulentiam Janssenius obÿcit, qvâ Protestantes usi sint in Augustanâ Cõfessione, dum scripserunt: nihil in eâ inesse, qvod discrepet ab Ecclesiâ Catholicâ vel Romanâ, sed tantùm dissensionem esse de qvibusdam abusibus, qvi irrepserunt; hoc,* ait, *eo fine scriptum esse ut Principes fallerentur, qvasi nihil ab Evangelicis illis esset inventum aut introductum, qvod integritatem fidei Catholicæ seu Romanæ labefactaret.* Respondetur: Leguntur hæc verba in conclusione articuli XXI. Jure consulti Dilligenses eadem qvoq; objecerunt *in Compositione pacis cap 2. qvæst.* 13. p. 38. in hisce tamen verbis Protestantes nec fraudulentiâ usi sunt nec Ecclesiam Pontificiam illo in loco intellexerunt. Nam (1) ad Scripturam sacram tanqvam fidei suæ regulam primâ fronte appellant, dum dicunt; *hæc ferè est summa doctrinæ apud nos, in qva cerni potest, nihil inesse, qvod discrepat à Scripturis vel ab Ecclesiâ Catholicâ vel Romanâ,* hinc ita argumentor: Qvæcunq; Ecclesia fundamento scripturarum in doctrinâ suâ nititur, illam Confessores intellexerunt, atqvi non Põtificia Romana hodierna hoc facit, hæc enim Scripturam pro sufficiente regulâ fidei non habet, sed Ecclesia Romana veterior Apostolica; Ergo Cõfessores nõ modernam Pontificiam sed veterem Apostolicam Romanam intellexerunt (2) Cõfessores in illo loco de tali Ecclesiâ loqvuntur, *in qvam* abusus & errores irrepserant. Jam verò illi errores & abusus non

non irrepſerunt in Eccleſiam Romanam Pontificiam, hæc enim ipſa errores & abuſus introduxit, qvippe nihil aliud eſt, niſi cœtus illorum, qvi in abuſibus ſuam conſervant religionem, verùm in Eccleſiam veram Romano Apoſtolicam veterem, qvæ ſecundum Epiſtolam Pauli ad Romanos docuit & credidit, in hanc, dico, abuſus introducti ſunt; hanc ergò Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, non illam Pontificiam Confeſſores intellexerunt. (3) Inſpiciatur ipſa Confeſſio, ſtatim apparebit, an Confeſſores cum Eccleſiâ Romanâ Pontificiâ conſentiant, de peccato *Originali*, *art. 2. de Juſtificatione Art. 4. de Pœnitentia, Art. 12. de Cœnâ, Art. 10. de Invocatione Sanctorum Art. 20. de merito operum Art. 21. de utraq; ſpecie, Conjugio Sacerdotum, de Miſſa, de Confeſſione, de ciborum diſcrimine, de votis Monachorum, de poteſtate Eccleſiaſticâ*, in hiſce Papatui manifeſtè contradicunt, imò Art. 20. expreſsè dicunt, *qvod doctrina de fide, qvam oportet in Eccleſia præcipuam eſſe, diu ignota jacuerit in Papatu, qvod de fide, juſtitia fuerit altum ſilentium in concionibus*: eo ipſo fatentur, ſeſe cum papatu non conſentire, ſed potius errores & abuſus â Papatu in veram Chriſti Eccleſiam introductos abijcere. (4) In Præfatione articulorum de abuſibus dicunt Confeſſores, qvod illos taxent abuſus, *qvi novi ſeu noviter recepti ſint*; jam verò Eccleſia Pontificia novos errores in veterem Apoſtolicam introduxerat, ergò Eccleſiam veterem Romanam verè Catholicam intellexerunt. Apparet ex hiſce omnibus qvod Confeſſores fraudulentiâ uſi non ſint, verùm ita ſtylum formarint, ut Impera

perator & Principes satis intelligere potuerint, qvam scilicet Ecclesiam Catholicam intellectam velint, dum dicunt se ab ea non discrepare.

345] Sicut autem Confessio Augustana in sacris Scripturarum oraculis fundatur, ita universam fidem nostram in illis fundari simpliciter est necessarium. Adduxi testimonia in meâ Admonitione, Christum in deserto contra Satanam scripturis pugnasse *Matth. 4 v. 4. 7. 10.* Nobiles Judæos Berroenses in scripturâ inqvisivisse, an vera essent, qvæ ex Paulo & Sila audiverant *Act. 17. v. 11.* Scripturam esse lucernam pedum nostrorum & lumen in semitis nostris *Psal. 119. v. 105.* debere nos attendere sermoni Prophetico tanqvam lucernæ lucenti in loco caliginoso *2. Pet. 1. v. 19.* Informavi Christianum qvid faciendum sit ipsi, si â Scripturis ad Patres, Concilia, & Traditiones avocetur, eo nomine, qvasi Scriptura sit obscura, scilicet (1) qvod Deus per Scripturam non intendat nos studio intricare aut decipere, sed ad salutem informare. (2) Qvod difficilia loca in Genealogijs, Topographia & Chronologia qvidem occurrant, sed ista ad salutem scitu necessaria non sint. (3) Qvod in articulis fidei magna perspicuitas inveniatur, in loco de justificatione evolvantur dicta *Joh. 3. v. 16. Rom 3. v. 24. 25. Rom 4 v. 5. Eph. 2 v. 8. 9.* & res erit manifesta (4) Qvod si obscuriora qvædam in articulis fidei occurrant, clariora sint qværenda, adeoq; sensus ex scripturis eruendus sit & efferendus, non in illam inferendus, scriptura enim non est privatæ interpretationis *2 Pet. 1. v. 20.* (5) Qvod Deus sit invocandus, ut

intellectum aperiat exemplo Davidis *Psal. 119 v. 18.* precibus assidua scrutatio & inqvisitio sit adjungenda, ex mandato Christi *Joh. 5. v. 39.* Scrutamini Scripturas; & Pauli; attende lectioni, *1. Tim. 4. v. 13.* Respondet Janssenius seqventia.

346] 1. Ait, *hac ratione qvemvis privatum constitui Judicem in rebus fidei controversis.* Respond. Distingvendum est inter Judicem in rebus fidei. Judex vel est Principalis, qvi est author Scripturæ seu Spiritus Sanctus cujus inspiratione locuti sunt Sancti Dei homines *2 Pet. 1. v. 21.* qvi mundum arguit de peccato *Joh. 16. v. 8.* nos in omnem veritatem ducit *v. 13.* imò nos omnia docet *Joh. 14. v. 26. 1 Joh 2. v. 27.* vel est Ministerialis, scilicet Ecclesia, qvam jubemur audire *Matt. 18. v. 17.* qvæ est columna & firmamentum veritatis, 1 *Tim. 3. v. 15.* Judex iste Ministerialis vel est publicus, ut Ministerium Ecclesiasticum, vel privatus, ut membrum aliqvod Ecclesiæ. In meâ informatione privatum hominem seu membrum Ecclesiæ constituo judicem non principalem, non publicum, sed privatum; idq; ex voluntate Christi, qvi jubet *ut caveamus à falsis Prophetis Matth. 7. v. 15. ut audiamus vocem suam, alienum non seqvamur, adeoq; vocem Christi ab aliorum vocibus discernamus, qvod proprium est ovium Christi Joh. 10. v. 27.* Sic Paulus præcipit auditoribus suis, *ut observent eos, qvi dissensiones excitent Rom. 16. v. 17. ut ipsi judicent, qvid dicat, 1 Cor. 10. v. 15 cap. 11. v. 13. ut omnia probent qvod bonum est, teneant, 1 Thes. 5. v. 20. 1 Joh. 4. v. 1. monemur ne omni spiritui credamus, sed probemus spiritus an sint ex Deo.* Qvod si ergo Deus jubet, ut audito-

ditores caveant â Pseudoprophetis, ut discernant vocem Christi â voce aliorum, ut observent, judicent, non omni spiritui credant, sed spiritus judicent, eo ipso certè jubet, ut privatim in rebus fidei, judicent. Dum itaq; ego qvodvis membrum Ecclesiæ privatum judicem esse dico, non minus pecco ac Christus & Apostoli qvi Auditoribus suis judicium & probam fidei demandarunt.

347] 2. Obijcit, *hac ratione infinitas dissensiones & lites excitari, omnes enim Lutheranos hoc prætendere, qvod legant, orent, scrutentur, nihilominus tamen in gravissimis fidei articulis dissentire.* Respond. (1) potuisset hoc obijci Christo & Apostolis, qvi docebant Scripturas esse scrutandas, precibusq; instandum; faciebant hoc Pharisæi, Sadducæi, Essæi, nihilominus lites & contentiones inter se habebant. Qvicqvid ergo Christus & Apostoli respondissent, Pontificijs qvoq; sit responsum. (2) Potuisset hoc obijci Christianis in primitivâ Ecclesiâ, qvi Scripturam ut fidei normã atq; judicẽ acceptabant, scripturã legebant Arrius, Nestorius, Manes, Marcion & alij, qvi tamen lites & contentiones magnas excitabant; qvicqvid Christiani in primitivâ Ecclesiâ hic respondissent, Pontificijs qvoq; responsum sit. (3) Imo si ob contentionem in religione Scriptura nõ potest esse norma & Judex, seqvitur nullã prorsus fidei regulã in Ecclesia Christianâ unqvam inveniri. Semper enim hæreses fuerunt, adhuc sunt, & futuræ sunt, secundũ illud; *oportet hæreses inter vos esse 1. Cor. 11. v. 19.* (4) Qvod Pontificij nobis obijciunt propter Scripturã, id meritò retorqvemus in illos

propter Papam: Scriptura non est judex propterea qvia illi, qvi provocant ad Scripturam, fovent lites, seqvitur Papam multo minus esse judicem fidei, qvia illi, qvi provocant ad hunc judicem, ingentes fovent contentiones & contradictiones, qvod solidè demonstrarunt *Hunnius in Labyrintho Papistico, Pappus in Contradict: Bellarm. Mortinus in Apologia Catholica, Flacius in dissensionibus Pontif.* & alij. (5) Falsum qvoq; est Lutheranos dissentire in gravissimis fidei articulis: in fundamentalibus de fide per Dei gratiam convenimus omnes, in minus principalibus circa fidem, si adsunt dissensus, ipsa tamen fides non tollitur, secundum illud: Dissonantia jejunij non tollit consonantiam fidei. Dissensus deniq; tales tandem exspirant, prout supra *cap. 1. n. 32.* fusius hac de re actum est. (6) Contentiones tandem illorum, qvi ad aliqvem Judicem provocant non proveniunt ex Judicis infirmitate, sed ex controvertentium malitiâ, qvi vel præconceptas habent opiniones, vel rationem Scripturæ præponunt, vel alijs de causis â vero aberrant; ideo Judæi olim ad Scripturam provocantes, ex Scripturâ tamen condemnabantur *Johan. 5. v. 45.*

348] 3. Excipit, *Patres antiqvi Scripturas legerunt, assiduò Deum rogarunt, ergò recurrendum est ad illorum expositiones, & amplectendum, qvod unanimi consensu affirmant, nisi velimus resistere Spiritui Sancto, qvi cum Ecclesiâ manet in æternum Joh. 14. v. 16. & per eam divina oracula manifestat, secundum illud Malach. 2. v. 7. labia Sacerdotis custodiunt scientiam. Oratio præterea illorum non exaudi-*

tur,

tur, qvi fastu & animo obfirmato explodunt Ecclesiæ & Patrum Interpretationes. Parvuli esse debemus si Scripturam intelligere volumus, Parvulus autem non fidit suo ingenio, sed confugit in sinum matris, illiq; credit, qvæ docet & affirmat. p. 218. 219. Respond: (1) Non simpliciter repudiamus omnes omnium Patrum interpretationes, sed eas cum gratitudi- amplectimur, qvæ sunt fidei analogæ, secundum illud *Roman. 12. v. 6 omnes interpretatio sit fidei ἀνάλογος*, qva de re fusius *c. 3.* egimus. (2) Ad dictum illud *Job. 14. v. 16.* supra qvoq; *cap. 3.* prolixius est responsum, actum itaq; hic non agamus. (3) Dictum Malachiæ loqvitur de judice Ministeriali publico: Ministerio Ecclesiastico omninò demandatum est munus docendi & Scripturam interpretandi. Sicut autem Propheta *v. 8.* increpat Sacerdotes Israeliticos, *vos recessistis de viâ, offendiculo fuistis multis in lege, corrupistis pactũ Levi*, ita nos qvoq; de Pontificijs verè dicimus; Sacerdotes illorum recesserunt de viâ, offendiculo multis fuerunt in lege, & corruperunt pactum Dei, Sacram Scripturã miserè distorqventes & lacerantes ineptissimis & ridiculis expositionibus, cum tamen illorum labia scientiam custodire debebant. Falsissimum verò est, qvod nos fastu & animo obfirmato omnes Ecclesiæ & Patrum expositiones explodamus. Ecclesiæ Pontificiæ detorsiones eqvidem aversamur, sed Ecclesiæ verè Catholicæ expositiones gratâ mente amplectimur. Qvod Patres attinet, non eqvidem spernimus illorum expositiones, si fidei sint analogæ, sine illis tamen

Scripturam non posse intelligi aut declarari, hoc est qvod negamus. Primum enim auditores Prophetarum & Apostolorum intellexerunt sensum Scripturæ sine expositione Patrum, imò ipsi Patres alios Patres ante se non habuerunt, & tamen in multis Scripturam intellexerunt. Si Deus hodiernâ die de cœlis ad nos loqveretur, loqvelam ejus utiq; possemus sine Patrum expositionibus intelligere, ideo enim ad nos loqveretur, ut sensum voluntatis suæ intelligeremus, cur idem non posset fieri in Scripturis intelligendis?

349] Simile illud de parvulis valdè claudicat. Salvator ait: *nisi fueritis ut Parvuli, non poteritis ingredi in regnum cœlorum Matth. 18. v. 3.* In hisce verbis non docet modum interpretandi Scripturas, sed arguit superbiam discipulorum, qvi de primatu inter sese contendebant, adhortatur illos ad humilitatem, *qvisqvis demiserit seipsum sicut puerulus iste, is est maximus in regno cœlorum v. 4.* In Scripturâ verò interpretandâ & intelligendâ jubemur pueriles ineptias & levitates vitare; *non simus amplius pueri qvi fluctuemus & circumferamur qvovis vento doctrinæ, hortatur Apostolus Ephes. 4. v. 14.* Imò sicut parvuli acqviescunt in doctrinâ & mandatis parentum, non petentes explicationem â servis & ancillis aut ab alijs peregrinis, ita & Christiani acqviescant in doctrinâ & mandatis Patris sui cœlestis, non curantes qvomodo homines glossis suis & commentis mandata Dei distorqveant; *si manseritis in sermone meo, discipuli mei eritis, inqvit Salvator, Johan. 8.* versu. 31.

350] 4. *Negat porrò omnes fidei articulos in Scripturis perspicuè esse traditos, qvia Osiander scribat in Confutatione Philippi, inter Confessionistas viginti diversas sententias de justificatione versari, p. 219.* Respond: (1) Cur Janssenius non citat capita & paginas Scripti, si fides citationi habenda est? (2) Si maximè Osiander hoc scribat de justificatione, qvomodo exinde seqvitur, nullos fidei articulos in Scripturis perspicuè tradi. Præter articulum enim de justificatione sunt plures alij. (3) Non qværimus, qvid illo tempore factum fuerit, sed qvid hodiè fiat? controversiæ illæ diu sunt sopitæ. In nostris Ecclesijs per Dei gratiam de justificatione non amplius dissentimus, sed unanimiter credimus & profitemur, *nos salvari per gratiam Jesu Christi, qvemadmodum & Patres nostri, Act. 15. v. 11.* (4) Vitiosissima est conseqventia: qvidam dissentientes provocant ad Scripturam, ergo Scriptura non habet perspicuè articulos fidei. Judæi provocabant ad Mosen contra Christum, Moses tamen perspicuè docebat & Judæos condemnabat *Joh. 5. v. 45.* Pontificij ipsi provocant ad Patres, qvi tamen in plurimis locis contra Pontificios perspicuè docent. Litigantes in foro sæpius provocant ad jura civilia, qvæ tamen perspicuè alterutram partem condemnant, error itaq; non est in norma & Judice, sed in controvertentibus, qvi imbuti præconceptis opinionibus leges & Scripturas malè intelligunt. (5) Eo ipso dum omnes controvertentes ad Scripturam provocant, authoritatem judicandi & decidendi Scripturæ tribuunt.

351] 5. Jam ad dicta Scripturæ Janſſenius reſpondet, *p. 220, 221.* Scriptura vocatur lumen *Pſal. 119. 2 Pet. 1.* addit, ſed rectè explicata, cum David dicat: declaratio ſermonum tuorum me illuminat. Reſpond: Licet Scriptura rectè explicata, etiam luminis inſtar ſeſe habeat, in locis tamen citatis non propriè explicatio, ſed ipſa Scriptura intelligitur. Nam ſi Scriptura rectè explicata hic dicitur lumen, ſeqvitur non Scripturam ſed explicationem ejus eſſe lumen. David autem perſpicuè ait *v. 105. Lucerna pedi meo verbum tuum*, non explicatio verbi tui. Petrus perſpicuè ait: *ſermo Propheticus eſt lux lucens v. 19* non ait; explicatio ſermonis Prophetici. Malitia igitur eſt, explicationem verbi pro verbo ipſo ſubſtituere. Verba autem illa: *declaratio ſermonum tuorum me illuminat*, leguntur eqvidem v. 130. in vulgata verſione, ſed fontes Hebræi longè aliter legũt. Habetur ibi vox פֵּתַח qvam vertit Ariasmontanus *apertionem*; Pagninus vertit *oſtium*. David ergò non intelligit explicationem & gloſſam hominum, verùm ipſam Scripturam, qvæ eſt oſtium ſapientiæ divinæ, & qvaſi apertio ad myſteria regni cœlorum. Poſito autem qvod explicatio & declaratio verbi hic intelligatur, non tamen ſeqvitur qvamvis declarationẽ eſſe acceptandam, ſed eam, *qvæ eſt fidei ἀνάλογος Rom. 12. v. 6.* qvæ nõ adverſatur Scripturæ, quæ ex ipſis textus viſceribus eruitur, qvæ reqviſita, dum plurimis expoſitionibus in Eccleſiâ Pontificiâ deſunt, illas ut genuinas amplecti non poſſumus.

352] *Berroenſes Act. 17.* ait, *fuiſſe Catechumenos,*

nos, & sic non fuisse mirum, qvod scrutati fuerint ea, qvæ Apostolus prædicaverat: imò mulieribus, inqvit, Ecclesia permittit lectionem Scripturæ, si hebraicè, græcè aut latinè intelligant, dum utuntur biblijs non depravatis. Respond: Catechumeni olim dicebantur, qvi in fide Christiana primò informabantur, hisce licebat scripturas scrutari, propter informationem de fide in Christum, ut Janssenius in hoc loco fatetur; atqvi hunc finem omnes Christiani intendunt, dum Scripturas legunt, ut de Christo & veritate cœlesti rectè informentur. Ita argumentor: Qvi qværit informationem de fide in Christum illi lectio Scripturæ est concessa; atqvi omnes veri Christiani qværunt informationem de fide in Christũ; ergò omnibus veris Christianis lectio Scripturæ est concessa. Minor est verissima. Majorem Janssenius qvoq; concedit exemplo Catechumenorum, Conclusionem itaq; negare non poterit. Nobiles illi Berroenses erant Laici, ergo Laicis qvoq; concessum est Scripturas legere & scrutari. Ridiculum verò est, qvod Janssenius ait, *Ecclesiam Romanam mulieribus qvoq; concedere lectionem bibliorum, si modò hebraicè, græcè & latinè intelligant, & biblia illa ab hæreticis non sint corrupta.* Nam (1) hoc est nihil concedere, cum fœminæ in his lingvis non sint versatæ, vel rarissima tantùm exempla doctarum fœminarum occurrant. (2) Cur non conceditur illis lectio in alijs lingvis, Spiritus Sanctus in die Pentecostes Apostolos replebat dono omnium lingvarum, prædicabant illi magnalia Dei non tantùm in hæbræâ, græcâ & latinâ lingvâ *sed varijs lingvis, pro ut Spi-*

ritus Sanct9 dabat eloqvi illis, Act. 2. v. 8. ita ut Parthi, Medi, Elamitæ, item qvi habitabant in Mesopotamia, Judæa, Cappadocia, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphilia, Ægypto, Lybia, in Creta & Arabia audirent eos loqventes in suis lingvis, versu. 9. 10. 11. si autem licitum est Dei magnalia audire, licitum qvoq; erit eadem legere in varijs lingvis, cum eodem fine scripturam legamus & audiamus. (3) Biblia non corrupta, ait Janssenius, mulieribus esse concedenda, & tamen Biblia latina illis permittit, qvæ sunt corruptissima, mendisq; ac vitijs scatent qvam plurimis, ut supra *n. 58.* demonstratum est. Fucum itaq; Monachi Christianis vendunt dum lectionem Bibliorum in lingva peregrina, qvam non intelligunt, ipsis permittunt.

353] *Ad dictum Joh. 5. v. 39. respondet, qvòd Christus solummodò Pharisæis & Legisperitis dixerit; scrutamini Scripturas.* Sed errat, nam (1) in illo capite non legitur, qvod solummodo cum Pharisæis & Legisperitis sermonem habuerit, verum in genere cum Judæis, qvi ipsum perseqvebantur, & qværebant trucidare *v.* 16. hos ducit ad Scripturas & lectionem illarum. (2) Ad qvos pertinet vita æterna & Christi cognitio, illos ad scrutinium Scripturæ deducit, dum ait: scrutamini Scripturas, qvia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, qvæ testificantur de me: atqvi non tantùm ad Pharisæos & Legisperitos verum ad omnes etiam Laicos Christi cognitio & vita æterna pertinent, ergo omnes etiam Laicos ad scrutinium Scripturarum in hoc loco ducit. Ad dictum 2. *Tim.* 3. v. 16. excipit, qvod Paulus le-

ctionem Scripturæ commendaverit, sed Timotheo Episcopo. Respond: (1) Paulus ait versu. 15. qvod Timotheus *à pueritiâ*, sacras literas didicerit, at Timotheus â pueritiâ non fuit Episcopus, qvomodo ergò solùm in respectu officij Episcopalis ipsi Scriptura commendatur? (2) Ad qvos pertinet finis Scripturæ scilicet informatio ad salutem & fidem in Christum illis Scripturæ lectio commendatur v. 15. atqvi finis iste non tantùm ad Episcopos, sed ad omnes, etiam Laicos pertinet, ergò Scripturæ lectio non tantùm Episcopis, sed omnibus hominibus commendatur. Imò ad qvos pertinet perfectio & bonorum operum instructio, illis Paulus commendat Scripturam v. 17. atqvi non tantùm ad Episcopos, sed etiam Laicos ista perfectio & bonorum operum instructio pertinet, ergò non tantùm Episcopis, sed etiam Laicis Scriptura â Paulo commendatur. Manet itaq; Sacrosancta Scriptura verum & genuinum Augustanæ Confessionis & totius fidei Christianæ principium & fundamentum, nec â lectione illius Laici jure ullo arceri possunt.

Caput decimum tertium.

De Medijs propagandi Religionem & de Hispanicâ Inqvisitione in specie.

354] MEmbrum secundum jam seqvitur in argumento nostro pro religione Lutheranâ, qvod est desumptũ *â medijs plane divinis, qvibus ista Religio est propagata*; ita enim argumentamur: qvæcunq;

cunq; Religio per omnes fidei articulos cum verbo Dei consentit, non per humana sed divina media est propagata & conservata, illam sanctam & divinam esse oportet; Religio Lutherana talis est, ergò eam sanctam & divinam esse oportet. Membrum secundum minoris probatur per remotionem mediorum falsorum, & positionem mediorum divinorum. Falsa media sunt (1) Exercitus & vis bellica (2) mandata Principum (3) divitiarum & dignitatum illecebræ, (4) Hispanica Inqvisitio: media hæc Lutherus non usurpavit in propagandâ religione. Vera autem & divina media sunt (1) Verbi prædicatio (2) ardentissima precatio, qvibus medijs olim Apostoli usi sunt in transplantando Evangelio *Mar.* 16. v. 20. 1 *Cor*. 1. v. 21. *Act*. 1. v. 14. *Act* 2. v 42. *Act*. 4. v. 31. Hisce medijs Lutherus usus est, ut prolixe fuit probatum. Qvibus accessit illud, qvod nullâ violentiâ nullâ machinatione Pontificiorum Vir iste Θεόσδοτος potuerit cogi, è medio tolli, aut labor ipsius impediri, Deo mirabiliter ipsū protegente, & manu potentissimâ Evangelium suum per hoc organon transplantante. Qvid Janssenius ad hæc? in genere concedit *eam religionem esse divinam, qvæ ope divinâ & medijs legitimis propagatur & defenditur, atqvi hoc religioni Lutheranæ contigisse penitus negat seqventibus.*

355] 1. Ait, *Lutherum turbas excitasse, supra cap. 11. esse probatum. Adducit præterea qvædam loca Lutheri in qvibus scribit, totam Romanæ Sodomæ colluviem armis esse impetendam, ex qva Admonitione rustici seditionem excitarunt. Postmodum celebrat armæ*

arma victricia, qvæ Pontificij hac tempestate circumferant, p. 222. 223. Respond: qvæ supra cap. 11. fuerunt allata, de turbis â Luthero excitatis, ibidem qvoq; sunt refutata. Locus citatur ex libro Lutheri *contra ordinem falsò Ecclesiast. dictum*, wieder den falschgenandten Standt der Geistlichen/ sed pagina libri illius nō additur. Lutherus qvoq; in illis verbis non qværit propagationem violentam suæ religionis, de qvâ nullum verbum ibidem legitur, sed concedit defensionem legitimam contra Tyrannidem Pontificis & Episcoporum, qvomodo enim illi in Spiritualibus pariter & temporalibus sævierint, Ecclesiamq; Christianam miserè cruciaverint, prolixè in illo libro ostenditur, mallem Janssenium ista omnia adscripsisse. Locum citat *contra Sylvestrum Prieratem*, sed neq; Tomum, neq; paginam istius libri addit, unde conijcitur Janssenium ista in ipso Luthero non legisse, sed tantùm ex alijs descripsisse.

356] Qvoties verò Lutherus duriora Papatui imprecatur, toties (1) enarrat qvid Papa Tyrannide suâ promeruerit, non vero docet violentas manus inferendas, & armis externis Antichristū esse tollendum, qvippe qvi interficiendus est Spiritu oris *Christi 2. Thess. 2. v. 8.* (2) Conditionaliter loqvi solet, nisi Papa destiterit Evangelium violenter eradicare, violenter ipsi resistendum esse ex jure omnium gentium. (3) Ejusmodi resistentiam svadet non per seditionem, sed legitimè per Principes & Magistratus, tanqvam Patronos & Tutores Ecclesiæ esse suscipiendam. (4) De bello sæpius loqvitur spirituali, verbo precibusq; gerendo,

rendo, qvæ omnia ſi obſerventur, facilimè ſenſus genuinus talium dictorum Lutheri poteſt erui. Falſiſſimum verò eſt, *qvod Ruſtici Luthero inſtigante ſeditionem adverſus Principes excitârint*. Lutherus namq; ſeriò docuit obedientiam Magiſtratui eſſe præſtandam, & ſeditionem præcavendam *Tom. 3. Jenen. fol. 106.* Ruſticis qvoq; ſeditioſis reſpondit, articulos eorum refutavit, & â ſeditione, eos dehortatus fuit *Tom. 3. fol. 121.* in Scripto peculiari demonſtravit Principes pontificios anſam dediſſe huic ſeditioni *Tom. 3. Jenen. fol. 114.* ad Principes pariter & Ruſticos ſcripſit, ac utrosq; ad concordiam revocavit *Tom. 3. fol. 122. Imò Bellarm. lib. 3. de Laicis cap. 2.* non diffitetur qvod Lutherus ſeditioſis Ruſticis ſeſe oppoſuerit. Qvam ſeriò autem Lutherus bella & ſeditiones religionis causâ diſſvaſerit, pacisq; amantiſſimus fuerit, prolixè legitur, *Tom. 2. Jenen. Germ. f. 62. Tom. 3. f. 148. Tom. 6. f. 7.* Victricia porrò Pontificiorum arma dum Janſſenius celebrat, nimis audacter hoc facit. Credo eqvidem, dum iſta ſcripſit, ſvaviſſima ſomnia habuit præſentium, ſed de futuris non cogitavit. Sors belli eſt inconſtans, de qvâ ante exitum nemo poteſt gloriari, multò minus religionis veritatem ex eâ probare, ut ſuo loco dicetur.

357] 2. Excipit, *Mandata & Decreta Principum in causâ religionis eſſe divina non humana*, probat hoc dictis *Rom. 13. Deut. 17. Proverb. 19. Eſa. 28. Proverb. 29. Pſal. 77. Pſal. 82. 1 Cor. 5. 1 Tim. 1. poſtmodum invehitur in Principes proteſtantes qvod pacem religionis fregerint, ſvadetq; armis ſubjugandum & am-*

& amputandũ esse omne pestiferũ in corpore Reipub. id qvod dicta citata velint. Resp. principaliter qværitur an Lutherus mandatis, coactionibus & minis Principum suam religionem propagarit, hoc Janssenio vel negandum vel asserendum erat. Digreditur autem à minore ad majorem propositionem & mandata cogentia & minitantia, qvibus religio propagari possit, ex Scripturis defendere satagit, sed satis miserè, ut ex seqventibus patebit.

358] *Rom. 13, v. 4. Magistratus non gerit gladium frustra, minister enim Dei est, si malum faceris time; jam verò Sacerdoti non obedire & hæreticum esse, malum est, ergò hæretici non solum leviter puniendi, sed etiam occidendi sunt.* Respondetur (1) per malum hic non intelligitur propriè falsitas doctrinæ, sed malitia vitæ. Paulus enim non ait, qvod Magistratus sit vindex in iram τῷ ψεῦδος διδάσκοντι, mendaciũ docenti & hæresin spargenti, sed τῷ κακὸν πράσσοντι, hoc est, moraliter peccãti, ergò ad hæresin coercendam hoc dictum malè allegatur. (2) Qvi non est Conscientiæ Dominus, is mandatis & pœnis suis conscientias cogere neqvit; Magistratꝰ autẽ nõ est cõscientiæ Dominus, sed coporis & bonorũ fortunæ, Deus enim sibi soli reservavit, ex nihilo aliqvid producere, futura præscire, & conscientijs dominari, ergò Magistratus mãdatis & pœnis conscientias cogere neqvit. (3) Vox gladij hic non sumitur strictè pro gladio materiali, aut supplicio capitali, seqveretur enim hac ratione, qvod Magistratus omnes etiam in minimis delinqventes, ebrios, rixosos, helluones, immorigeros gladio

dio deberet ê medio tollere, qvod nec ipsi Pontificij concedunt; sed in genere hic gladius accipitur pro potestate coercendi & puniendi delinqventes; unde seqvitur, qvod Magistratus etiam hæreticos posit coercere & punire, sed ex eo non statim infertur, ergo capitaliter. (4) Semper admittimus distinctionem inter hæreticos qvi sibi errant, & inter seductores blasphemos & seditiosos, hos gladio coercendos esse non negamus; de illis autem capitale supplicium esse sumendum ex hoc loco probari neqvit.

359] *Deut.* 17. v. 11. 12. *si qvis superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur ille homo, & auferes malum de Israel, cunctusq; populus audiens timebit.* Hinc concludit Janssenius, *ergo hæretici sunt occidendi, ut cæteri timeant.* Respond: (1) si in genere hæc lex ad Christianos omnes in Novo Testamento pertinet, seqvitur omnes illos esse occidendos, qvi vel Sacerdoti vel judici parere nolunt, qvod quàm absurdum sit, ipsi vident Pontificij. (2) Circumstantiæ textus monstrant, qvod non de crimine hæreseos hic propriè agatur, sed de inobedientiâ in causis forensibus gravioribus, fit enim ibi mentio Litis inter sangvinẽ & sangvinẽ, plagam & plagam *v.* 8. item portarũ urbis, in qvibus non Ecclesiastica, sed forensia judicia tractabantur; talis causa forensis jubetur deferri *v.* 9. ad Synedrium, qvod erat supremum judicium, in qvo sedebant Ecclesiastici pariter & politici, qvi juxta legem Dei pronunciabant, si qvis ergò huic judicio nolebat obedire, is capitaliter puniebatur. (3) Si maximè Idololatræ in hoc judicio

capi-

capitaliter fuissent puniti, demonstrandum tamen est in Novo Testamento hanc legem vigere, producendum est mandatum de imitatione hujus facti, qvod dum Pontificij facere neqveunt, capitale supplicium hæreticorum in Novo Testamento non probabunt.

360] *Proverb.* 19. v. 25. *Flagellato pestilente stultus erit sapientior, non de* erroribus doctrinæ, sed vitæ Salomo loqvitur. *Sic cap* 29. v. 15. *virga & correptio tribuunt sapientiam*, de pueris rectè educandis loqvitur. Hinc in seqventibus addit: *puer autem, qvi relinqvitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Esa.* 28 v. 19. *sola vexatio dat intellectum*, loqvitur de cruce & afflictione divinitus immissâ qvæ probat Christianos, & attentionem verbi in illis excitat. Psal. 77. recensentur plagæ, qvibus Deus impœnitentes & contumaces Judæos afflixit, qvi tandem humiliati ad Deum convertebantur. Qvid autem hoc ad mandata Principum subditos ad religionem cogentium? Psal. 82. v. 17. imprecatur David hostibus Ecclesiæ, ut Deus in irâ suâ eos confundat, ut tandem qværant nomen ipsius; ubi de modo religionem propagandi, & in animos hominum vi coactivâ transplantandi ne verbulum qvidem extat. Sic Paulus 1. Cor. 5. v. 7. jubet vetus fermentum expurgare, non violentis mandatis & coactionibus Principum, dominium in conscientias sibi vendicantium, sed veritate doctrinæ & sinceritate vitæ v. 8. 1. Tim. 1. Paulus Hymenæum & Alexandrum tradit Satanæ, sed de vi coactivâ & externâ violentiâ ne verbulum qvidem addit. Miserè itaq; Monachus dicta

ista torqvet ad suum propositum, qvæ tamen sunt aliena, & thema nostrum (an homines debeant mandatis minitantibus ad religionem cogi?) simpliciter non attingunt, ne dum probant.

361] An verò *Bohemi sint perduelles, an Principes protestantes fregerint pacem religionis, an perfidiâ suâ provincijs exciderint*, ut Jansenius blaterat, id prorsus est politicum & ad forum judiciumq; Monachorum non pertinet. Judici vivorum & mortuorum hæc omnia committamus, qvi maliciosa papicolarum consilia & molimina adventu suo glorioso confundet, suamq; Ecclesiam ex sangvinolentis persecutionibus manu potenti liberabit. Verissimum itaq; est, nec Lutherum mandatis cogentibus in propagando Evangelio usum fuisse, nec modum istum religionem propagandi divinum esse. Impius Nebucadnezar mãdato publico subditos cogebat ad cultũ idoli aurei Dan. 13. v. 4. seq. Crudelissimus Antiochus mandatis & torturis cogebat Judæos ad Idololatriam 2. Macc. 7. Christus verò & Apostoli hisce medijs veritatem cœlestem non propagarunt.

362] 3. Excipit, *qvod Bellarminus felicitatem temporalem notam Ecclesiæ qvidem doceat, sed Ecclesiæ defensoribus divinitus collatam; illecebris autem divitiarum & dignitatum Pontificios neminem convertere ad suam religionem, Lutherum potius avaritiæ & crudelitati fenestram aperuisse in libro de libertate Christianâ, & Lutheranos propter opes ac dignitates ad Ecclesiam Pontificiam nolle transire*, p. 228. 229. Respondemus: Si Bellarminus felicitatem temporalem divinitus datam docet es-

se signum Ecclesiæ, utiq; felicitate temporali homines ad Ecclesiam Papisticam allicit, qvi enim aliqvid pro notâ rei ponit infallibili, is eo ipso hominem ad rem istam cognoscendam & amplectendam irritat atq; incitat. Sed ait Janssenius, *divinitus* datam felicitatem esse intelligendam. Malè; nam & impijs felicitas temporalis divinitus datur, *Deus enim ventrem illorum replet abscondito suo*, expressè legitur Psal. 17. v. 14. Qvoties Turcæ divinitus victoriam reportarunt contra Christianos? de manu Domini etiam impij accipiunt divitias, honores, liberos & omnia bona hujus vitæ, *omnia enim dona proveniunt à Patre luminum Jac.* 1. v. 17. itaq; felicitas temporalis etiam divinitùs collata non est nota Ecclesiæ. Scriptura potius multam crucem prædicit veris Ecclesiæ membris in hac vitâ, *per qvam oportet nos ingredi in regnum cœlorum Act.* 14. v. 22. *qvi piè vivere volunt in Christo persecutiones patientur 2. Tim.* 3. 12. *vos plorabitis & lamentabimini, mundus autem gaudebit Joh. 16. v. 20. si essetis de mundo, mundus, qvod suum est, diligeret, qvia autem vos selegi de mundo, ideo mundus vos odit Joh. 15. v. 19.* Impijs contrà magna vitæ hujus felicitas prædicitur Job. 21. v. 7. 8. 13. Psal. 73. v. 5.

363] Sed *Defensores* intelligit Janssenius, *qvi victorias reportant ab hostibus*; malè & hoc: Qvoties Philistæi Israelitas, Turcæ Christianos, Calviniani Hispanos in Hollandiâ vicerunt, nec tamen ideo Philistæos, Turcas, & Calvinianos Monachi agnoscunt pro verâ Ecclesiâ. Cives in Ai percu-

tiebant Iſraelitas Joſ 7. v. 4. 5. ſeq. Philiſtæi 30000. Virorum in Populo Dei interficiebant 1. Sam. 4. v. 10. Rex Joſias in prælio ſuccumbebat 2. Chron. 35. v. 34. Maccabæi ſæpius vincebantur 1. Macc. 9. v. 2. Imò Antichriſtus ipſe vincet SanctosApoc. 13. v. 7. nec tamen ſeqvitur iſtas victorias eſſe veræ Eccleſiæ notas infallibiles. Et qvid? nonne Angli profligarunt claſſem Hiſpanam in magnâ illâ expeditione nauticâ? nonne Hollandi terrâ mariq; Pontificios heroicè & magnanimiter vicerunt ſæpius vel intra hoc ſexennium; nonne Sereniſſimus Sveciæ Rex beatæ memoriæ aliqvoties ſtupendam Pontificiorum aciem copijs paucioribus & inferioribus mirabilitèr vicit hactenus? ſeqvetur ergo nunc Anglos, Hollandos, Svecos eſſe veram Eccleſiam propter has victorias, aut falſum eſt principium, qvod victoria ſit certum & infallibile veræ Eccleſiæ ſignum. *Fides* potius eſt victoria Chriſtianorum 1. Joh. 5. v. 4. qvi *ſangvine agni & verbo teſtimonij vincunt* Satanam, illi ſunt veræ Eccleſiæ membra, etiamſi hic ſuccumbant, & *vitam ſuam ad mortem usq; non ament* Apoc. 12. v. 11.

364] Qvod verò Janſſenius negat, *Pontificios ad ſuam religionem homines ſpe lucri & dignitatum adigere*, illi contrariatur experientia, loqvuntur Sileſia, Bohemia, & regiones qvamplurimæ ubi apoſtatæ ad dignitates evehuntur, divitijs augentur, qvi verò characterem beſtiæ gerere nolunt, exilio, carcere & paupertate mulctantur. *Tannerus in Anat. Auguſt. Conf. part. 2. Dem.* 5. § 224. Lutheranis paupertatem ſcabioſe obijcit. Et Janſſenius

senius noster fatetur, felicitatem temporalem divinitus datam Ecclesiam signare. Qvæ Luthero obijcit ac si *in libro de libertate Christianâ avaritiæ fenestram aperuisset*, gratis dicuntur, nec verbulum, nec periodus citatur, in qvâ Lutherus doceat, divitiarum & dignitatum causâ religionem esse amplectendam. Falsum deniq; est, *Lutheranos, ex amore divitiarum & dignitatum suam religionem nolle deserere, & ad castra Pontificia ire.* Contrarium enim docent vel multa millia Exulum ex Austria, Moravia, Boemia, Silesia, alijsq; locis apud nos oberrantium, qvi omnia bona sua potius reliqverunt, qvam Antichristo adhærere voluerint. Cum Mose prætulerunt paupertatem Christi omnibus thesauris Ægypti & Romanæ Sodomæ Hebr. 11. v. 25. 26.

365] 4. Descendit Janssenius *ad Hispanicam inqvisitionem*, *eamq; commendat prolixâ declamatione* p. 231. 232. 233. 234. in qva tamen præter otiosa verba nihil reperias. Ad Scripturam provocat, & qvidem ad exempla *Mosis, qvi 23000 hominum interfici præcepit Ex. 32. Eliæ, qvi 450. Baalitas gladio interfecit, 1. Reg. 18. Phineæ, qvi Principem Tribus Simeon pugione transfixit Num. 25. Davidis Psal. 100. Zachariæ cap. 13. Petri interficientis Ananiam & Sapphiram Act. 5. Dei ipsius, qvi sanxerit inqvisitionem Hispanicam Deut. 13. Christi, qvi flagello expulit sordidos negotiatores ex templo Joh. 2. Pauli imprecantis Principi Sacerdotum Act. 23. & falso Prophetæ cæcitatem immittentis; qvorundam etiam Imperatorum, qvi hæreticos interfecerunt. Respondet deniq; ad tacitas objectiones Matth. 13. & 18.* Examinabimus singula.

 366]

366] *1. Mosis exemplum Ex. 32. præcipientis interficere 23000. idololatrarum*, nihil ad rem facit. nam (1) non est qvæstio, qvid in veteri Testamento factum fuerit, sed qvid in novo fieri debeat. (2) Exempla sola non valent, nisi addatur præceptum, jam verò nullibi legimus mandatum de imitando Mosis facto, qvapropter solo exemplo nihil evincunt Pontificij. (3) Moses hoc fecit ex mandato divino, ita enim Israelitis dixit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, ponat vir gladium super femur suum, & occidat unusqvisq; fratrem suum & amicum Ex. 32. v. 27.* tale mandatum erat speciale ad casum istum directum, qvale Pontificij in Novo Testamento non possunt producere (4) Moses nõ interfecit omnes idololatras sed tantùm 23000. pro cæteris deprecatus est apud Dominum v. 28. 29. 30. seq. seqveretur ergo ex hoc exemplo non omnes sed tantùm qvosdam hæreticos esse occidendos. (5) Levitæ v. 28. occiderunt illos idololatras, seqveretur ergo qvod Ecclesiæ ministri hæreticos interficere deberent, qvod absurdum & falsum. (6) Israelitæ illi non erant simplices hæretici, sed idololatræ, errabantq; non ex infirmitate sed ex malitiâ & πϱοαιϱέσει, inierant antea fœdus cum Deo, qvod turpiter violabant, qvod Moses vocat v. 30 *peccatum maximum*. Exemplum itaq; istud Hispanicam Inqvisitionem stabilire neqvit.

367] *2. Eliæ exemplum mactantis Sacerdotes Baaliticos* multò minus aliqvid evincit. Nam (1) nudum est exemplum de qvo imitando mandatum

tum non habemus. (2) Erat factum heroicum ex peculiari Spiritus Sancti instinctu profectũ, qvomodo enim Elias 450 Prophetas Baal & 400 Prophetas Lucorum interficere potuisset, vir unicus tot homines nisi heroico indutus Zelo; hinc inqvit. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum 1. Reg. 19. v. 10.* facta autem heroica non sunt imitanda. (3) Elias non erat judex aut Rex, sed Propheta, seqveretur ergo ministros Ecclesiæ & Doctores verbi debere hæreticos interficere, qvod absurdum, nec ipsi Pontificij concedunt (4) Magnum discrimen est inter falsos Prophetas Baaliticos & inter simplices hæreticos hoc tempore: illi errabant in praxi circa cultum divinum, hi potissimum errant in theoria circa doctrinam, illi erant seductores & populum â vero Deo abducebant, hi sunt seducti ab alijs, qvi sibi tantùm errant, nec alios seducunt; illi erant contumaces, videntes enim miraculum ignis de cœlo cadentis, nihilominus malitiosè perseverabant; hi rationibus & dictis scripturæ possunt commoveri & convinci; illi erant seditiosi, animosq; Achabi & Jesebelis ad persecutionem turculentam incitabant, hi potissimum sibi vivunt, aliena non curant, multominus qvenqvam ad truculentiam incitant. A seductoribus autem â seditiosis, contumacibus & manifestis idololatris ad simplices hæreticos nulla valet conseqventia.

368] *3. Exemplum Phineæ interficientis Principem de tribu Simeonis, scortantem cum Moabiticâ fœminâ. Num.* 25. v. 8. huc non pertinet Nam (1) nõ habemus mandatũ de facto isto imitãdo (2) Dux

iste de tribu Simeonis non errabat in doctrinâ, non fovebat hæresin, scortabatur cum Midianitide, seqveretur ergo ex hoc exemplo, non hæreticos sed scortatores & adulteros esse interficiendos. (3) Phineas filius Eleazari, filius Aronis hoc faciebat, Phineas autem iste non erat Judex, sed Sacerdos, seqveretur igitur Ministros Ecclesiæ habere potestatem & jus gladij super scortatores & adulteros, qvod est ἄγραφον & absurdum. (4) Factum hoc fuit singulare, heroicum & extraordinarium, interfectis enim istis scortatoribus *cessavit plaga â filijs Israel; dixitq; Dominus: Phinees avertit iram meam â filijs Israel qvia Zelo meo commotus est contra eos, zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israelis v.* 9. 10. 11. 13. laudatur qvoq; hoc factum Psal. 106. v. 30. & 1. Macc. 2. v. 54. unde liqvet Phineam Zelo heroico indutum hosce delinqventes occidisse. (5) â pœnâ scortatorum & adulterorum ad pœnam hæreticorum & modum convertendi homines ad veritatem Evangelij, nulla valet conseqventia.

369] 4. *Davidis dictum Psal. 101. v. 8. In matutino interficiebam peccatores terræ, ut disperderem omnes operantes iniqvitatem,* Hispanicam inqvisitionem non confirmat. Nam David non loqvitur de Hæreticis, qvi falsam fovent doctrinam, sed de impijs, qvi peccant in vitâ, & operantur iniqvitatem. Tales enumerat v. 5. 7. *detrahentes proximo* seu calumniatores, *superbos & insatiabili corde, mendaces,* hos David disperdebat, seu ut fontes loqvuntur, *succidebat, exstirpabat.* Ubi ne verbulo

lo qvidem hæreticorum mentionem facit ; dictum itaq; hoc impertinenter allegatur.

370] 5. Zach. 13. v. 3. Leguntur eqvidem hæc verba: *Et erit, cum prophetaverit qvispiam, dicent ei pater & mater ejus, qvi genuerunt eum, non vives, qvia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater & mater ejus genitores ejus cum prophetaverit :* Capitale supplicium verò hæreticorum hic non stabilitur. Sermo est de statu Novi Testamenti, ut antecedentia & conseqventia monstrant, in specie de abrogatione idololatriæ & pseudoprophetarum: metaphoricè autem loqvitur Propheta, nam (1) Configere non est supplicium Pseudoprophetarum â Deo mandatum, verùm lapidare; qvapropter confixio seu transfixio propriè non potest intelligi. (2) Affectui parentum naturali non convenit eos transfigere, qvos genuerunt, Parentes gladio non occidunt liberos proprios. (3) Versu seqventi dicitur de istis Pseudoprophetis, *confundentur*, seu pudore afficientur, qvi autem gladio sublatus est ê medio, qvomodo is amplius potest, pudore affici aut confundi? (4) Pseudopropheta introducitur non occisus sed castigatus, & ad pœnitentiam redactus, qvæ omnia monstrant propriam transfixionem hic non posse intelligi. Verùm ista confossio seu transfixio est spiritualis, qvæ fit gladio Spiritus Sancti, ut excommunicatione & falsorum dogmatum refutatione, nullo habito personarum respectu; *arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia* 2. Cor. 10. v. 4. Hinc phrasis, *non vives*, de privatione vitæ naturalis non potest intelligi, sed de amis-

amiſſione vitæ Spiritualis & æternæ, qvi enim falſam ſpargit doctrinam, *alienatus eſt â vitâ, qvæ eſt Dei Eph. 4. v. 18. nec partem habiturus eſt in alterâ vitâ* qvo ſenſu vox, *vivere*, uſurpatur Ez. 18. v. 24. cap. 33. v. 12. Metaphoricum verò hunc ſenſum evincit tota fidei analogia de hæreticis convertendis, de qva, paulo poſt dicetur, *omnis verò interpretatio fidei debet eſſe analoga Rom.* 12. v. 6.

371] 6. *Exemplum Petri adducit, Ananiam & Sapphiram morte percutientis Act.* 3. qvod tamen legitur Act. 5. Sed hoc nihil ad Hiſpanicam Inqviſitionem. Nam (1) Ananias & Sapphira non ob hæreſin ſed ob hypocriſin ſubitâ morte fuêre puniti qvæſtio autem noſtra loqvitur de hæreticis. (2) Nos qværimus qvânam pœnâ Magiſtratus debeat coercere hæreticos, Petrus autem non fuit Magiſtratus, ſed Apoſtolus, qvi pœnam non intulit, ſed â Deo inferendam denunciavit. (3) Petrus non niſi verbo utebatur, qvo Ananiam interficeret, ſed Pontificij utuntur ferro & igne, magna igitur eſt inſtrumentorum diverſitas. (4) Exemplum hoc ſolum nihil evincit ſine mandato, tentent hoc Monachi an ſolo verbo qvemqvam hæreticorum poſſint occidere, nempe carent verbo, carent promiſſione adeoq; ipſo effectu & operatione. (5) Singulare igitur & extraordinarium eſt hoc factum, qvod hactenus nemo imitari auſus eſt, adeoq; ad regulam aliqvam communem reduci non poteſt.

372] 7. *Deut. 13. jubentur Pſeudoprophetæ occidi* Sed nec hoc Hiſpanicam inqviſitionem ſtabilire poteſt Nam (1) Qvædam leges forenſes nô amplius obli-

obligant in Novo Teſtamento, maledicens Parentibus aut percutiens eos non amplius interficitur, qvod tamen præcipitur Ex. 21. v. 15. 17. Bos hominem percutiens non amplius lapidatur, & Dominus bovis non amplius occiditur, qvod tamen præcipitur v. 28. 29. Filiæ Sacerdotum ſi fornicantur, igne non comburuntur, qvod mandatur Lev. 21. v. 9. Templa idololatrica non amplius deſtruuntur, qvod tamen jubetur Deut. 12. v. 2. ſeq. itaq; leges qvædam Moſaicæ Chriſtianos amplius non obligant, Põtificijs ipſis nõ diffitentibus. Proferatur ergo ratio de hac ſolâ lege, cur nos eâdem obligemur? Lex de capitali ſupplicio hæreticorũ ad ſolos pertinebat Judæos, qvos Deus legibus arctioribus voluit cõſtringere certis de cauſis. In populo Iſraelitico voluit Eccleſiã ſuam ordinariè cõſervare, rigoroſis igitur edictis voluit præcavere, ne novũ cultũ fingerẽt, & totã Eccleſiã everterent. Habebat populus iſte legẽ clariſſimã, habebat miracula freqventiſſima, dona innumera & ſingularia, unde ſcelus augebatur, ſi qvis à vero Deo ad peregrina numina colẽda trãſibat, adeoq; ſupplicio graviori puniendũ erat. Ex hoc populo oriũdus erat Meſſias, ne, itaq; diſtraheretur, fidesq; promiſſionũ & nativitas Meſſiæ dubia redderetur, rigoroſis ſupplicijs maximè opus erat, in novo autem Teſtamento lex iſta ſublata eſt Luc. 9. v. 55. (3) Nõ de ſimplici hæretico ibi eſt ſermo, qvi ex infirmitate judicij errat, ſed de blaſphemo & ſeditioſo Idololatrâ v. 2. & 5. qvi à vero Deo populum avertebat ad Deos alienos & cultum illorum; nos verò de nudis hæreticis loqvimur, non de blaſphemis

& ſe-

& seditiosis. (4) Eodem capite v. 13. seqq. mandatum exstat de urbibus succendendis & evertendis, in qvibus idololatria fuerit exercita; atqvi si ista lex nos obligaret, qvot urbes essent succendendæ, & in cineres redigendæ? leges igitur istæ Mosaicæ forenses Ecclesiam Christianam amplius non obligant.

373] *8. Christus flagellis expulit negotiatores in templo Joh. 2. v. 15.* Respond; (1) Christus non occidit, sed ejecit ex templo negotiatores, nos autem non de ejectione sed de occisione qværimus. (2) Homines illi non erant hæretici, non ob hæresin eijciebantur, sed qvia mercibus & negotiationibus suis templum Dei prophanabant, nos autem de hæreticis loqvimur. (3) Factum hoc fuit singulare & extraordinarium, de cujus imitatione mandatum non habemus, Christus enim implebat vaticinium illud: *Zelus domus tuæ me comedit* Psal. 69. v. 10. (4) Christus eijciebat istos nummularios, nos autem qværimus de Magistràtu politico, qvanam pœnâ debeat hæreticos coercere, Christus autem non Magistratus, sed Doctoris Ecclesiastici officio fungebatur. (5) Hac ratione Ministri Ecclesiæ etiam deberent violentas manus hæreticis inferre, qvod nec ipsi Pontificij admittunt. (6) Christus utebatur flagello, sed Papistæ utuntur ferro & igne, adhibent tortores & carnifices; unde patet Hispanicam inqvisitionem in hoc exemplo neutiqvam fundari.

374] *9. Paulus Elymam imprecando excœcabat Act. 13. v. 11. & Principi Sacerdotum maledicendo respondebat: percutiat te Deus paries dealbate Act.* 23. v.

23. v. 3. Respond: exempla ista prorsus impertinenter allegantur. Nam (1) Paulus erat persona Ecclesiastica, nos qværimus de Magistratu politico, qvomodo is hæreticos debeat coercere (2) Elymas erat incantator, Princeps Sacerdotum erat judex injustissimus, Paulum iniqvè percutiens, non autem qværitur de incantatoribus & injustis prætoribus, sed de hæreticis. (3) Paulus verbo imprecatorio excœcabat Elymam, Pontificij autem à verbis ad verbera transeunt, ignem, funem, rotam & ferrum adhibent. (4) Exempla ista monstrant qvod Paulus ex Spiritu heroico fecerit, mandatum verò deest de imitatione, repugnat etiam simplex *ἀδυναμία*, etiamsi enim Monachi millies Lutheranis imprecentnr, solis tamen verbis neminem excœcabunt. (5) Paulus non interficiebat Elymam, sed cœcitatem à Deo inferendam imprecando ipsi denunciabat, nos autem loqvimur de hæreticis interficiendis. Exempla igitur ista inqvisitionem Hispanicam non stabiliunt.

375] 10. *Exempla qvædam affert Janssenius, qvod olim hæretici fuëre interfecti.* Sed respond: (1) non qværitur de consvetudine humanâ, sed de jure divino, non qvid homines fecerint, sed qvid Deus faciendum præceperit. (2) Imperatores in casibus peculiaribus certis de causis ista fecerunt, unde communis regula exstrui non potest (3) Neq; nos simpliciter negamus hæreticos capitaliter esse puniendos, de blasphemis, seditiosis & sangvinarijs hæreticis hoc libenter concedimus, qvales Donatistæ fuerunt, hi, ne alios tollant, è

medio

medio tollendi sunt. (4)Non omnes Imperatores hæreticos capitaliter puniverunt, Constantinus Magnus pœnam exilij illis intulit, Theodosius mulctam pecuniariam addidit, Justinianus qvoq; hæreticos tantum expulit, non interfecit, qvos gradus pœnarum ab Imperatoribus fuisse observatos, fateri cogitur *Bellarm. lib. 3 de Laicis cap. 21.*

376] Ut autem videat benevolus Lector, qvid sit Hispanica Inqvisitio, qvam fraudulenter & crudeliter miseri Christiani in illa tractentur, adscribam verba *Florimundi Ræmundi ex lib. 5. cap. 6.* qvem authorem Pontificij aliàs magni faciunt. Sic verò ille : *Qvicunq; hæreseos suspectus fuerit, ab officiario qvem Familiarem vocant, coram inqvisitoribus comparere jubetur. Nulla hic fuga, nulla dilatio. Nihil fassus liber dimittitur, constituto tamen Corycæo qvi omnia ejus nihil tale cogitantis dicta & facta observet. Si qvidqvam Romanæ Ecclesiæ contrarium in eo animadvertatur, inqvisitorum jussu comprehenditur, & judicio sistitur. Illud verò notatu dignum est, qvod tam contra accusatorem, qvam reum diligens habetur qvæstio, utrum scilicet vir bonus sit, ac præcipuè num inter ipsum & delatum inimicitiæ intercedant. Sed & qvem familiarem vocari diximus Officiarius talis eligitur, qvi in ijs, qvæ ad religionē pertinent inculpatus, & qvi à qvarto gradu usq; tam paternæ qvam maternæ cognationis è Christiana prosapia sit ortus. Audito ac dimisso reo, provisor, seu Vicarius, vel Diæcesanus vocatur, & ad ejus relationem accusatus vel liber pronūciatur, vel in vincula conijcitur. Fugientē Alguazil seu lictor inqvisitionis perseqvitur itē; Hermandatus seu fraternitas, de qva supra : tantoq; major hic adhibetur*

dili-

diligentia qvanto fugiens majoris est autoritatis & cõditionis, Capti bona omnia consignantur, damnati confiscantur. In his omnibus administrandis judices summam adhibent integritatem, qvi omnes opulenti sunt, & ab avaritia & corruptionibus alieni. Ut verò leves ac temerariæ accusationes impediãtur, is qvi falso aliqvẽ aut per invidiã accusasse deprehensus fuerit, severe punitur. Captivis omnia præter vestẽ auferuntur. Ubi octiduũ circiter in carcere desederit, â custode carceris monetur, ut â judicibus audientiã petat, qva impetrata, ab ijsdẽ monetur, suppresso interim accusatoris nomine, ut culpam sua sponte fateatur, promissa, si id fecerit, impunitate; & êcontra terrore mortis ob oculos posito, si nihil fassus fuerit, in carcerẽ reducitur, ac deinceps iterũ atq; iterũ judicio sistitur, utq; suæ cõscientiæ rationem habeat, monetur, si omnibus artibus nihil ab eo exsculpi qveat, Crux & Missale apportantur, super qvibus juramentum facere recusans, statim damnatur. Juratus, nõ tamen statim absolvitur, sed infinitis qvæstionibus de patriâ, amicis &c. urgetur. Ubi nihil fateri eum judices vident (qvi enim benè instructi sunt, nunqvam seipsos accusant, nec prius loqvuntur, qvã ea qvorũ accusantur intellexerint) tum accusationẽ ei aperiunt, testium tamen aut delatorum nomina reticent, de qvibus divinare magis ex privatis inimicitijs, qvam certi aliqvid scire licet. Inde Procuratorem seu Advocatum sibi eligit, qvi ab eo informatus, ad singula respondeat: qvod melius est, qvam si ê vestigio respondere cogatur. Duo testes fide digni atq; irreprehensibiles ad rei damnationem sufficiunt, non tamen semper, præsertim si de capite agatur, Prætor verò apud qvem captivi asservantur, solus sufficit, unus tamen testis ad

tortu-

torturam non sufficit, nisi certas conjecturas aut alias graves habeat rationes. Postqvam diebus aliqvot reus de testibus seu delatoribus conjecturam fecerit, productus inqvisitores interrogat; num ab his vel illis inimicis scilicet suis, sit delatus. Qvamvis autem testium nomina divinare aut scire non posit, aliis tamen rationibus purgare se potest, nimirum si probaverit se cum Ecclesiasticis habuisse amicitiam, observasse præcepta Ecclesiæ, dies festos, jejunia, Missas audiisse, & cætera qvæ heretici impugnant, obiisse. Ad hæc producenda novem dies integri reo conceduntur. Exploratis omnibus, inqvisitores, qvi sunt Ecclesiastici ordinis & Theologi, de fide responsa examinant: qvibus si innocentiam ille suam sufficienter probaverit, absolvitur, non tamen sine durâ aliqva pœnitentia, si metus aut suspicionis causa adhuc subsit, sicq; in carcerem ducitur donec de fide ejus plenè cognoscatur. Qvod si ex ore ejus nulla probatio extorqveri possit, qvæ vel ad condemnationem vel absolutionem sufficiat, torturâ res agitur, qvæ in Hispania fidiculis tantum fit aut aqva, etiam qvodcunq; ob delictum. Sed & supplicia ibi non tam atrocia sunt, ut in Germania, Gallia, & Italia. Hæretici igne puniuntur, cætera suppliciorum genera qvæ rota, corporum dissectionibus in qvatuor partes, eqvorum distractionibus &c. fiunt, Hispaniæ ignota sunt. Ad incutiendum verò terrorem, reus cum Vicario suo in locum subterraneum, horroris plenum ducitur, ubi jam ante judices consederunt. Interim Carnifex nigro habitu ac tecta facie, spiritus infernalis specie, ei occurrit, & ad judices abripit, qvi precibus & minis ab eo contendunt, ut ultronea confessione tormentorum dolores redimat. Nihil fateri volentem, judices carnifici

nifici torqvendum tradunt. Si qvæstione hac qvoq; nihil ab eo exprimatur, infinitæ aliæ artes illaqveandi hominem adhibentur. Subornantur qvi hæresis causa se qvoq; captivos simulant, & familiariter cum ipso conversantes, omnia ejus dicta & facta observant. Ubi certis argumentis reus hæreseos convictus fuerit, igni adjudicatur, sicq; flava tunica, in qva diabolorum horribiles species pictæ sunt (id genus vestis Sambenit vocant) indutus, & pileo ad turriculæ instar, in qvo homo ardens, & Diabolus capiti ejus insidens, itidem pictus cernitur, ad supplicium educitur, epistomio prius ori inserto, ne ad populum loqvi possit, si obstinatus maneat; si verò confessus fuerit & ante sententiam de se latam, pœnitentiam egerit, incredibili omnium gaudio, pœna expiandis ipsius delictis imposita, excipitur. Habes hic Lector pulchram illam Helenam, qvam Monachi tantopere deamârunt hactenus, in cujus amore Janssenius iste totus qvoq; furit, eamq; mirificè commendat tanqvam cœleste scutum & ancile divinum cœlitus delapsum, nos verò monstrum illud debellamus seqventibus argumentis.

377] 1. *Est doctrina & praxis Christi.* Christus ipse hunc modum agendi cum hæreticis per supplicia capitalia nec usurpavit, nec usurpandum præcepit: cum Samaritani ipsum nollent recipere, & Apostoli rei indignitate commoti dicerent: *Domine vis dicamus, ut ignis de cœlo descendat, & consumat illos, qvemadmodum Elias fecit,* increpavit eos Christus dicens: *nescitis cujus spiritus vos estis, Filius hominis non venit animas perdere sed salvare Luc. 9. v. 54. 55. 56.* Hic Christus Discipulos suos â rigore veteris Testamenti revocat ad man-

ſvetudinem novi fœderis, prohibetq; Samaritanos igne conſumere ob religionis diverſitatē, addita ratione, qvia ſunt Diſcipuli illius, qvi venerat non ad perdendum ſed ad ſalvandū animas. Hinc firmiſſimè cōcluditur, qvod in Novo Teſtamento Hæreticos occidere nō liceat. Samaritani enim ſimiles ſunt illis, qvi errant in fide, Diſcipuli Chriſti ſunt omnes fideles Chriſtiani, hi debent cogitare qvod ſint Diſcipuli illius, qvi venit ad ſalvandū nō perdendū animas *Bellarm. lib. 3 de Laicis c. 22.* duo excipit (1) Qvod Samaritani non promiſerint, ſe Chriſti religionē ſervaturos, qvod tamen hæretici promiſerint. (2) Qvod Apoſtoli non tam zelo ſalutis animarū, qvam vindictæ cupiditate voluerint Samaritanos igne comburi, cum tamen Eccleſia ſalutem animarum qværat. Sed reſpondetur. (1) Samaritani etiam promiſerunt, ſe Meſſiæ religionem ſervaturos, procul dubio enim fuerunt circumciſi, Jacobū namq; agnoſcebant pro Patre ſuo *Joh. 4. v. 12.* per verum Sacerdotem fuerunt inſtituti *2 Reg. 17. v. 28.* hinc mulier illa Samaritana apertè fatetur ſeſe Meſſiam expectare *Joh. 4. v. 25.* Samaritani igitur in hoc capite ſimiles ſunt hæreticis, qvi promittunt, ſe Chriſti religionem ſervaturos. Poſito autem qvod Samaritani id non promiſerint, unde probabunt Pontificij, illos tamen eſſe occidendos, qvi promiſerint, parcendū verò illis, qvi non promiſerint, qvibus Scripturæ dictis, qvibus rationibus hoc evincent? Diſtinctio hæc eſt figmentum rationis Pontificiæ, unus eſt Spiritus Chriſti ſibi ſemper ſimilis, qvi gladio non corporali, ſed ſpirituali Eccleſiam propagat. Nec

ſeqvi-

ſeqvitur, hi vel illi promiſerunt ſe fidem Chriſti ſervaturos, & non ſervant, ergo ſunt occidendi: qvam multi promittunt ſe præcepta Chriſti ſervaturos de caſtitate, humilitate, ſobrietate, qvæ non ſervant, nec tamen ideo ſunt interficiendi. (2) Apoſtoli bonã habebant intentionem, nam provocabant ad exemplum Eliæ, explicabant veritatem Chriſti, pium affectum habebant erga Chriſtum, qvem Samaritani nolebant recipere, & tamen Chriſtus illos revocabat ad manſvetudinem. Qvod verò Pontificij qværant converſionem & ſalutem animarum, falſum eſt, ſupplicio enim capitali non convertunt, ſed evertunt plurimos, & ipſorum converſionem impediunt. Converſio præterea hominis non crudelitate, ſed alijs legitimis medijs promoveri debet.

378] Huc pertinet locus ille inſignis *Matt. 13. v. 28. 29. 30. de zizanijs*, cum ſervi dicerent Domino, *vis eamus & colligamus zizania?* inqvit Dominus; *non, ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul cum ijs triticum, ſinite utrumq; creſcere usq; ad meſſem.* Hic per zizania intelliguntur hæretici, qvod probat (1) oppoſitio ſeminis boni, per qvod pura verbi doctrina intelligitur *Matth. 13. verſu. 19. 1. Pet. 1. v. 23.* qvam filij regni amplectuntur *v. 38.* zizania ergò falſam denotant doctrinam (2) Scopus parabolæ; de illis enim zizanijs ſermo eſt, qvæ in agro Domini, in Eccleſiâ inveniuntur, hæreſes autem in ſolâ Eccleſiâ inveniuntur, qvilibet enim hæreticus eſt in Eccleſiâ, licet non de Eccleſiâ, qvi autem extra Eccleſiam eſt, non hæreticus, ſed infidelis eſt. (3) Natura zizanio-

rum, ut pulcra ſpecies, tritici admixtio, tritici ſuffocatio, & ſimilia, qvæ hæreſib9 competunt, qvod Janſſenius ipſe *p. 234.* ſeq. non diffitetur. De his zizanijs mandat Chriſtus: ſinite creſcere usq́, ad Meſſem, ne forte ſimul eradicetis tricitũ, hinc ita argumentamur: qvicunq; prohibentur evelli, illi violenter non ſunt occidendi, hæretici per zizania deſcripti prohibentur evelli, ergò violenter non ſunt occidendi. Imò qvicqvid cum periculo ſalutaris doctrinæ eſt conjunctum, nòn debet ſuſcipi, evulſio autem zizaniorum cum periculo tritici, hoc eſt, ſalutaris doctrinæ conjuncta eſt, ergo non debet ſuſcipi. Excipit Janſſenius *p. 235. qvod zizania non debeant evelli cum veræ fidei detrimento, tunc enim hæreſes eſſe tolerandas. Ubi vero major utilitas ſe oſtendit qvam damnum, ibi non prohibentur Eccleſiæ Meſſores ab agri Dominici expurgatione*; ſed Reſpond. (1) neq; ex hoc dicto, neq; ex alijs Scripturæ locis hæc limitatio probatur, ergò eâdem facilitate reijcitur, qvâ proponitur. (2) In textu contrarium legitur, Chriſtus erpreſsè ait, *non eradicetis, ne fortè cum zizanijs ſimul triticum evellatis v. 29.* docet his verbis majus damnum timendum, qvã emolumentum ſperandum eſſe ex violentis hiſce evulſionibus, poteſt enim fieri, ut vel innocentes occidantur, vel etiam hæreticorum converſio impediatur, namq; Auguſtinus primùm fuit Manichæus, poſtea verò ad fidem veram converſus eſt, ſi autem fuiſſet occiſus, converſio qvoq; iſta fuiſſet impedita. (3) Expreſsè prohibentur Meſſores Eccleſiæ (hoc eſt, Doctores ſimul & Magiſtratus, qvi omnes ſunt ſervi *Rom. 13. v. 4.* magni illius Patris.

trisfamilias) zizania evellere, addito perſpicuo mandato; *ſinite ἄφετε utraq; creſcere usq; ad Meſſem*; qvi habet mandatum, ut zizania hæreticorum ſinat creſcere usq; ad noviſſimum diem, is cum ſpe emolumenti ante extremam meſſem, violenter illa evellere nec poteſt, nec debet; tale mandatum verò habent pij Magiſtratus & Eccleſiæ Doctores, ergo cum ſpe emolumenti zizania hæreticorum ante extremam meſſem violenter evellere nec poſſunt nec debent.

379] 2. *Apoſtolorum doctrina & praxis* hoc etiam evincit. Apoſtoli nec hæreticos gladio occiderunt, nec interficiendos eſſe docuerunt. Præſcribunt illi nobis modum agendi cum hæreticis qvi conſiſtit (1) *in Spirituum probatione 1 Joh. 4. v. 1. 1 Theſſ. 5. v. 20.* (2) *In Miniſtrorum Eccleſiæ vigilantiâ Act. 20. v. 28. 31. Rom. 16. v. 17. Phil. 3. v. 2.* (3) *In hæreticorum refutatione 2 Tim. 4. v. 2. 3. 5. Tit. 2. v. 7. 8. 15. qvæ refutatio temperata eſſe debet zelo debito & Chriſtianâ manſvetudine, 2 Tim. 2. v. 24. 25.* (4) *Contumacium excommunicatione, ſicut Paulus Hymenæum & Alexandrum non occidebat, ſed Sathanæ tradebat, 1 Tim. 1. v. 20.* (5) *in illorum fugâ & deteſtatione, 1 Cor. 5. v. 10. 11. 1 Tim. 6. v. 5. Tit. 3. v. 10. Johan. Epiſt. 2. v. 10.* & Paulus expreſsè docet; *arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, 2 Cor. 10. v. 4.* ergo armis corporalibꝰ contra hæreticos pugnare non poſſumus. *Bellarm. lib. 3. de Laicis cap. 22.* excipit, tempore Apoſtolorum non fuiſſe Magiſtratum Chriſtianum, qvem potuiſſent implorare. Sed reſpondemus; implorari eqvidem poteſt

Magistratus,ut coerceat,sed non ut interficiat hæreticos, etiamsi tunc temporis fuisset Magistratus Christianus, Apostoli tamen eum non implorassent ad occisionem hæreticorum, pugnasset enim hoc cum doctrinâ ipsorũ, neq; ullibi nobis injunxerunt, ut eo fine Magistratus auxiliũ imploraremus. Rectè igitur concluditur, qvod hæreticorum occisio doctrinæ & praxi Apostolorum repugnet.

380] 3. *Natura qvoq; fidei & Religionis* non admittit, ut homines violenter gladio, igne, rotâ, fune ad eam cogantur. Deus enim (1) reqvirit *cultum spontaneum Psal. 110. v 3. coacta servitia ipsi non placent Lev. 19. v. 5.* (2) Nullibi mandavit homines ad religionem esse cogendos. (3) Non habemus exemplum Scripturæ, qvod homines vi & armis ad religionem fuerint coacti. (4) Varia inde promanant incommoda, animi enim magis abalienantur â religione, medijsq; hisce violentis exacerbantur, & multis cædibus ac periculosis motib9 ansa datur, ut bella in Belgio gesta testantur. (5) Frustraneũ qvoq; est & inutile, conscientia enim hominis nõ magis violenter cogi potest, ut credat, qvod credere renuit, qvàm oculus hominis cogi potest, ut videat nigrum, qvod non potest non videre ut album. (6) Omnipotentiã Dei tales sibi arrogant, qvi solus sibi reservavit imperium Conscientiarum. Bellarminus loco citato excipit, fidem esse qvidem Dei donum, actum tamen simul liberi arbitrij, sicut castitas & aliæ virtutes, interim rectè puniri adulteros. Sed respondemus: invitus eqvidem nemo credit, sed volens, qvod libenter concedimus, voluntas autem â Spiritu

San-

Sancto per verbũ efficaciter movetur. Invertimus igitur argumentũ & dicimus; qvia fides est res voluntatis qvæ per verbũ movetur, ideo externè ad fidẽ nemo cogi potest; puniri possunt illi, qvi nec justè nec castè vivũt, at nõ cogi; ita homo propter religionẽ potest torqveri, & affligi, cogi autẽ ad eã minimè potest, qva de re in hoc loco qværitur.

381] 4. *Antichristi proprietas est sævire ad sangvinem usq; in illos, qvi â religione ipsius dissentiunt. Dan. 8. v. 24.* Sub typo Antiochi de Antichristo vaticinatur, *interficiet robustos, & populum sanctum. cap. 11. v. 40. 41. multi corruent. v. 44. interficiet plurimos. Sic Apoc. 11. v. 7. legitur; bestia faciet bellum adversus testes Dei, & vincet illos & occidet illos c. 13. v. 15. faciet, ut qvicunq; non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Cap. 17. v. 6. Vidi mulierem ebriam de sangvine Sanctorum & de sangvine Martyrum Jesu.* Qvæ vaticinia de Antichristo magno loqvuntur. Qvicqvid autem proprium est Antichristi, illo Christiani veri uti non debent; occidere & ad sangvinem usq; sævire in dissentientes â religione, est proprium Antichristi, ut modò probatum, ergò istâ sævitiâ & Tyrannide veri Christiani uti non debent Qvi occiditur Christũ, qvi occidit Antichristum imitatur. Ecclesia Christi non sitit sangvinem, qvia Sponsus ejus est agnus, pulcrè Veteres dixerunt.

382] 5. *Incommoda varia huc pertinent, qvæ ex tyrannicâ hac sævitiâ proveniunt*; multi occiduntur, qvi successu temporis fuissent conversi; Tyrannis ista truculentissima multos indurat, ut in hæresibus pertinaciter pesteverent,

 pluri-

plurimi innocentes ſub ſpecie hæreticorum occiduntur. Malitia, avaritia, invidia vel judicis vel delatoris, vel teſtium innocentem hic facilè ſupprimunt: bella, ſeditiones & cædes excitantur, florentiſſima regna & Principatus ejusmodi tumultibus perturbantur & devaſtantur, exempla ſunt odioſa, univerſo tamen orbi Chriſtiano qvā notiſſima.

383] 6. *Judæorum tolerantiam qvidam noſtratium Theologi rectè opponunt.* Judæi ſunt infenſiſſimi hoſtes crucis Chriſti, blaſphemant Salvatorem noſtrum & Matrem ejus glorioſam, Sacramenta noſtra fœdè conſpurcant & dehoneſtant, Chriſtianos qvotidie peſſimis maledictionibus & imprecationibus laceſſunt, & qvicqvid in ignominiam Salvatoris noſtri cedere poteſt, non intermittunt, hoc autem tolerant Pontificij, capitali ſupplicio propter odium Chriſti eos non perſeqvuntur; ſi autem illi, qvi Chriſtum publicè blasphemant, non occiduntur, cur illi, qvi in Chriſtum ſunt baptizati, qvi Chriſtum pro fundamento ſalutis agnoſcunt, capitali ſupplicio ſupprimuntur? proferant Pontificij cauſas diverſitatum. Bellarminus eqvidem *lib. 3. de Laicis cap. 22* prætendit, *qvod Judæi non ſuſceperint fidem Chriſtianam ſicut hæretici*; ſed qva ratione ſeqvitur? ergò Judæi ſunt tolerandi, hæretici interficiendi. Qvi Chriſtum blasphemant, gravius peccant, qvàm qvi Chriſtianæ fidei capita qvædam ex infirmitate aut ignorant aut negant. Malè igitur parcunt Judæis blaſphemis, & hæreticos ex infirmitate & ignorantiâ ſæpius errantes occidunt. Prætendit ulterius; Judæi colunt

lunt religionem â Deo ad tempus institutam, hæretici autem â Diabolo inventam; falsum & hoc est. Religio hodierna Judæorum non est â Deo instituta, sed â Rabbinis inventa, atq; ex erroribus, blasphemijs, superstitionibus fabulisq; consarcinata, in qva gravissima Dei præcepta, paucis exceptis, violantur & negliguntur; hoc verò etiam est â Diabolo. Excipit ulterius; *Judæi tolerari possunt propter utilitatem librorum*: sed hoc est facere mala, ut eveniât inde bona, tolerare blasphemos, ut libris illorum ad usum nostrum possimus frui; hac ratione etiam omnes hæretici possent tolerari, cum & illorum libri nobis inserviant. Videmus in illis Satanæ versutiam, humani ingenij malitiam, Dei punientis iram, impletionem vaticiniorum de hæresibus in Ecclesiâ, excitamur ijs ad preces, ad prudentiam Christianam, ad studiosam lectionem Scripturæ, ob qvos fines utiles Pontificij hæreticos tolerare nolunt. Tandem prætendit; *Judæi non conantur Christianos seducere, qvod faciunt hæretici*, sed falsum hoc est, perturbant plurimos, scandala dant multis Christianis, corrumpunt bonos vitâ pessimâ, qvandoq; etiam qvosdam ad suam religionem protrahunt, ut exempla in Belgio testantur. Hæc & similia argumenta solidè evincunt Hispanicam Inqvisitionem in Ecclesiâ Christianâ non tolerandam sed potius exstirpandam esse.

384] Si qvis porro diabolicam crudelitatem & calliditatem inqvisitorum hæreticæ pravitatis plenius cognoscere satagit, is legat Tractatum Germanicum von der Tyrannischen Hispanischen

Inqvisition Heimligkeiten *Joachimi Beringeri Amberga editum Anno 1611.* Item/ Practiken der Spannischen *Inqvisition Reginaldi Gonsalvij Montani Heidelbergæ Anno 1569.* Item/ daß grosse Martyrbuch *D. Pauli Crocij Hanoviæ impressum per Gvilielmum Antonium Anno 1606.* qvi libri sine horrore & admiratione evolvi non possunt. Plura verò argumenta, contra iniqvissimum istum cum hæreticis agendi modum, producunt beatus *Balduinus in disputatione de hæreticis, Gerhardus qvoq; in Tractatu de Magistratu politico p. 1043. usq; ad 1123.* qvæ hic prolixè repetere nolo, ne actum agere videar.

385] Fuerunt hactenus media illegitima qvibus Lutherus in propagandâ religione usus non est: seqvuntur jam *legitima & divinitus ordinata*, verbi scilicet prædicatio, & ardentissima oratio, qvæ media Janssenius, ut reijcere non potest, ita Lutherum hæc media usurpasse negat *p. 237. usq; ad p. 244.* rationibus frivolis, qvas paucis examinabimus.

386] 1. *Ex Scoppio profert locum, qvi, Lutherum in Pathmo,* ait, *non orasse, sed ignibus carnis arsisse, nihil scripsisse nec studuisse, sed societati, crapulæ titillationi, negligentiæ se totum dedisse, & libidine, otio ac somnolentiâ servisse.* Respond: Scoppius est hostis Lutheri infensissimus, sibi ipsi & suæ religioni contra Lutherum testimonium perhibere neqvit. Provocat autem ad qvandam Epistolam Lutheri ex Pathmo scriptam; sit ita, Lutherum hæc scripsisse, qvomodo autem exinde seqvitur, cum prædicatione verbi & oratione in trans-

plan-

plantando Evangelio usum non esse? nam (1) Lutherus fuit homo infirmitatibus obnoxius, ut alij, qvid mirum ergo si pigritiâ, otio & alijs imbecillitatibus tentatus fuerit? caro adversus Spiritum concupiscit in sanctissimis viris *Gal. 5. v. 17.* ita ut etiam Paulus malum fecerit, qvod tamen noluit *Rom. 7. v. 15.* qvid ergo mirum si Lutherus luctam carnis & Spiritus qvoq; senserit? (2) Aliud est luctam carnis sentire, aliud est dominium carni concedere, illud est Christianorum, hoc minus, qvi in corpore suo mortali peccatis dominium concedere prohibentur *Rom. 6. v. 12.* superavit ergo Lutherus per gratiam Spiritus Sancti, ut libri ipsius testantur, qvos partim in Pathmo, partim post Pathmum scripsit. (3) Non mirum est si Lutherus in Pathmo suo otiosus fuit, labores ordinarios officij sui nō potuit ibidē continuare, scriptis suis & concionibus paulisper debebat qviescere, Elector Saxoniæ illum custodiebat & ab hostium persecutione præservabat. Qviescendum igitur ipsi erat, ne sese ipsū proderet, & hostibus suis prostitueret: in custodiâ autem & metu hostiū captivus animi alacritatem non sentit, ac fit in ordinarijs laboribꝰ publici officij. (4) Qvæstio est de medijs qvibus Lutherus Religionem propagavit, in pathmo autem religionem propagare nō potuit, inclusus enim in custodiâ, qviescebat â laboribus, ergò Pathmus nobis obijci nō potuit. (5) In Academiâ, in Ecclesiâ, in Disputationibꝰ, in concionibꝰ, in scriptis qvod tractavit, annō ibidē verbū Dei alacriter prædicaverit, annō solâ prædicatione sine armis & violentiâ tot myriades animorū converterit,

terit, hoc est, de qvo nos qværimus, ad qvod Janssenio respondendum fuisset.

387] 2. Obijcit porrò, *qvod Lutherus præcepta orandi dederit minus decenter.* (1) *ut breves simus in orando* (2) *ut gestu corporis spem rei impetrandæ exprimamus.* (3) *Ut preces nostras diris & execrationibus misceamus.* Respondemus. (1) Præceptum de brevitate orationis est ipsius Christi dicentis *Matt. 6. v. 7. 8. orantes nolite multum loqvi, sicut Ethnici, putant enim qvod in multiloqvio suo exaudiantur, nolite ergo assimilari ijs, scit enim Pater vester qvid opus sit vobis, anteqvam petatis.* Imò ipsa oratio Dominica, qvam Christus docuit Apostolos, ea oratio est brevissima, Christus itaq; ipse hic accusatur per Lutherum, cum Lutherus ex Christi præceptis hoc docuerit. (2) Nos debere gestu corporis spem certam rei impetrandæ exprimere: atqvi hoc etiam Scripturæ est conforme; sic Publicanus in templo *percussione pectoris* spem suam exprimebat *Luc. 18. v. 13.* sic Christus in horto prostratus ad terram orabat *Matth. 26. v. 39. 42.* sic Paulus jubet *ut genua flectamus in nomine Jesu Phil. 2. v. 10. sicut ipse flexis genibus patrem Iesu Christi adoravit Eph. 3. v. 14.* cum autem Lutherus jubet ut audacter stemus coram Deo, notat fiduciam & παῤῥησίαν Christianam de qva Paulus loqvitur Eph. 3. v. 12. In Christo habemus fiduciam & accessum in confidentiâ per fidem ejus. Tandem qvod Lutherus ait, *Orationem Dominicam non posse proferri sine diris & execrationibus*, est verissimum; dum enim oramus *adveniat regnum tuum*, pariter rogamus, ut Deus Sathanæ & organis ipsius resistat eaq́; perdat,

dat, qvi impediunt adventum regni Dei. Dum oramus, *fiat voluntas tua*, simul precamur, ut Deus voluntatem mundi, omniumq; hostium nostrorum supprimat. Dum petimus, *libera nos à malo*, precamur, ut Deus Sathanam sub pedibus nostris conterat, mundum malitiosum domet, omnesq; hostes Ecclesiæ suæ confundat, & nos ex illorum persecutionibus potenti manu liberet! In hisce omnibus Lutherus non minus peccavit ac Christus ipse, qvi nobis orationem hanc præscripsit. De precibus Lutheri adduxi ego locum ex *Tom. 3. Ienen. p. 209.* ubi Lutherus *Orationem suam Diabolo potentiorem esse* dicit, adscripsi formulam, qvâ usus est in Comitijs Wormatiensibus penetrantissimam, *ex Tom. 1. Islebiensi*: adduxi testimonium Viti Theodorici ad fores stantis & preces Lutheri audientis, spiritumq; heroicum istarum precum mirificè commendantis, imprimis qvod singulis diebus tres ad minimum horas studijs commodissimas orationi tribuat, testificantis; ad qvæ omnia Janssenius ex Tacito respondet, & magis mutus est qvam piscis.

388] 3. *Obijcit, Lutherum non prædicasse, sed corrupisse verbum Dei, provocans ad Bucerum, Munsterum, Cochlæum, Lindanum.* Sed ista gratis dicuntur. Provocamus nos ad ipsum exemplar Bibliorum Germanicorum, qvod si conferatur cum fontibus Hebræis & Græcis, versionis bonitas, sensusq; veritas patebit. Janssenius nullum locum ex Cochlæo vel Lindano vel alijs adducit, qvod si fecisset, libentissimè responsionem addidissemus. Notetur autem sub finem qvod Monachi sint

αὐτο-

αὐτοκατάκριτοι in conſcientiâ de ſucceſſibus Lutheri. In meâ Admonitione adduxi, nullas vires, nullam potentiam humanam curſum Evangelij à Luthero prædicati potuiſſe impedire. Lutherus unica fuit perſona, Papatus multa millia Virorum doctorum habebat, cur tot viri docti unum Lutherum non refutarunt, & labores ipſius non impediverunt? *Scribite vos multi docti contra unum indoctum Monachum, & mundus plus credet multis doctis, qvam uni indocto*, dicebat Margaretha Archiducissa Auſtriæ ad Monachos Lovanienſes, qvi Lutherum calumniabantur tanqvam indoctum Monachum. Cur Papatus in Comitijs Wormatienſibus Lutherum non captivum duxit & igne ſuſtulit, ſicut Huſſum Conſtantij? Cur in Comitijs Auguſtanis tot Principes & Magnates Pontificij Lutherum & Aſſeclas ejus non eradicarunt & ſuppreſſerunt? Cur Carolus V. Imperator, partâ victoriâ & capto Electore Wittebergam non funditus delevit, & Academiam abrogavit, atq; omnes Lutheranos vel occidit vel imperio expulit, qvod Victor ille potentiſſimus facilè poterat? Deus erat, mi Janſſeni, Deus qvi manu potenti curſum Evangelij promovebat, cor Imperatoris glorioſiſſimi regebat, & cauſam ſuam ipſe agebat. Cur taces, mi Janſſeni, ad omnia iſta? provoco ad tuam conſcientiam in conſpectu Jeſu Chriſti & totius Eccleſiæ, an non tibi dictitet teſtis ille tuus internus divini aliqvid hiſce conatibus Lutheri ſubfuiſſe & adhuc ſubeſſe. *Si hoc opus & conſilium eſt ex hominibus, diſſolvetur, ſi verò*

ex

ex Deo est, non poteritis dissolvere, dicebat Gamaliel de Apostolorum conatibus *Act. 5. v. 38. 39.* Idem nos dicimus, si reformatio Lutheri fuisset opus merè humanum, jam diu esset dissolutum, sed qvia universus Papatus, tot Reges, tot Principes vi armatâ, ingenti exercitu, tot viris doctis stipati hoc non potuerunt dissolvere, nec ad hodiernum usq; diem id possunt, rectè concludimus, hoc opus non esse ex hominibus, sed ex Deo. Jussu Imperatoris Caroli V. Augustanam Confessionem in varias lingvas esse translatam, non finxi, ut Janssenius calumniatur *p. 244.* sed ex Epistolâ Spalatini desumpsi, qvæ legitur *Tom 5. Jenen. Germ. p. 39.*

Caput decimum qvartum.

De Persona, Authoritate & laboribus Beati Lutheri.

389] PLacuit Janssenio vestigia meæ Admonitionis deserere, & novam materiam libro inspergere, totum scilicet & qvidem prolixũ caput *de Lutheri Personâ & religione,* cujus materiam unico & qvidem tali argumento complectitur; Ille (1) *qvi dubitat, an Ecclesiæ reformationem divino instinctu aggressus sit:* (2) *neq; ad hanc vocatus aut missus est legitimè, ab homine vel â Deo* (3) *sed discipulus est Diaboli* (4) *atq; adeo nova dogmata introducit â veteris Ecclesiæ fide aliena.* (5) *Ad qvorũ confirmationem Scripturas partim rejicit, partim depravat, & ad sensus suos inflectit.* (6) *Et hoc modo hæreses olim ab Ecclesia damnatas* reno-

renovat. (7) Qviq; in proponendis fidei articulis valdè inconſtans eſt (8) Et doctrina ſua homines facit deterrimos, (9) qvam idcirco non fore diuturnam ipſe prædixit; ille, inqvam, non eſt verus Evangeliſtes nec Reformator; Atqvi hæc omnia conveniunt Luthero, ergo Lutherus non eſt verus Evangeliſtes nec Reformator. Et per conſeqvens, religio Evangelica Lutherana non eſt vera religio Minorem hujus argumenti probat novem rationibus, qvas ordine videbimus.

390] *Primò, Lutherum,* ait, *dubitaſſe, an Eccleſiæ reformationem divino inſtinctu ſit aggreſſus,* & qvatuor teſtimoniis ipſis Lutheri hoc probare ſatagit. *In præfat. Tom. 1. Witteb. Lat.* ſcribit: *ſolus eram, & certè ad res tantas tractandas ineptiſſimus & indoctiſſimus, caſu enim & non voluntariè nec ſtudio in has turbas incidi, Deum ipſum teſtor.* Hic Janſſenius Diabolicæ calumniæ exemplum præbet, dũ enim Lutherus ſcribit, *qvod non ſtudio & voluntate* (ſcilicet ſua) ſed caſu in has turbas inciderit, Janſſenius id explicat *de voluntate Dei*, qvaſi Lutherus absq; voluntate Divinâ arduum hoc negotium aggreſſus fuerit. Lutherus principiò non intendebat totius Eccleſiæ Reformationem & Papatus dejectionem. Deus autem præter voluntatem Lutheri, hoc per ipſum operabatur. Notet hic Univerſa Eccleſia Chriſti Janſſenium iſtum in manifeſtis calumnijs deprehendi. Librum *contra Hircum Lipſienſem* præterea citat, in qvo Lutherus ſcribat, *ſe dubitare an divino inſtinctu opus hoc arduum aggreſſus ſit*; ſed Janſſenius ipſe librum iſtum non evolvit, nec enim Tomum nec paginam citat.

Inveni-

Invenitur autem hoc scriptum *Tom. 1. Jen. Germ. f.402.* seq. ubi verba citata non leguntur, est itaq; crimen falsi. Ad Colloqvia Mensalia provocat, sed liber ille ab ipso Luthero non est visus, non editus, non approbatus, p. qvoq; 24. locus iste non invenitur. qvod iterum falsi crimen est. Ex Cochlæo citat testimonium, qvod Lutherus *in Disputatione Lipsiensi contra Eckium* dixerit; *hæc causa neq; propter Deum cœpta est, neq; propter Deum finietur.* Sed Cochlæus Lutheri hostis fuit infensissimus, qvi in libro suo contra Lutherũ crassa mendacia qvamplurima effutivit. Pontificij non admittunt testimonia Lutheri contra Eckium, Emserum & alios, cur ergo nos admittamus testimonium Cochlæi contra Lutherum? Disputatio illa Lipsiensis cum Eckio invenitur *in Tom. 1 Lat. Jen.* in qvo verba citata non leguntur. Affingit itaq; Janssenius Luthero, qvasi de instinctu divino suæ doctrinæ & reformationis dubitaverit.

391] Lutherus potius totum opus reformationis in solidum omnipotentiæ divinæ adscripsit. *Tom. 2. Jen. Germ. fol. 106. Certus sum qvod Christus me pro Ecclesiaste vel Evangelista suo habeat, qvi doctrinæ meæ author est, & in die novissimo testabitur, qvod non doctrina mea sit, sed suum Evangelium.* Et paulò post: *doctrinæ meæ rationem reddam coram toto mundo, & non patior eam neq; â qvoqvam neq; ab Angelis qvidem judicari, nam cum certò sciam eam veram esse, per eam vester & Angelorum omnium (sicut Paulus Gal. 1.) judex ero, qvod qvi eam non recepit, salvari non possit. Tom. 2. Jenen. Germ. f. 70.* ad Fridericum Electorem scribit, *se*

Evangelium suum non habere ab hominibus, sed è cœlo per Dominum nostrum Jesum Christum. Qvod autem ad judicium aliorum provocarit, non ideo factū, qvasi dubitaret, sed ex abundante humilitate ut alios invitaret. Ad Philippum Melanchtonem durantibus Comitijs Augustanis scribit: *Ego dies & noctes in istâ causâ versor, cogitans, disputans, volvens & totam Scripturam lustrans, augescit mihi assiduè ipsa πληροφορία in istâ doctrinâ nostrâ, & confirmor magis ac magis, ita ut nihil mihi patiar amplius detrahi, ut ut tandem eveniat. Tom. 2 Jen. Germ. fol. 61.* in Admonitione ad vitandas seditiones scribit: *non est opus nostrum, qvod jam in toto mundo agitur, fieri non potest ut homo duntaxat tantum negotium incipiat & continuet, sine meo consilio tantos fecit progressus, sine meo consilio etiam feliciter finietur, & portæ inferorum non impedient. Alius est qvi hanc agit fabulam, qvem Pontificij non vident. Tom. 2. Jen. Germ. p. 455.* Lutherus apertè fatetur: *Deus est, qvi mihi os aperuit, qvi me loqvi jubet, qvi potenter mihi adsistit &c.* Jam concludat Janssenius, Lutherum de doctrinâ & Reformatione dubitasse an ex Deo fuerit. Hæc ad primā rationem.

392] Secunda ratio est: *Lutherus nec a Deo nec ab hominibus legitimè fuit missus, qvod probat prolixo discursu p. 248. usq; ad 254.* Nervus totius discursus in eo consistit; *Lutherus vocatus est aut immediatè, aut mediatè, non immediatè, qvod libenter ipse concedit, ergò mediatè. Mediata autem vocatio fit per Episcopos, exemplo Apostolorum, qvi vocarunt Timotheū & Titum, hi rursus alios. Jam verò Elector Saxoniæ*

non

non fuit Episcopus, ergo Lutherus ab eo legitimè non potuit vocari. Vocatus præterea & ad Ministerium ordinatus est Lutherus ab Ecclesia Pontificia, Doctoralia insignia à Pontificijs ipsi sunt collata, eo fine, ut prædicaret fidem Romanæ Ecclesiæ, qvod dum non fecit, eo ipso vocationem deseruit, fidemq; fregit. Lutherus ipse fatetur, potestatem vocandi Ministros mansisse in Ecclesia Romana, eo ipso Romanam Ecclesiam veram Ecclesiam esse probavit & testatus est, cujus vocationem dum deseruit, veram Ecclesiam deseruit. Respondemus.

393] Lutherus duplicem habuit vocationem, generalem ad Christianismum, & specialem ad officium Ecclesiasticum. Generalis illa vocatio obligat Lutherum & omnes homines baptizatos, ut nihil intermittant illorum, qvæ ad gloriam Dei amplificandam, & Ecclesiæ utilitatem promovendam facere possunt. Lutherus itaq; vi generalis istius vocationis ad Christianismum, fuit obstrictus ad gloriam Dei & utilitatem Ecclesiæ amplificandam. *Omnia enim ad Dei gloriam debemus dirigere 1. Cor. 10. v. 31. prophanationem nominis divini non concedere Rom. 2. v. 24. ne participemus de aliorum peccatis, 1. Timoth. 5. v. 22. adeoq; etiam de pœnis, Lev. 5. v. 1. proximum potius debemus admonere, 1. Thess. 5. versu. 11. Luc. 22. versu. 32. à Pseudoprophetis cavere, & Spiritus probare, 1. Johan. 4. versu. 1.* Exempla qvoq; non desunt illorum, qvi propter hanc generalem vocationem fidei veritatem propagarunt, sic Pastores Bethleemitici, qvæ de Christo audiverant, divulgârunt *Luc. 2. versu. 17.* Hanna de Salvatore loqvebatur

omnibus illis, qvi redemptionem Iſraelis expectabant *Luc.2. v.38.* Aqvila & Priſcilla *Act.18 v.26.* viam Domini Apollo explicabant. Sicut ergo hi homines rectè fecerunt, dum propter generalem vocationem ad Chriſtianiſmum, gloriam Dei amplificarunt, ita Lutherus qvoq; non peccavit dum ex eodem fundamento ad eandem gloriam amplificandam obſtrictus fuit. Sic in vitâ communi qvilibet Civis vi juramenti ſui civilis obſtrictus eſt, ut incendia nocturna indicet, & pro viribus avertat. Qvilibet ſubditus vi reverentiæ & fidelitatis debitæ tenetur, aut proditores Patriæ, aut latrones Principi inſidiantes indicare, & machinationes illorum avertere: Lutherus ergo propter generalem hanc vocationem non potuit papatui nō contradicere, & fraudes illius detegere. Ad hanc generalem vocationem provocat *Tom. 1. Jen. Germ. fol. 557. niſi ceſſaverint Deum blaſphemare, & veritatem cœleſtem prophanare, ego & omnes Chriſtiani obſtricti ſunt, gloriam Dei defendere.*

394] Specialiter autem Lutherus vocatus eſt, primò ad Miniſterium, fuit enim Presbyter ordinatus Anno 1507. anno ætatis 24. ubi poteſtatem accepit gregem Chriſti paſcendi, *1 Pet. 5. v. 2* docendi ea, qvæ Chriſtus præcepit *Matth. 28. v. 20.* & contradicentes arguendi *Tit. 1. v. 9.* ad qvam vocationem ſuam provocat *Tom. 5. Jen. Germ. f. 157. f. 361. f. 492.* Secundò vocatus eſt ad Profeſſionem Academicam â Sereniſſimo Electore Saxoniæ Friderico II. Anno 1508. ubi poteſtatem accepit Scripturam ſacram ex fontibus explicandi,

falſas

falsas explicationes refutandi Juventutem informandi, & hæreticos veritatem cœlestem obscurantes arguendi, ad qvam vocationem provocat *Tom. 1. Jen. Germ. f. 57* Tertiò vocatus est in promotione Doctorali, Anno 1512. ubi juramento promisit Deo & Ecclesiæ, sese peregrina, impia & scandalosa dogmata non introducturum, sed potius refutaturum, ad qvam Promotionem Doctoralem provocat *Tom. 5. Jen. Germ. fol. 157. fol. 302. fol. 361.* Hinc ita concludimus. Qvicunq; legitimè vocatus est ad Ministerium ut doceat verbum Dei in Ecclesiâ, ad Professionem, ut hæreses refutet, in Academiâ, & in Doctoratu juramento promisit contradictionem falsorum dogmatum, is ad errores Papatus detegendos & refutandos fuit obstrictus; Lutherus autem dicto modo legitimè vocatus est, ut jam probatum; Ergo Lutherus ad errores Papatus detegendos & refutandos fuit obstrictus.

395] Qvia verò tum temporis multi alij ad Ministerium, Professionem & Doctoratum qvoq; fuerunt vocati, nemo tamen ex illis fraudes & errores papatus tanto conamine & successu fuit aggressus, sciendum est, in Luthero dona Spiritus Sancti fuisse excellentiora, stimulos majores, benedictionem Dei efficaciorem, magnanimitatem sublimiorem, qvam in cæteris Ecclesiæ Ministris & Doctoribus. Nam *Spiritus Sanctus agit & impellit filios Dei Rom. 8 v 14. ducit eos in viâ rectâ Psal. 143. v. 10. docet eos orare & suspirare Rom. 8. v. 26.* Imprimis stimulat Ecclesiæ Doctores, veluti *Zachariam 2. Chron. 24 v. 20.* ut taxaret idololatriam Ju-

dæorum, *Elisam 2. Reg. 3. v. 15.* ut vaticinaretur, & *Apostolos Act. 16. v. 6.* cuinam populo deberent Evangelium prædicare, *Philippum Act. 8. v. 29.* ut Evangelium Christi doceret Eunuchum. Ita qvoq; Spiritus Sanctus stimulavit & impulit Lutherum; ut arduum istud reformationis opus susciperet, & felicissime perficeret; ad qvem impulsum divinũ Lutherus provocat *Tom. 2. Jen. Germ. fol. 455. & Tom. 4 Jen. Germ. f. 540.* Qvia verò sæpius hæretici divinos ejusmodi stimulos jactant, & verò Spiritus sunt probandi, an ex Deo sint, *1. Johan. 4. v. 1.* ideo evidentissimis argumentis & κριτηρίοις demonstramus Lutherũ divino instinctu & impulsu hæc omnia fecisse. Demonstrant hoc (1) Doctrinæ cum verbo Dei conformitas per omnes articulos. (2) Successus felicissimus & admirabilis præter humanam spem & opinionem. (3) Lapsus Babylonis & Antichristi revelatio in Scripturis prædicta *cap. 14. v. 6. cap. 18. v. 1. 2.* & per Lutherum facta. (4) Donorum excellentia, ut fuerunt, heroica magnanimitas, lingvarum & scientiarum cognitio profundissima, Scripturæ in Concionibus, Lectionibus & Disputationib9 interpretatio felicissima, Oratio ferventissima, constantia in tentationibus & persecutionibus magnis admiranda. (5) Protectio contra hostes divina, nec enim Papa, nec Imperator, nec Rex Angliæ, nec Georgius Dux Saxoniæ, nec alij potentissimi pariter & callidissimi qvicqvam contra Lutherum profecerunt. (6) Testimonium Adversariorum, qvi crassissimos errores & crimina Papatus cum rubore tandem agnove-

gnoverunt & suppresserunt, non enim amplius concionantur lapidibus, piscibus & avibus, non amplius excommunicant muscas, nõ amplius defendunt stultissimas Legendarum historiolas, imò Janssenius ipse fatetur, *Scholasticos olim magis curiosas qvã utiles qvæstiones ventilasse, p. 6. qvædã Legenda Francisci esse apocrypha p. 94 miracula quædam olim fuisse ficta p. 155. avaros qvosdam olim Ecclesiam decepisse fictis animarum apparitionibus, p. 155. multos reliqviarum abusus irrepsisse p. 159. hodiernos Pontificios stultas & ineptas de Francisco historiolas ridere p. 175. vitam pessimam in Papatu olim fuisse, eoq; nomine reformatione Ecclesiæ opus fuisse p. 23.* atqvi hæc omnia Lutherus ursit, hæc taxavit, qvæ dum Janssenius fatetur fuisse taxanda & reformanda, eo ipso fatetur, Lutherum divinitus & jure reformationem hanc Ecclesiæ aggressum fuisse. Excipit autem Janssenius.

396] 1. *Legitima vocatio & ordinatio fit ab Episcopis, Lutherus autem ab Episcopo non fuit vocatus.* Respond. (1) jus vocandi & ordinandi non tantum esse penes Episcopos, sed penes totam Ecclesiam, qvæ vel per Episcopum, vel per totum Presbyterium, vel per Patronos aut delegatos suos Pastorem vocat atq; ordinat. Paulus & Barnabas non ab Episcopo, sed â Presbyterio Antiocheno ordinati sunt, cum â Spiritu Sancto segregarentur *Actor. 13. versu. 2.* Fatetur hoc *Stapletonus in Prompt. Cathol. Dom. Pass. §. 5. p. 121.* scribens: *Paulus est de cælo a Christo vocatus, & ut ipsemet scribit, neq; ab homine neq; per hominem, sed per Christum, tamen ne ipsum videretur glorificare,*

care, ab Ecclesiâ ordinationem accepit per impositionem manuum Presbyterÿ. Sic Paulus tribuit ordinationem non Episcopo, sed toti *Presbyterio, 1. Tim. 4. v. 14.* (2) Si maximè Episcopi solius esset vocare & ordinare, Lutherus tamen ad Ministerium vocatus & ordinatus fuit ab Episcopo, Anno 1507. hoc patet ex eo, qvod olim Pontificij ejus vocationem & Ordinationem non vocarint in dubium, sed ipsum, ut Presbyterum legitimè vocatum & ordinatum habuerunt, donec tandem indulgentiarum mercaturam ex Scripturis taxavit, qvod Pontificij ferre non potuerunt, sed partim Scripturæ authoritatem, partim ipsius vocationem & ordinationem in dubium vocarunt.

397] 2. Ait: *Lutherus vocatus est ab Ecclesia Pontificia, eo fine, ut fidem Romanæ Ecclesiæ prædicaret, hanc vocationem postea deseruit, & fidem Romanæ Ecclesiæ impugnavit.* Respond: (1) Eodem modo possemus excipere contra Sacerdotes Judæos, illi erant vocati & ordinati, ut fidem & doctrinam Pharisæorum & Saducæorum docerent, dum verò qvidam ad Christum conversi sunt *Act. 6. v. 7.* & errores illos abnegarunt, seqveretur, qvod vocationē suam legitimam deseruissent, adeoq; vi illius vocationis docere non amplius potuissent. Qvicqvid hic Pontificij respondent, illud sibi ad exemplum Lutheri qvoq; respondeant. (2) Pontificij ipsi, ut Franciscus Petrarcha, Albericus de Rosate, Onus Ecclesiæ, cent. Gravam. & alij plurimi fassi sunt, multos errores in Ecclesiam Romanam irrepsisse, adeoq; reformatione qvadam opus esse, si ergò Sacerdotes suos simpliciter ad il-

lam

Iam doctrinam prædicandam vocârunt, seqvitur, qvod eos ad errores docendos vocarint, & ordinarint, qvod absurdum conseqvens dum Pontificij nô admittunt, seqvetur ipsos antecedens qvoq; non admittere posse. (3) Distingvimus inter Deum qvi vocavit Lutherum, & Pontificios, per qvos illum vocavit, Dei intentione vocatus est Lutherus ad docendam veritatem cœlestem, *1 Tim. 6. v. 3. Tit. 1. v. 9. Jer 23. v. 28.* sed Pontificiorum intentione vocatus est ad docendas traditiones hominum, qvæ tum temporis ejusdem cum verbo Dei authoritatis erant. Ita Sacerdotes Judæi vocabantur ex Dei intentione, ut docerent Mosen & Prophetas, sed ex Pontificum & Pharisæorum intentione, ut docerent, immiscentes traditiones hominum. Sicut ergò qvidam Judaicorum Sacerdotum non peccarunt contra vocationem suam, relinqventes & contradicentes illis traditionibus; ita nec Lutherus peccavit contra vocationem suam, qvando traditionibus Papatus contradixit. Vocatio enim Dei præcedit, *magis obediendum est Deo, qvam hominibus Act. 5. v. 29.* (4) Pontificij vocarunt Lutherum aut ad mendacia & Traditiones humanas, aut ad veritatem verbi Divini, si illud fecerunt, enormiter certè contra Deum, Ecclesiam & conscientiam peccarunt, si hoc, certè eo ipso Lutherum vocarunt ad Ecclesiæ corruptæ reformationem & Evangelij prædicationem. (5) *Gretserus in Luthero Academ. p. 302.* docet, in ordinatione Sacerdotis *imprimi Characterem indelebilem*, qvod si hoc verum est, Luthero in ordinatione ejusmodi character qvoq; fuit impressus, qvi

poſtmodum nullâ ratione deleri potuit, ex qvo principio ſeqvetur contra Pontificios, vocationem & ordinationem Lutheri ſemper efficacem manſiſſe.

398] 3. Excipit; *Lutherus fatetur in Papatu manſiſſe poteſtatem vocandi miniſtros, eo ipſo fatetur Papatum eſſe veram Eccleſiam, â Papatu ergò recedens, â verâ Eccleſiâ receſſit.* Reſpondetur (1) Ita Chriſtus non negavit in Eccleſiâ Judaicâ manſiſſe poteſtatem vocandi Sacerdotes, ſeqveretur ergò, dum Chriſtus contra illorum Synagogas docuit qvod contra veram Eccleſiam docuerit, qvicqvid hic Pontificij reſpondent, ſibi qvoq; reſpondeant. (2) Nulla eſt conſeqventia, qvi aliqvid boni in Papatu manſiſſe concedit, is Papatum veram Eccleſiam eſſe fatetur. Judæi qvædam bona adhuc hodie retinent, Arriani olim aliqvid boni in Eccleſijs ſuis retinebant, hodierni Photiniani item aliqvid boni retinent, nec tamen Pontificij concedent, Judæos, Arrianos, vel Photinianos propterea eſſe veram Eccleſiam, longè enim plura pertinent ad demonſtrandam Eccleſiæ veritatem, qvam poteſtas miniſtros vocandi. (3) Diſtingvendum eſt inter Papatum, & inter ea, qvæ ſunt Papatus. Baptiſmus, Oratio, Scriptura, poteſtas vocandi & ſimilia manſerunt in Papatu, ſed non fuerunt Papatus ipſe. Papatus enim eſt ſentina & colluvies humanarum traditionum, fraudum & multorum errorum, hiſce aliqvid boni permixtum manſit in Papatu. Lutherus ergò deſerens Papatum, non deſeruit Baptiſmum, Orationem, Scripturam

ram & similia, sed tantùm deseruit errores & fraudes, sicut olim Sacerdotes Judæi ad Christum conversi deserebant traditiones humanas, non autem Mosen, Prophetas & alia bona, qvæ in Ecclesiâ Judaicâ erroribus immixta permanserunt.

399] *Tertia ratio est; qvod Lutherus fuerit Diaboli Discipulus p.* 254. 255. sed vetus crambe, est â Pontificijs sæpius recocta, & â nostratibus vel centies refutata, *Lælius contra Sartorium, Balduinus contra Serarium, Meisnerus contra Lessium sufficienter ad has calumnias responderunt.* Ego qvoq; superius *cap. 10. n. 217.* hac de re egi, qvorsum benevolum Lectorem remitto, ne actum agere videar.

400] *Quarta ratio est; Lutherus introduxit nova dogmata â fide veteris Ecclesiæ aliena.* Probat hoc Janssenius *qvod nec cum Scripturis, nec cum veneranda antiqvitate post tempora Apostolorum, dogma Lutheri conveniat, non cum Scriptura, provocat enim ad secundam partem libri sui*, ubi de singulis articulis aget, non cum antiqvitate, testes enim laudat Centuriatores Magdeburgenses, qvi ultro fatentur in articulo de Justificatione, (utpote primario & reliqvos omnes in se cõtinente) ante Lutherum neminem ita docuisse. Respond: (1) An dogmata Lutheri cum Scripturis conveniant, nec ne, id vero est primarium antiqvitatis signum; non enim antiqvum est, qvod Ecclesia docuit ante sex vel septem secula, sed qvod Prophetæ & Apostoli docuerunt: Principaliter

ergò

ergo dogmata Lutheri cum Scripturis Prophetarum & Apostolorum sunt conferenda, si veram antiqvitatem eruere voluerimus. (2) Collationē dogmatum cum Scripturis Janssenius reijcit in partem secundam libri sui; ego qvoq; meam responsionem ad partem secundam libri hujus reijcio. (3) Restat ergo ut videamus an ex testimonio Centuriarum Magdeburgensium veneranda antiqvitas post tempora Apostolorum nihil docuerit, qvod dogmatibus Lutheri conforme sit. Citantur â Janssenio Centuria *secunda*, in qva doctrina de justificatione negligentius & obscurius fuit tradita; Centuria *tertia*, in qva articulus iste magnâ ex parte fuit obscuratus; Centuria *qvarta*, in qva procul â doctrinâ Apostolorum homines recesserunt; & centuria *qvinta*, in qva interdum satis commodè loqvuntur, interdem qvasi sui obliti ad opera delabuntur. Hoc est testimonium Janssenij ex Centuriatoribus citatum.

401] Respond. (1) Qvatuor tantùm centuriæ producuntur, nempe secunda, tertia, qvarta & qvinta, in qvâ negligentius Patres docuerunt; sed â Christo nato usq; ad Lutherum non qvatuor tantum, sed qvindecim centuriæ numerantur: nulla igitur est conseqventia, qvatuor seculis ita docuerunt, ergò tota antiqvitas ita docuit, cum longè plura secula restent. (2) In verbis allatis Centuriatores non dicunt, totam doctrinam de fide justificante fuisse amissam, sed *obscuratam & negligentius tractatam*, aliud verò est, totaliter amissum esse, aliud negligentius tractatum & obscuratum esse: inter nos autem qværitur, an veneranda

tanda antiqvitas simpliciter nihil docuerit de justificatione per fidem sine operibus, qvod Jansenio fuisset demonstrandũ. (3) Fuisse autẽ qvãplurimos, qvi cũ Luthero sic docuerunt testantur *Centuriatores Centuria secunda Cap 4. p. 45. 46. Centuria tertia c. 4. p. 52. 53. Centuria qvarta c. 4. p. 220. & 226. Centuria qvinta c. 4. p. 303. 310. 315. Centuria sexta c. 4. p. 208. 210.* In qvibus de gratiâ Dei, merito Christi & fide salvificâ præclara leguntur testimonia.

402] Et ne solis allegationibus agere videar, adscribam aliqvot testimonia Patrum. Chrysostomus in Epist. ad Gal. cap. 3. *Rursum illi (Judæi) dicebant: qvi sola fide nititur, execrabilis est: hic (Apostolus) contrà demonstrat: qvi sola fide nititur, eum benedictum esse.* Idem in 1. Tim. 1. Hom. 4. *Incredibile videbatur esse (Judæis) siqvidem Homo, qvi omnem priorem vitam frustra atq; inaniter consumpsisset, duxissetq; per mala opera, postmodum ex fide sola salvandus diceretur; idcirco ait: fidelis sermo.* Idem in Serm. de Fide & lege naturæ & Sancto Spiritu, Tom. 3. Colum. 901. *Fides eum, qvi convertitur, civem cœlorum declarat; fides hominem, qvi terrenus est, Deo familiarem efficit. Nihil enim extra fidem bonum.* Ibid. paulò post: *Fidelem autem absq; operibus possum monstrare & vixisse, & regnum cœlorum assecutum. Nullus sine fide vitam habuit: Latro autem credidit duntaxat, & justificatus est â misericordissimo Deo. Atq; hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, qvo justè viveret, & honesta faceret opera. Neq; enim de hoc contenderim ego, sed illud unum asseveraverim, qvod sola fides per se salvum fecerit. Nam si supervixisset, fideiq; & operum fuisset negligens,*

gens, à salute excidisset. Hoc autem non qværitur & agitur, qvod & fides per seipsam salvum fecerit: Opera autem per se nullos unqvam operarios justificarunt. Ambros. in 1. Cor. 1. *In Christo Jesu data est gratia, qvia hoc constitutum est à Deo, ut qvi credit in Christum, salvus sit sine opere, solà fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Idem in Rom. 3. *Justificati sunt Judæi & Græci gratis, qvia nihil operantes, neq; vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei.* Idem in Rom. 4. *Qvomodo Judæi per opera legis justificari se putant justificatione Abrahæ, cum videant, Abraham non ex operibus legis, sed sola fide justificatum.* Basil. Magnus Homil. de Humil. *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, qvando nec ob justitiam suam qvis se jactat, sed novit qvidem se ipsum veræ justitiæ indigum, sola autem fide in Christum justificatum.* August. lib. de Spirit. & Lit. cap. 13. *Non justificatur homo Præceptis bonæ vitæ, nisi per fidē Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei, non litera sed Spiritu, non factorū meritis, sed gratuita gratia.* Id. in psal. 88. *Qvia sola fides Christi mundat, non credentes in Christum soluti sunt a mundatione.* Id. in Johan. Tract. 42. *sed etiam præcogniti, qvod non fuerant credituri eà fide, qva sola possent a peccatorum obligatione liberari.*

403] De libero Arbitrio, de Missa, de Invocatione Sanctorum, de purgatorio Patres qvoq; docuisse citat ex illis ipsis Centurijs, sed (1) non demonstrat omnes ita docuisse, nec semper ita docuisse, qvod tamen hic est necessarium, qvatuor secula ita docuerunt, sed ista qvatuor secula non sunt tota antiqvitas. (2) Cur non ex primo seculo demon-

demonstrationes adducit in qvo vixerunt Apostoli & illorum Discipuli, qvorũ antiqvitatẽ absq; controversiâ ex utraq; parte acceptamus? scilicet, qvod primo seculo non fuit; ex primo seculo non potest demonstrari. (3) Contraria potius ibidem inveniuntur testimonia; Invocatio Sanctorum damnatur *Cent. 1. lib. 2. p. 340. Cent. 2. p. 50. & 63. Cent. 3. p. 60. Cent. 4. p. 298. Cent. 5. p. 345. 346 351.* Arbitrium in Spiritualibus non humano sed divino instinctu moveri docetur *Cent. 3. Cap. 4. p. 48. Cent. 4 cap 4 p. 212.* Opera satisfactoria etiam reijciuntur ut *n. 401.* probatum est. Purgatorium reijcitur *Cent. 1. lib 2. cap. 4 p 460. Cent. 4. cap. 15. p. 1502. Cent. 5. cap. 4. p. 478.* Sacrificium Missæ improbatur *Cent. 1 lib. 2. cap. 7. p. 540. &c.* Janssenius ergo frustra ad hos testes provocat.

404] Lutherum deniq; citat *Tom. 2. Ienen. Germ. p. 491.* scribentem, *qvod nemo de fide & operibus rectè judicare potuerit. exceptis Apostolis, qvi ad hoc ipsum electi fuêre, ut eam rem purè docerent, & doctrinæ fundamenta jacerent*; proprio igitur Lutheri testimonio, ait, constare, qvod tota vetus Ecclesia post Apostolos veram de justificatione doctrinam ignoraverit. Respondemus (1) Non est qvæstio inter nos & Pontificios an Lutherus suam doctrinam veterem vel novam judicarit, sed an ea doctrina verè nova, aut etiam post Apostolorum tempora in Ecclesiâ proposita fuerit, nos enim Lutheri judicium magnifacimus, sed veritate rerum ubiq; præsuppositâ; Lutherus suo judicio doctrinam novam non potest facere

facere antiqvam, nec antiqvam poteſt facere novam, de rei igitur veritate, non de judicio Lutheri qværitur. (2) Lutherus in loco allegato ait, *ſeſe neminem ſcire, qvi rectè hac de re judicarit;* eo ipſo autem Lutherus non concludit, non alios eſſe, qvi hoc ſciant, aut prorſus neminem in univerſo mundo de hac doctrinâ recte judicaſſe; Lutherus loqvitur limitatè, ſcilicet, ſe neminem ſcire, non verò abſolutè neminem prorſus fuiſſe, multa enim facta, multa dicta & propoſita, imò etiam ſcriptis exhibita fuêre, qvæ Luthero fuerunt ignota. (3) Lutherus loqvitur de tali doctrinâ, *qvâ fundamentum in articulo juſtificationis poſuerit,* ut verba ejus expreſsè teſtantur; jam vero fundamenta articulorum fidei ponere non eſt ullius Patris aut Doctoris Eccleſiaſtici, ſed ſolorum Apoſtolorum, qvi ad hanc rem vocati, electi, & donis Spiritus Sancti inſtructi erant, malè igitur concludit Janſſenius â negatione fundamentorum ad negationem totius doctrinæ, cum qvis doctrinam poſſit propagare, cujus tamẽ fundamentũ ipſe non poſuit, ſed ab alijs accepit (4) Diſtingvendũ eſt inter doctrinæ totius negationem & inter impuritatem, Lutherus in hoc loco non ait, totam doctrinam de juſtificatione fuiſſe ignotam, ſed fuiſſe impuram & inqvinatam: *Ego neminem ſcio*, ait, *qvi hac de re rectè potuerit judicare, exceptis Apoſtolis ad hoc electis, ut eam rem tam purè docerent*, daß ſie ſolche reine Lehre führeten. Lutherus ergò hoc tantum concedit, hanc doctrinam poſt tempora Apoſtolorum fuiſſe traditionibus hominum inqvinatam & corruptam, â corruptione autem

doctri-

doctrinæ alicujus ad ipsam negationem velle argumentari, nulla est conseqventia. Sic doctrina de justificatione ante Christum apud Pharisæos erat corrupta, ut patet ex Matth. 5. v. 20. attamen non erat penitus destructa & suppressa. (5) Lutherus in hisce locis potissimum loqvitur de Germaniâ, qvæ tenebris Ethnicismi immersa diu jacuit, usq; ad tempora Caroli Magni, ubi Evangelium ad Germanos eqvidem pervenit sed fermento inqvinatum, donec per Dei gratiam in reformatione Ecclesiæ fuit repurgatum; de Germaniâ igitur hoc est verissimum, hanc doctrinam de justificatione fuisse multis modis corruptam & coinqvinatam. (6) Ipsi Apostoli conqveruntur multos Pseudoprophetas & falsos Spiritus in mundum exivisse *1 Joh. 4. v. 1.* & Paulus apertè scribit, mysterium iniqvitatis suo tempore paulatim introductum, & semina falsæ doctrinæ sparsa fuisse. Qvod si ergò Apostoli fatentur doctrinam veram fuisse corruptam, dum illi adhuc in vivis erant, qvid mirum est, si Lutherus idem doceat, post tempora Apostolorum doctrinam illam magis magisq; corruptam fuisse.

405] *Qvinta ratio; ubi Janssenius in Luthero taxat, qvod Scripturam partim rejecerit, partim depravârit, & ad suum sensum inflexerit. Rejecit scilicet librum Baruch, Maccabæorum, Judith, Tobiæ, tertium & qvartum Esdræ, Sapientiæ, Ecclesiasten, Epistolam ad Hebræos, Jacobi, Judæ, Apocalypsin, à pag. 259. usq; ad 264.* Respondemus: Vetus hæc cantilena est, plus qvam centies refutata. Aliud est librorũ rejectio, aliud distinctio. Lutherus non rejecit

 hos

hos libros, sed distinxit cum antiqvitate Apocryphos â Canonicis. Libri Canonici veteris Testamẽti sunt, qvi (1) sunt conscripti â Propheta aliqvo ex inspiratione Spiritus Sancti, ad Mosen enim & Prophetas semper remittimur *Luc. 16. v. 29. Luc. 24. v. 27. 44. Rom. 16. v. 26. Ephes. 2. v. 20. 2. Pet. 1. v. 19.* (2) Qvi sunt conscripti in lingvâ Propheticâ seu Hebræâ. (3) Qvi continent oracula de Christo in veteri Testamento promisso, in Novo enim Testamento ad has promissiones Christus & Apostoli provocant *Luc. 24. v. 44. Joh. 5. v. 39. Act. 10. v. 43. 1. Pet. 1. v. 10. 11. 12. Act. 26. v. 22. 23.* (4) Qvi habent testimonium Ecclesiæ Judaicæ, Judæis enim τὰ λόγια τῦ Θεῦ sunt concredita *Rom. 3. v. 2.* qvorum incredibilẽ curã in sacris libris custodiendis Bellarminus prædicat *lib. 2. de verbo Dei c. 2.* & licet Christus varia delicta in illis taxaverit, nullibi tamẽ legimus, qvod negligentiã aut malitiã ullã in libris sacris custodiendis unqvã reprehendat. (5) Qvibus deniq; testimoniũ Ecclesiæ primitivæ accedit. Dum itaq; Lutherus ista γνωρίσματα in qvibusdã libris veteris Testamenti non deprehendit, eos ad canonem non pertinere, non malè docuit.

406] *Liber Baruch* (1) non est conscriptus in lingvâ Hebræâ sed Græca. (2) Non â Prophetâ est conscriptus, imò nec â Baruch, nam *cap. 1. v. 1.* author ait, se in Babyloniâ hunc librum conscripsisse, cum tamen Jeremias unà cum famulo suo Baruch post urbis devastationem in Ægyptum fuerit abductus *Jer. 43. v. 7.* qvæ contradictio falsitatem authoris arguit (3) In veritatem historicam im-

impingit, jubet enim orare Judæos pro vitâ Nebucadnezaris & pro vita Belzaser filij ejus *cap. 1. v. 11.* cum tamen filius Nebucadnezaris fuerit Evilmerodach *2. Reg. 25. v. 27.* qvi ipsi in regno successit. Belzaser autem fuit postremus Rex Babyloniorum, qvi interfectus fuit post finitam captivitatem *Dan. 5. v. 30.* (4) Melchior Canus *lib. 12. cap. 6.* Loc. Comm. expressè scribit, hunc librum *non adeò exploratè & firmiter in sacrorum numero ab Ecclesiâ esse repositum.* Ergò ipsi Pontificij de Canone hujus libri adhuc dubitant.

407] *Liber primus & secundus Maccabæorum* (1) non sunt conscripti in lingvâ Hebræâ sed Græcâ. (2) Author illorum veniam petit â lectore, si minus benè & dignè scripserit *2. Macc. 15. v. 39.* Spiritus Sanctus autem veniam non petit. (3) Conqveritur author de difficultate operis *2 Macc. 2. v. 27.* at Spiritui Sancto nihil est difficile aut molestum. (4) multa contradictoria continent hi libri, nam *lib. 1. cap. 6. versu. 8. 16.* Antiochus dicitur extinctus mœrore animi, sed *lib. 2. cap. 1. v. 16.* obtruncatur & membratim conciditur. *lib. 1. cap. 9. v. 18. seq.* Judas dicitur occisus an. 152. regni Seleuci, *at lib. 2. cap. 1. v. 10.* adhuc literas scribit ad Aristobulum anno 188. scilicet annis 36. post mortem suam. Sic *l. 1. c. 4. v. 36.* Judas purgavit templũ ante mortem Antiochi, *at lib. 2. c. 10. v. 1.* post mortem ipsius hoc fecit. *Sic lib. 2. c. 10. v. 11.* Antiochus Eupator Lysiam regno præfecit, at *l. 1. c. 6. v 17.* Lysias Antiochum Regẽ instituit, eumq; Eupatorem vocat (5) Continentur in illis qvædam fidei non analoga, *ut sacrificium pro mor-*

tuis lib. 2. *cap.*12. *v.*43. *αὐτοχειρία Razia, qva commendatur lib.* 2. *cap.* 14. *v.* 42. *seq.* (6) Libri isti non habent testimonium Christi vel Apostolorum. *Joh.* 10. eqvidem Christus loqvitur *de Encæniis & festo dedicationis templi*, sed hæc sola Festi nominatio authoritatem Canonicam hisce libris non magis conciliat, ac relatio illa Pauli 2. Tim. 3. v. 8. de Magis Ægyptiacis *Janne & Jambre* libro illi, ex qvo Paulus nomina ista deprompsit. Imò & Jus Canonicum libros hosce pro Apocryphis habet *Distinct.* 16. *cap.* 1. *Canones, gloss. atq; inter Apocryphos.*

408] *Liber Judith* qvoq; (1) in fontibus Hebræis non legitur (2) multa habet contra veritatem historicam: in discriptione terræ Chanaan, apud Josuam nomen urbis *Bethuliæ* nullibi occurrit, cum tamen nomina pagorum etiam ibidem non prætermittantur, nullum præterea potest dari tempus, ad qvod historia illa possit referri, nec ante nec post captivitatem babylonicam. Nebuchodonosor vocatur ille Rex, cum tamen nullus Rex Persarum ita vocatus fuerit, in *Ninive* dicitur sedem habuisse, cum tamen isti Persarum Reges non in Ninive sed Babylone sedem Imperij habuerint. (3) Contra Analogiam fidei impingit *cap.* 9. *v.* 2. factum Simeonis & Levi approbat, qvod tamen Jacobus Patriarcha improbat *Gen.* 34. *v.* 25. 30. *cap.* 49. *v.* 5. 6. 7. (4) Josephus in Commentarijs suis de authoritate, imo de nomine hujus libri prorsus tacet. Unde Lutherus non malè judicat, hunc librum esse sacrum qvoddam poema, in qvo status populi judaici depingitur, qvem tamen

men librum Lutherus ut sanctum & utilem commendat, licet inter canonicos non referatur.

409] *Liber Tobiæ* (1) itidem in lingvâ Hebræâ non est scriptus, (2) contra analogiam fidei est, qvod Sathan fumo cordis ex pisce exempti abigatur *cap.6. v.8.* cum tamen nec Paulus in armaturâ Christiani *Eph. 6. v. 11. 14. seq.* nec Petrus *1. Epist. cap. 5. v. 8.* fumi talis ullam mentionem faciant, & Christus ipse fateatur *non nisi precibus & jejuniis Diabolos ejici Matth. 17. v. 21.* *Cap. 12. v. 12.* dicitur *Angelos Deo offerre preces*, qvod tamen solius Christi est nostri Mediatoris & Intercessoris *Rom 8. v. 34. 1. Tim. 2. v. 5. 1. Joh. 2. v. 1. Apoc. 8. v. 3.* *Cap. 12. v. 15.* mentio fit septem Angelorum, qvi astent coram Deo, cum tamen millia millium ipsi ministrent, & decies centena millia ipsi astent *Dan. 7. v. 10.* (3) Pugnat liber ille multis modis cum veritate historicâ, qvod egregiè demonstravit *Ægidius Hunnius in Exam. Bellarm. cap. 11.* qvorsum Janssenium remitto. (4) *Hieronymus in præfat. super Tobiam* expresse scribit, qvod Ecclesia hunc librum inter Scripturas Canonicas non recipiat.

410] *Tertius & qvartus Esdræ* inter Apocryphos à Luthero referuntur gravissimis de causis (1) Nec enim Hebraicè nec Græcè sunt scripti, adeoq; Prophetas authores non habent. (2) Fabulas continent qvamplurimas, qvas Lutherus dixit Æsopicas, Bellarminus vocat Judaicas *lib. 1. de verbo Dei cap. 20.* qvæ Judaicæ fabulæ Æsopicis non sunt præstantiores. (3) Contradicunt aliis libris biblicis, qvæ enim lib. 3. cap. 4. leguntur de ædificatione templi non congruunt cum Prophetiâ

Haggæi. (3) Ecclesia Judaica istos libros pro Canonicis non habuit. (4) Ipsi Pontificij eosdem â Canonicis segregant, ut Bellarminus, Vatablus & ipsi Patres Concilij Tridentini.

411] *Liber Sapientiæ* inter Apocryphos numeratur (1) Non enim â Prophetis sed â Philone conscriptus est, teste *Hieronymo in præfatione.* (2) Non est scriptus in lingvâ Propheticâ seu Hebræâ (3) Patres hunc librum pro Canonico non agnoverunt, ut patet *ex Synopsi Athanasij*, *ex Damasceno lib. 4. de Orthodoxâ fide cap. 18.* & alijs plurimis. Ecclesiasticus qvoq; Apocryphis annumeratur, cum (1) non in Propheticâ sed Græcâ lingvâ sit scriptus. (2) Author illius veniam petat, si sententiam non ita commodè verterit, qvod Spiritus Sanctus non facit (3) Contra analogiam fidei docet, Sapientiam esse creatam *cap. 24. v. 14.* Samuelem verum ex sepulchro prodijsse *cap. 46. v. 23. Eliam* Thesbitem in has terras esse rediturum *cap. 48. versu. 10.* plura de libris hisce Apocryphis leguntur apud *Wittackerum de Scripturâ*; *Schröderum in Opusculo Theologico*; *Hunnium in examine Bellarmini*, qvi per singula capita refutavit ea, qvæ Bellarminus pro authoritate librorum istorum Canonicâ excipit, qvem vide *Tom. 2. operum lib. 1. per capita bene multa.* Patribus verò, qvos Janssenius citat, nos opponimus alios, qvi libros hosce Apocryphos esse manifestè docent. *Eusebius lib. 3. Histor: Eccles. cap.* 10. *Athanas. in Synopsi Scripturæ. Hieronymus in Prolog. Gal. Ruffin. in Expos. Symb. Apostolici. Damasc. lib. 4.*

de

de orth. fide cap. 18. *Cyrillus Hierosol. in 4. Cateh. Epiphan. in libro de mens. ac pond.*

412] Hæc de Apocryphis Veteris Testamenti. In Novo Testamento tales Apocryphos non habemus, hic enim qvidam libri occurrunt, de qvorum non authoritate, sed authore olim fuit dubitatum, & qvidem non ab omnibus, sed tantùm â qvibusdam Ecclesiæ Doctoribus. De hisce libris Lutherus privatum judicium suum nobiscum communicavit in præfatione illorum; & primò qvidē *Epistolam ad Hebræos* eximiam & pulcrā Epistolam vocat, qvod de Sacerdotio Christi fundamentaliter & perspicuè doceat, an verò Paulus illam conscripserit, de eo Lutherus dubitat. Olim qvoq; in Ecclesiá dubitarunt, imò negaruntPaulū authorem esse, *Tertullianus lib. de pudic. c. 20. Euseb. lib 3. histor. Eccles. c. 3. Hieronymus in Catal. Virorum illustrium in Cajo. August. in Enchir. c. 8.* Imò qvidam ex ipsis Pontificijs ambigunt de Paulo authore, ut *Platina in vitâ Petri. Sixtus Senensis lib. 7. Bibl. Sanct. Erasmus in Commentar* super Epistolam ad Hebræos. Si itaq; hi omnes non peccarint, qvomodo Janssenius solum Lutherum alicujus delicti accusare poterit? De authore libri alicujus salvâ conscientiâ dubitare possumus, etiamsi de ipso argumento & materiâ nullum sit dubium; qvapropter Lutherus concludit in præfatione super hanc Epistolam: *nihil refert scire qvis conscripserit hanc Epistolam, sufficit nobis doctrina, qvam author constantissimè ex Scripturis deducit.*

413] *Epistola Jacobi* seqvitur, qvam Lutherus dicitur *stramineam* vocâsse, qvum indolem

Evangelicam non habeat: ſed reſpondemus (1) qvod Lutherus non ſimpliciter ſed in comparatione reliqvorum librorum ita judicet, Epiſtola Jacobi collata cum Epiſtolis Pauli ſtraminea eſſe; apparet, cum tanta rerum majeſtas, tantus zelus, eloqventiæ flumen & materiæ ſublimitas in eâ non inveniatur, parum de Chriſto invenies in illa Epiſtola, cum tamen Paulus ubiq; ferè Chriſtum tibi inculcet. (2) In poſterioribus Bibliorum editionibus verba illa ſunt omiſſa, non enim amplius inveniuntur in editione ullâ poſt annum *1526.* excusâ, Lutherus potius eam commendat, dum ait in præfatione: *licet hæc Epiſtola â veteribus ſit rejecta, eam tamen commendo ut bonam, non enim dogma humanum ſed legem Dei acriter urget, nemini itaq; contradicam, qvi hanc Epiſtolam evehit pro lubitu, cum multa eximia dicta in illâ inveniantur.* (3) Jam olim ante Lutheri tempora de authoritate hujus Epiſtolæ fuit dubitatum, ut patet *ex Euſebio lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 22. & Hieronymo in Catal. Illuſtrium in Jacob.* (4) Qvidam etiam ex ipſis Pontificijs dubitant, ut *Eraſmus in cap. 1. Actor. & in cap. 5. Jacobi, item Cajetanus in Comment. ſuper Epiſt. Jacobi.*

414] *Epiſtolam Judæ* olim qvidam in dubium vocarunt, ut teſtatur *Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 23.* Cajetanus qvoq; eam ait minoris eſſe authoritatis, in Comment. ſuper hanc Epiſtolam. Eraſmus teſtatur Epiſtolam hanc nõ carere ſuſpicione, cum ex Apocryphis citet locum de Henocho. Lutherus autẽ hanc Epiſtolam magnificit, *eamq; Compendium ſecundæ Epiſtolæ Petrinæ eſſe ſcribit in*

Præ-

Præfat. Apocalyps. Lutherus nullibi rejecit, sed tantum de Authore illius, ut olim in Ecclesiâ primitivâ factum, dubitavit.

415] Depravationem Scripturæ Janssenius Luthero qvoq; obijcit, eamq; exemplis aliqvot demonstrat, qvæ omnia examinabimus. *Matth. 6.* Orationem Dominicam recitat Christus: *Pater noster qvi es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Lutherus autem hoc correxit ita: *Pater noster in cœlo, nomen tuum sit sanctum.* Respondetur: in fontibus ita legitur, πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς ὀυρανοῖς *Luc.* 11. v. 2. *Matth.* 6. v. 9. hoc est, *Pater noster, qvi in cœlis.* Orationem esse ellipticam, qvilibet videt, omittitur enim vocula (*es*) qvam tamen Evangelistæ subintelligunt. Si ergo Lutherus ullibi ita vertisset, *Pater noster in cœlo*, subintellexisset tamen (*qvi es*) ut sensus compleretur, prout in versione Bibliorum Germanicâ vertit, der du bist/ *qvi es;* alterum verò, *sanctificetur nomen tuum*, etiamsi vertisset, *nomen tuum sit sanctum*, non videremus qvid eo peccasset, qvi enim petit, ut nomen Dei sit Sanctum, is sanè petit, ut sanctificetur. At verò Lutherus in Biblijs Germanicis rectè vertit, geheiliget werde dein Nahme/ qvæ versio græco textui ex asse correspondet. Affingit autem Janssenius Luthero, qvod clausulam illam Orationi Dominicæ addiderit: *qvia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum.* Nam (1) *Bellarm. lib.* 1. *de bonis operibus cap.* 6. scribit, qvod hæc clausula à Græcis fuerit inserta, si Græci hoc fecerunt, qvomodo Lutherus hujus criminis reus erit? (2) Græca exemplaria hanc clausulam diu legerunt ante

tempora Lutheri, eamq; constanter retinent. Syrus interpres eandem qvoq; legit. Chrysostomus eam qvoq; interpretatur. Qvam pulcrè autem hæc clausula totam finiat precationē prolixè docet *Chemnitius in Harm. Evang. cap. 52.*

416] *Luc. 1. v. 28. Angelus* inqvit: *ave gratia plena, hoc Lutherus vertit:* gegrüsset seystu Holdtselige. Sed respondetur: Lutherus non ad Latinum sed ad Græcum textum respexit, in illo autem Maria vocatur non *datrix* χάριτος, sed κεχαριτωμένη, id est, talis fœmina, qvæ gratiam Dei *consecuta est*, prout Angelus hoc explicat *v.* 31. *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Mar.* 11. Lutherus non expunxit verba. *nisi vos remiseritis, Pater vester qvi in cœlis est, qvoq; non remittet.* In Græco hic versus plane non habetur, qvomodo igitur Lutherus illum potuit expungere? *Matth. 6.* v. 15. in græco legitur, qvapropter etiam Lutherus illum fideliter in Germanicum ibidem transtulit. *Rom. 3.* voculam (*solam*) ait, Lutherum inseruisse. Hæc communis cantilena est Schereri, Cochlæi, Tanneri & omnium ferè Pontificiorum. Sed (1) sensus iste ex visceribus textus eruitur: justificamur *fide sine operibus*, hoc nihil aliud est, qvam justificamur solâ fide, perinde ac si qvis dicat: tabellarius attulit literas sine pecuniâ, hoc est, solas literas (2) Excusa sunt Venetijs Biblia in lingvâ Italicâ, A. 1546. ubi expresse legitur, qvod justificemur *solo per la fede.* Si itaq; Itali non peccarunt, qvomodo Lutherus crimen commisit? (3) Ejusmodi modus decla-

declarandi Scripturam in sacris sæpe occurrit, *servies Deo*, legitur *Deut*. 6. v. 13. Christus autem hoc ita declarat, *soli Deo servies Matth*. 4. v. 10. *Diem & horam judicij novit Pater*, inqvit Christus *Mar*. 13. v. 32. hoc declaratur, *diem judicij novit solus Pater Matth*. 24. v. 26. (4) Lutherus non de verbo ad verbum transtulit Biblia, sed velut interpres verum sensum in textu latitantem germanicè expressit, qva de causâ vocula hæc, sola, fidei rectè fuit addita. (5) Legatur defensio hujus interpretationis *Tom*. 5. *Jenens. Germ. fol*. 140. *seq*. ex qva Janssenius qvædam verba digredientia citat, ipsum verum nervum & soliditatem rerum penitus occultat. Tam masculè Lutherus hanc versionem in loco dicto propugnat, ut impossibile sit universo Papatui istam apologiam infringere.

417] Deniq; 2 *Pet*. 1. v. 10. ait *Lutherum omisisse tres voces emphaticas, (per bona opera)* sed in textu Græco ista non leguntur: si Lutherus addidisset, textum ipsum corrupisset, dum verò non addidit, sed Pontificij in vulgatâ versione hanc clausulã intruserunt, seqvitur non Lutherum sed Pontificios Scripturã corrupisse, ejusq; criminis, cujus Lutherum accusant, reos esse. Tandem concludit 1 *Cor*. 9. v. 5. *Lutherum inseruisse particulam (in uxorem) num habemus potestatem mulierem sororem circumducendi*: at in græco expressè habetur γυναῖκα. Ista fœmina aut fuit uxor aut scortum, nõ scortũ, Paulus enim scortationes vehementer improbat *Eph*. 5. v. 3. ergò uxor exemplo Petri qui etiã in cõjugio vixit *Matt*. 8. v. 14 Janssenius itaq; nihil ejus demon-

monstravit, cujus Lutherum accusavit, sed potius suam ignorantiam græcorum fontium & Papisticam Bibliorum corruptionem manifestè prodidit.

418] Novum corruptionis exemplum Janssenius affert, citat enim *Eilhardum Lubinum in dedicatione Novi Testamenti Græco- Latino- Germanici Rostochij Anno 1614. editi, scribentem: Versionem Germanicam D. Lutheri fideliter retinui, ad qvam Græcum Textum interdum cogere coactus fui, idq; eo consilio, ut pueris hæc accommodarem. Qva in re peritiores Græci sermonis veniam mihi dabunt, ut etiam in multis alijs, qvæ in hoc instituto meo facilè defugere non potui. Ergò concludit Janssenius, iste Lubinus corrupit textum Græcum, dum eum coëgit ad versionem germanicam, cum tamen olim Biblia ad textum græcum fuerint examinata, id qvod immane facinus esse exclamat.* Respond. Salva res est, Monache; Lubinus non loqvitur de coactione *corruptivâ*, qvâ græcum textum mutasset aut corrupisset, sed de coactione *comparativâ*, qvâ textum græcum, latinum & germanicum inter sese comparat, in illo enim libro tres hasce lingvas lineis vocibusq; parallelis proponit, & qvomodo singulæ voces singulis respondeant, exponit, in qva comparatione textus græcus interdum coactè applicatur ad versionem germanicam, propter græcismos idiomati lingvæ germanicæ nō correspondentes, rem ita sese habere, monstrat inspectio libri, in qvo simpliciter nihil in græco fonte immutatum Lector inveniet. Janssenius ergo librum hunc, aut nō inspexit, atq; ita negligentiæ, aut inspexit, atq;

ita

ita calumniæ crimen incurrit. Sed heus Monache, *olim*, inqvis, *Biblia ad græcum textum examinabantur, nunc ordine mutato ad germanicã versionem;* tu ista Pontifici tuo oppone; olim enim Biblia ad textum Hebræum & Græcum examinabantur, nunc ordine mutato ad Latinam versionem vulgatam, qvam paterculi Tridentini Canonicam & authenticam esse voluerunt; ita misellus iste Monachus sese & Pontificem suum proprio gladio oppugnat atq; jugulat.

419] *Detorsionem qvoq; Scripturæ Luthero obijcit in doctrina de Lege & bonis operibus p. 267. usq; ad 271. Legem, ait Lutherus, non ad Christianos pertinere.* Sed respond. salva res est, Nam (1) Plusqvam mille testimonijs demonstrari potest, qvod Lutherus, Legem ad Christianos pertinere, docuerit, citat enim legem in concionibus & scriptis, Legem transtulit ex Hebræo in Germanicum, primum locum in Catechismo legi tribuit, in Scholis & Ecclesijs legem explicuit, contemptum Legis in Papatu vehementer taxavit, imò usum Legis contra Antinomos defendit, qvomodo ergo legem contemnere potuit? (2) Cum Lutherus ait *legem esse necessariam & non necessariam Christianis,* distinctè id intelligendum est. Lex est necessaria, ut iram Dei & peccati fœditatem monstret, ne gratia Evangelij oblata repudietur, & hoc respectu *Lex est pædagogus ad Christum Gal. 3. v. 24.* adeoq; hoc nomine ad salutem utilis & necessaria, Lex autem non est necessaria, qvasi per eam gratiam Dei & vitam æternam conseqvi possimus, hoc respectu *non est Lex qvæ justificat seu vivificat*

Gal.

Gal. 3. v. 21. (3) *Lutherus Tom.* 5. *Germ. Witteb. p.* 212. de Decalogo ita ſcribit: *Nos Ethnici ex Ægypto non fuimus educti, ſed ſolùm Judæi, ideo Moſes Decalogum declarat de illo populo, qvi per Deum ex Ægypto eductus eſt.* Sed ſtatim addit: *Qvod autē nos Chriſtiani illum Deum, qvi Judæos ex Ægypto eduxit, agnoſcimus, adoramus & honoramus, id non per Moſen ſeu legem ſcriptam facimus, ſed ex Lege naturæ.* Hic Lutherus non ait, Decalogum ad ſolos Judæos pertinere, excluſis Chriſtianis, ut Janſſeniꝰ malitioſè verba & ſenſum corrumpit, ſed hoc ſolùm vult Lutherus, qvod Moſes populo Iſraelitico Decalogū applicet, utpote, qvem Deus ex Ægypto eduxerat, & qvod nos nō propter Moſen tradentem, verū propter Legē naturæ, qvæ in Creatione cordibus noſtris inſcripta eſt, Deum agnoſcamus, adoremus & honoremus. Imò dum docet, qvod nos Deum agnoſcamus, adoremus & honoremus, eo ipſo docet, qvod Decalogꝰ ad nos Chriſtianos qvoqve pertineat.

420] *Bona opera Lutherus exſtirpavit*, inqvit Janſſenius, & qvædam dicta Lutheri profert: *ubicunq; Scriptura bona opera facere jubet, tu id ſic intelligas, qvod Scriptura prohibeat bona opera facere, Tom. 3. Germ. Witteb.* Objicit hoc etiam Luthero *Schererus Dom.* 18. *poſt Trinit. Conc.* 4. *p.* 630. ſed reſpondemus: Verus iſtorum verborum ſenſus explicatur *Tom.* 2. *Jenen. Lat. fol.* 55. ubi Lutherus ita docet: *Verè bona opera ſunt facienda, & arbor Spiritus ſuos fructus ferre debet, de qvibus Gal.* 5. *ſcribitur. Sed illud Chriſti non intelligitur Joh.* 12. *Niſi granum frumenti in terram cadens, mortuum fuerit, ipſum ſolum*

ma-

manet. Si autem mortuum fuerit, fructum multum adfert, & Job. 15. Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, ut fructum plus afferat. Hæc enim mortificatio & purgatio (qvæ fit infusione fidei & spei & Charitatis) facit, ut homo operibus suis exutus, discat in solũ Deũ fidere & opera bona facere, jam non sibi, tanqvã merita, qvibus præmiũ qværat, sed gratuito & libero, spontaneoq; affectu placendi Deo, nihil in ea fidens, sed per ea in gloriã Dei serviens, sicut dicit Matt. 5. luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrũ, qvi est in cœlis. Qvi isto modo bona operantur, non sibi, sed Deo, tanqvam instrumentũ Dei, operantur, nihil in his sibi arrogant, solo Deo contenti, in qvo sperant, qvi non sic operantur, simiæ sunt Sanctorum Virorũ. Adeo necesse est superstitionem fieri ex omniũ sanctorum vitâ, nisi Patrẽ cœlestem in his didicerint glorificare. Rectè ergò dicitur: Universæ viæ Domini misericordia & veritas, id est, tunc opera fieri bona, qvando ipse solus totus ac totaliter ea facit in nobis, ut operis nulla pars ad nos pertineat. Qvare hic tibi sit Canon, ubi Scriptura præcipit bonum opus fieri, sic intelligas qvod prohibeat te facere bonum opus, cum id non possis, sed ut Sabbatum Deo sanctifices, mortuus sis ac sepultus, sinasq; Deũ in te operari. Ad hoc autem non pervenies unqvam, nisi per fidẽ, spem & Charitatem, id est, per tui mortificationem & omnium operũ tuorum. Sensus est manifestus, scriptura jubet bona opera facere, scilicet in gloriã Dei, prohibet autem in illa jussione, bona opera facere, scilicet *ex nostris viribus, eo fine, ac si æternã salutẽ ijs possimus promereri*, qvæ omnia Christi & Apostolorum doctrinæ sunt consona.

421]

421] *Matth.* 19. *Fac hoc & vives*, *Lutherum*, ait, *Ironicè explicare*, *Tom.* 4. *Lat. Jen. fol.* 89. Respond. verba Lutheri ita se habent: *Sed qvi fecerit ea homo, vivet ex eis. Istam particulam intelligo esse Ironiam. Non tamen repugno, qvin possit etiam moraliter exponi qvod legem facientes moraliter, hoc est, sine fide, vivant in ea, id est, non puniantur, sed habeant corporalia præmia per eam. Sed accipio istum locum in genere, ut hoc dictum Christi, hoc fac, & vives, ut sit qvædam Ironia seu irrisio.* Ja thue es nur. *Vult autem Paulus hic ostendere, qvid sit exactè & propriè justitia Legis & Evangelij. justitia Legis est facere Legem, juxta illud, qvi fecerit ea homo, vivet in eis, justitia fidei est credere, juxta illud, justus ex fide vivit. Ideo Lex exigit, ut Deo aliqvid præstemus. Fides autem non exigit a nobis opera, aut ut præstemus aliqvid Deo, sed ut credentes Dei promissioni, recipiamus ab ipso. Itaq; Legis officium est, in summo suo gradu, operari, fidei, promissionibus assentiri.* Vides Jansseni, qvam cordatè & enucleatè hic Lutherus scribat de naturâ Legis & Evangelij, fidei & operum.

422] Qvomodo autem & qvo sensu Christus hæc verba dixerit; fac hoc, vel serva mandata, pulcrè explicat *Harm. Chemnit. cap.* 131. p. 209. 210. *Simpliciter & planè in singulis locis attendendū est, cum qvalibus hominibus Christus sermonem suum instituat. Nam pro diversitate percunctatorum, diversa etiam dedit responsa. Qvando eum accesserunt Scribæ & consimiles Personæ interrogantes, qvid faciendo, & qvibus operibus vitam æternam sibi comparare debeant, ibi Christus simpliciter respondit: si*

operi-

operibus vultis vitam æternam promereri, nulla ſanctior nec perfectior regula bonorum operum eſt, qvam doctrina legis, cui nihil vel addi, vel adimi poteſt, qvæ etiam habet promiſſionem vitæ, Si qvis eam perfectâ obedientiâ, eo modo, ſicut lex præſcribit, impleverit. Non autem propterea Chriſtus affirmat, Scribas iſtos vel hunc Juvenem hoc præſtare poſſe, imò hoc agit, ut ipſos convincat, qvod legem perfectè implere non poſſint, ut intelligant, opus ſibi eſſe aliâ juſtitiâ, qvam ſuorum operum, ſi vitam æternam velint hæreditare. Qvemadmodum ergò Medicus, ſi ægrum habeat, qvi ex phreneſi morbum ſuum non agnoſcat, cum ad ſaltandum & currendum hortatur, ut agnitâ ſuâ infirmitate medium & medicamentum tanto facilius admittat; ita Chriſtus legem cum ſuis promiſſionibus primùm proponit, ut qvia humanus animus ex ſpirituali qvadam phreneſi de ſuâ virtute plurimum ſibi blanditur, in ipſo conatu experiatur, ſe legem perfecta obedientia implere non poſſe & ita diſcat, opus ſibi eſſe medico & alia juſtitia ad vitam æternam. Qvod ipſum adoleſcens hic paulo poſt expertus eſt. Qvamprimum enim Chriſtus ipſum de æterna obſervatione Præceptorum gloriantem ad perfectam proximi pauperis dilectionem remiſit, mox toto animo conſternatus diſceſſit, qvi jam ſcalis ſua opera factis in cælum conſcenſurus putabatur.

423] *Et poſt pauca: Hoc Pontificij neqviter invertunt, qvod enim Chriſtus Phariſæis opinione propriæ juſtitiæ inflatis propoſuit, ut ſuperbiam eorum retunderet, hoc ipſi catechumenis qværentibus, qvæ ſit fides, qva vitam æternam conſeqvi poſſint, proponunt. Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Et cum Moſes*

eos, qvi volunt justificari, mittat ad Christum: Pontificij suos justificandos per baptismum jam Christo insitos à Christo ablegant ad Mosen & legem, ut faciendo ea, qvæ scripta sunt, justificentur & vivant. Hanc methodum etiam observarunt Apostoli Act. 2. v. 37. 38. Cum Judæi Catechumeni metu suorum peccatorum consternati interrogarent, qvid faciemus Viri fratres? Petrus neqvaqvam respondit: si vultis vitam ingredi servate mandata legis. Sed dicit: pœnitentiam agite, & baptizetur unusqvisq; in remißionem peccatorum. Sic Actor. 16. v. 30. cum Carcerarius qværeret, Domine qvid me oportet facere, ut salvus fiam? qvid respondit Paulus? num dixit, fac ea, qvæ in lege scripta sunt, & vives? Neqvaqvam. Sed crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu & domus tua. Et continuò baptizatus est & ipse & domus ejus. Sic ergo videmus, Christum neqvaqvam sibi ipsi contradicere in doctrina justificationis, sed tantùm pro diversitate auditorum suam doctrinam ita accommodare, ut & elati, si doctrinæ locum dare velint, & dejecti ad justitiam fidei adducantur & per eam salventur. Interim omnes novimus, qvod fides bona opera non tollat. Nam neq; ulla est vera fides, qvam qvæ per charitatem est efficax Gal. 5. versu 6. Et in eo facilè cum Pontificijs consentiemus, qvod bona opera sint necessaria. Sed si addant hæc verba, ad salutem sunt necessaria: tunc illa repudiamus, qvia pugnant cum ὑποτυπώσει sanorum verborum. Neq; duæ sunt justificationes, una fidei, altera operum. Sed coram Deo est unica justificatio fidei & ea perfecta, opera autem, qvæ seqvuntur sunt effectus justifica-

ſtificationis, ſicut etiam Auguſtinus ſcitè dixit: bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſeqvuntur juſtificatum.

424] *Lutherus*, ait, *jubet peccare: pecca, inqvit, fortiter, veri ſancti debent eſſe fortibus peccatis obnoxij.* Reſpond: In locis citatis *Tom. 1. Jenen. f. 345. & Tom. 4 Germ. Witt. p. 307.* iſta non invenio, Janſſenius fortè ex alijs hæc deſcripſit. Lutherus ſæpius in ſcriptis ſuis, exaggerat Dei miſericordiam & meriti Chriſti efficaciam, qvod illi qvi fortiter peccant, remiſſionem peccatorum tamen conſeqvantur: ita fortiter peccarunt Lothus incæſtu, David adulterio, Petrus abnegatione, Paulus perſecutione, & tamen peccatorum remiſſionem ſunt conſecuti. Sic qvando ait, *baptizatus non poteſt perdere ſalutem qvotiescunq; peccaverit, niſi nolit credere, nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas*, nihil alienum à Scripturis loqvitur; ſi enim qvi credit in filium non judicatur *Johan. 3. v. 18. 36.* & qvi baptizatus fuerit ac crediderit, ſalvabitur *Mar. 16. v. 16.* certè hinc ſeqvitur, credenti peccata etiam maxima nocere non poſſe. Paulus pro maximo peccatore ſeipſum habet, & tamen ſe, ait, miſericordiam conſecutum eſſe, *1. Tim. 1. v. 16.* ſi Judas, Herodes, Pilatus crediđiſſent in Chriſtum, peccata ipſorum nō potuiſſent eos condemnare, ſi qvis porro cum Janſſenio velit concludere, ergo licet peccare, ſi modò credam, credenti enim peccata non nocent; huic reſpondet Lutherus *Tom. 1. Jen. Germ. f. 236 255. Tom. 7. f. 147 ſi poſſibile eſſet, ut fides & vita impia conjunctim ſtare poſſent, vita impia tibi non noceret.*

Sed qvia hoc est impoßibile, & qvamprimum peccata contra conscientiam committis, simul etiam fidem amittis, certè noceret tibi si peccares, fidem namq; & æternam salutem amitteres. Qvod autem sola incredulitas principaliter damnet, testatur Christus *Joh. 3. v. 36. qvi non credit jam judicatus est:* si enim peccata simpliciter damnarent, nemo hominum salvus fieret, sed impœnitentes eâ de causâ puniuntur, qvod oblatam gratiam in verbo per fidẽ acceptare nolint, hoc verò est ipsa incredulitas, propter qvam in extremo judicio omnes impœnitentes damnabuntur.

425] Tandem qvando Lutherus ait, *solam fidem justificare, opera verò procul esse arcenda*; rectè Meisnerus (qvem misellus iste Monachus exagitat, sed non refutat) id explicat fidem dupliciter considerari, vel ratione sui, qvomodo existat, vel ratione remissionis, qvod sola peccatorum remissionem conseqvatur. Cum dicimus, solam fidem justificare, non docemus, fidẽ sine bonis operibus debere aut posse existere, sed hoc volumus, fidem in negotio justificationis gratiam Dei apprehendere sine respectu operum, seu operibus non concurrentibus. Meisnerus itaq; rectè dixit esse διαίρεσιν seu distinctionem fidei & operum, non ἀφαίρεσιν seu separationem, cum multa ratione sui distingvantur, qvæ tamen realiter separari non possunt. Doctrina hæc sacris literis est conformis: bona enim opera cuivis Christiano sunt necessaria docente Luthero *Tom. 3. Jenen. Germ. f. 469.* non tamen justificamur operi-

peribus illis, ſed fide in Chriſtum *Act.4. v.12. Job. 3. v.16.36. Rom.3. v.28. non propter opera nos ſalvat ſed ex miſericordia Tit.3. v.5. ſi verò ex operibus, gratia non eſt gratia Rom.11. v.6. operibus coram judicio divino cauſa noſtra ſit deterior exemplo illius Pharíſæi Luc.18. v.14* qvem opera non potuerunt juſtificare, hinc Paulus docet, qvod illi Chriſtum amittant, qvi per legem ſalutem qværant *Gal.5. v.4.* Sola igitur fides ſine operibus juſtificat, licet ſola ſine operibus non exiſtat, ſicut ſoli oculi ſine palpebris vident, licet ſine palpebris non exiſtant.

426] Sextum probationis membrum eſt, *qvod Lutherus hæreſes antiqvas excitarit, qvarum octo Janſſenius recenſet p.271. usq; ad p.277.* (1) *Eunomius* docuit perpetrationem & perſeverantiam peccatorum non obeſſe illi, qvi fidei ſit particeps; qvod etiam Lutherus docuit. Reſpond: (1) Eunomius per fidem non intellexit fiduciam in Chriſti meritum, ſed hiſtoricum tantùm aſſenſum & externam fidei profeſſionem, negavit etiam ὁμοȣσίαν filij Dei & Spiritus Sancti; Lutherus verò longè aliam fidem docuit, itaq; in eo Eunomio ſimilis non fuit. (2) Eunomius docuit craſſa & voluntaria peccata ſtare poſſe cum fide, at nos Lutheri ſententiam ſupra de hac re citavimus, qvi negat fidem & vitam impiam ſimul ſtare poſſe: qvanqvam peccata involuntaria, qvæ infirmitatis ſunt, cum fide ſalvificâ ſtare poſſe cum Luthero non negamus. (3) Ad loca ex Luthero objecta ſuperius reſponſum eſt, ſi autem Lutherus diceret bona opera eſſe ad ſalutem pernicioſa qvamvis (to-

mum & paginam Janssenius non citet ideoq; hæc citatio sit dubia) eo sensu hoc scriberet, dum qvis operibus justificationẽ promereri satagit, & hoc modo superbo illi Pharisæo opera ad salutem verè erant perniciosa *Luc.18 v.14.* Eadem doctrina est Pauli scribentis, qvod *qvi per legem*(id est, opera legis) *salutem qværat, ille Christum amittat Gal.5. v 4.* qvod nihil aliud est, qvam opera ad salutem (scilicet promerendam, fide posthabitâ) perniciosa esse.

427] (2) *Aeriani* docuerunt pro mortuis *non esse orandum, stata jejunia non esse celebranda, Præsbyteros ab Episcopis nõ esse discernendos, qvod etiam Lutherus docuit.* Respond. Aerius fuit hæreticus, qvia errores Arrij amplexus est, sed sententiæ modò enumeratæ hæreticum non faciunt. Mortui enim si beatè discedunt, recipiuntur statim in cœlum *Apoc.14.v.13. Luc.23.v.43. Johan.3.v.18. cap.5.v.24.* & sic precibus nostris non opus habent; si verò moriuntur in peccatis, detruduntur in infernum, ex qvo nulla est liberatio. Jejunium statum esse observandum, scriptura nullibi præcepit, nec Janssenius unicum locum afferre potuit; inter Presbyteros & Episcopos scriptura ipsa nullum reale discrimen ponit, pro ut inferius demonstrabitur, Imò Pontifex ipse distin.95. cap. 7. *sta subjectus*: distin.93. cap.24. *legimus:* dist.95. cap.5. *olim idem*, cap. 6. *Ecce ego*, negat discrimen Episcopi & Presbyteri olim fuisse. Qvomodo ergò Lutherus in hisce omnib9 hæresin fovere potuit?

428](3) *Vigilantius docuit, Sanctorum reliqvias non esse venerandas, orationes mortuorum non exaudiri,*

diri, adeoq; Sanctos frustra invocari, Ecclesiasticos debere esse Uxoratos, qvod etiam Lutherus docuit. Respond: de reliqvijs Sanctorum supra n. 259. seq. actum est. de Invocatione Sanctorum infra, part. 2. agetur, Ecclesiasticos debere esse uxoratos infra demonstratur. Hæresin igitur nullam Lutherus in hisce dogmatibus fovit. (4) *Lampetiani docuerunt monasteria esse libera sine votis perpetuis, qvod etiam Lutherus docuit.* Respond: Vota ista in Scripturis non sunt mandata, ex Ethnicismo sunt exorta, Sacerdotes enim Ægypti vovebant perpetuam abstinentiam, teste *Hieron. lib. 2. contra Jovin. cap. 39.* fiunt coactè, qvod est contra naturam votorũ fiunt sub opinione cultus & meriti, imposibile est plurimis ut hæc vota servent, conscientiæ ijsdem illaqveantur, *1. Cor. 7. v. 35.* fiunt contra præceptũ divinum, *1. Cor. 7. v. 2. 9.* Deus illuditur hisce votis, vovetur enim paupertas in divitijs, castitas in scortationibus, qvibus de causis Lutherus rectè docuit, vota talia esse impia adeoq; intermittẽda.

429] (5) *Tempore Cyrilli*, ait, *fuisse hæreticos, qvi dixerint, in Eucharistiâ non manere corpus Christi, qvod etiam Lutherus docuit.* Respond: mens Lutheri fuit, qvod extra usum Sacramenti corpus Christi Sacramentaliter cum pane non sit unitum, id qvod fidei est analogum & sacris literis conforme. Contrarium autem verum esse, Janssenius nullo verbulo demonstrat, qvomodo igitur id hæreticum pronunciat? qvâ de re tamen infra libro secundo agetur. (6) *Arriani rejecerunt Traditiones, qvod etiam Lutherus fecit.* Respondetur hac ratione Paulus fuit

hæreticus, qvi ait Scripturas nos instruere *ad salutem, ut homo sit perfectus & ad omne opus bonum instructus*, *2.Tim.3.v.17.* Hæresis Arrianorum non fuit in traditionum rejectione, sed in erroribus longè alijs. Traditiones præterea non omnes reijcimus, sed tantùm eas, qvæ scripto Dei verbo repugnant, qvæ autem nostra de traditionibus sit doctrina supra capite 5. fusius declaratum est. (7) *Donatistæ docuerunt Ecclesiam ubiq; perijsse & in solâ Africâ mansisse, ita Lutherus docuit, Ecclesiam olim in Papatu perijsse, & in infantibus alijsq; paucis servatã esse.* Respond. Ecclesia ipsa nõ perijt, sed tantùm externus splendor Ecclesiæ, Ecclesia verò ipsa sæpius obscuratur, & in paucis fidelibus conservatur. Tempore Eliæ erant 7000. fidelium, *1.Reg.19.v.18.* tempore Christi fidelium erat numerus exiguus. Imò Ecclesia vocatur grex pusillus *Luc.12.v.32.* qvid mirum igitur, si in paucis illa conservetur; Filius hominis cũ venerit, vix fidẽ inveniet in terris *Luc.18.v.8.* Lutherus igitur nihil hæreticum docuit hac in re, nisi ipsa Scriptura sit hæretica, qva de re tamẽ infra dicetur. (8) *Arriani docuerunt, qvod Princeps civilis sit supremum caput Ecclesiæ in spiritualibus*; at ubi hoc Lutherus docuit? inqvis, *Calvinistæ & Arminiani hoc docent*: sed qvæstio est de Luthero, an is hæreses antiqvas excitarit? ita miser iste Monachus claudicat sub finem, & in probatione suâ totus deficit.

[430] *Provocat Janssenius ad Coccium de signis Ecclesiæ, qvi plures hæreses de Luthero demonstrat, ad Florimundum qvoq; & ipsum Bellarminum.* Respond. Coccius iste in apertissimis mendacijs deprehen-

prehenditur, qvando scribit in Thesauro Catholico Lutherum docuisse, *nullum esse Deum, lib. 1. Art. 1. non esse tres Personas in Essentiâ Divinâ, lib. 1. Art. 4. filium Dei non esse ὁμοούσιον cum Patre, lib. 1. Art. 5. Christum non esse unam Personam ex duabus naturis unitam, lib. 2. Art. 2. Christum non omnia novisse, lib. 2. Art. 3. Christum non esse unicum mundi Salvatorem, lib. 2. Art. 7. Mosen & scripta ejus in Ecclesiâ haud magnam habere authoritatem, lib. 6. Art. 5. Jobi historiam non esse veram, lib. 6. Art. 6. potestatem Politicam & Ecclesiasticam non esse â Deo, lib. 7. Art. 1.* qvando, ubi hæc Lutherus docuit, qvo Tomo, qvo folio? qvi semel in mendacijs deprehenditur, illius testimonia de veritate amplius non acceptantur.

431] *Florimundum Ramundum* qvod attinet, *Is de ortu & progressu hæreseon lib. 1. cap. 5. p. 39. ex themate natalitio Lutheri demonstrare nititur, ipsum fuisse hæreticum: Saturnus qvidem & Jupiter, ait, magna producunt ingenia, sed vaga atq; errabunda. Mercurius & Venus éloqventes faciunt & disertos, sed eosdem mendaces. Mars & Mercurius in Scorpionis signo occurrentes, homines ad decipiendum aptos, & in defendendis erroribus insignes Sophistas. Mars, Mercurius & Luna, nullo alio interposito, promptos, acutos & subtiles, sed vafros & versipelles. Et sicut Mars & Venus libidinem mirificè incendunt, etiam qvando ijdem in Capricorni signo, Mercurio ibidem existente, congrediuntur; sic Mars & Jupiter in Scorpione sibi occurrentes, conscientiam vehementer perturbant & irreqvietam faciunt, uti Luthero accidit,*

qvem fidem abnegaturum, & nefarium veræ religioni bellum illaturum, ijdem Planetæ demonstrarunt.

412] At ubi est conscientia istorum hominum, ubi timor Dei, ubi Religio? si astra Lutherum fecerunt hæreticum, seqvitur (1) qvod astra dominentur animæ & conscientiæ, adeoq; possint fidem & ἀπιστίαν animabus hominum infundere & inserere, qvod non tantùm est atheum, sed etiam repugnat principijs Mathematicis qvæ dominium astrorum ad animam & conscientiam, & qvidem in causâ fidei atq; religionis non extendunt. (2) Seqvitur, Deum esse causam hæreseon, nam causa causæ est etiam causa causati; Deus autem creavit astra, eadem conservat & congressus illorum dirigit, ergò qvoq; est causa effectuum ex illis congressib9 provenientium, præsertim qvum Florimundus dicat, qvod Mercurius & Venus *faciant* mendaces, qvod Mars & Mercurius in Scorpio *faciant* homines ad decipiendum aptos, qvod Mars & Jupiter in Scorpio *conscientiam perturbent* & demonstrent hominem fidem abnegaturum, qvæ omnia sunt impia & verbo Dei cõtrariantur. (3) Si constellationes istæ Lutherum fecerunt hæreticum, seqvitur, omnes illos factos esse hæreticos, qvi tum temporis nati sunt in universo mundo, etiam in ipso Papatu, adeoq; ipsos Pontificios ijsdem constellationib9 natos, nihilominus esse hæreticos in religione suâ pontificiâ. (4) Si astra faciunt hæreticum, seqvitur, qvod Diabolus astris cooperetur, qvi etiam spargit hæreseon Zizania *Matth. 13. v. 25.* adeoq; astrorum & diabo-

lorum

lorum idem ſit effectus, qvod eſt impium & abſurdum. (5) Si hæreſes dependent ex aſtris, fruſtra Chriſtus monet cavere Pſeudoprophetas *Matt.7.v.15.* fruſtra Johannes monet probare Spiritus, *1 Joh.4.v.1.* cum aſtrorũ diſpoſitio & operatio hominibus obſtent, qvo minus iſtas cautelas & probationes admittere poſſint. (6) ſeqveretur, arbitriũ hominis non eſſe liberum, operationem Spiritus Sancti aſtris impediri, qvæ omnia qvod ἄλογα ſint & ἄθεα, qvilibet videt. (7) Si aſtrorũ influxu Lutherus fuit hæreticus, Pontificij potius aſtra, qvam Lutherum accuſent, neceſſe eſt, cum hic nõ fuit cauſa hæreſeon, ſed potius influxus aſtrorum movens animum & perturbans conſcientiam Lutheri: & ſanè nõ levis eſt ſuſpicio *iſtum Janſſenium fortè tali aſtrorum poſitu eſſe natum, cum mendacijs, ſophiſticationibus & deceptionibus perditam Papatus cauſam in hoc libro defendat.* Pudeat Chriſtianum ſuperſtitionibus hiſce Ethnicis cauſam Eccleſiæ Chriſti defendere. *Bellarminus* qvoq; aliqvot hæreſeon Lutherũ accuſat, ſed *Gerhardus* copioſiſſimè & ſolidiſſimè iſta omnia refutavit in tractatu de Eccleſiâ ſimulq; demonſtravit, Papatũ eſſe cloacã & ſentinam ex plurimis hæreſibus concretam & conglutinatam, *à p. 1037. usq; ad p. 1092.* Videatur *D. Zeæmannus contra Kellerum Art. 15. cap. 19.*

433] *Septimò Janſſenius Luthero obijcit inconſtantiam p. 277. usq; ad p. 286. prolixâ & confuſa declamatione*, nervus tamen in eo conſiſtit, *qvod plurimi Authores iſtam inconſtantiam, mutabilitatem & contradictiones Lutheri, Scriptis peculari-*

bus

bus demonstrarint, & Meisnerus in Antilessio istam inconstantiam non sufficienter excusare potuerit. Respond. Jam diu responsum est illis authoribus, qvi Luthero contradictiones objecerunt. Scriptum illud, qvod vocatur der Evangelische Wetterhan/ *Vertumnus Evangelicus seu Lutheranus*, refutavit præclarus ille Theologus *D. Heerbrandus*, piæ memoriæ. *Sixto Sartorio* sufficientissimè respondit *Laurentius Lælius Pastor Onoldinus*. *Pistorius* solidissimè est refutatus à *Dnn. Theologis Hassiacis*. *Vettero* sufficienter est responsum *ab utroq; Heilbrunnero. Ungerstorffium* mascule abegit & confutavit *D. Zeamannus*, ita ut nihil illorum restet in *Cochlæo* vel *Querhammero*, qvæ non decies sint refutata. Et si Janssenius vel unicam Lutheri contradictionem attulisset, sanè absq; responsione dimissus non fuisset.

434] Beati Meisneri duas responsiones ex Antilessio citat & examinat, qvarum prior est, *qvod aliud sit contradictio, aliud prioris sententiæ mutatio*; posterior, *qvod qvis simul verum & falsum, de rebus tamen diversis, possit docere, exemplo Pharisæorum, qvi erant ministri Dei legem proponentes, fures autem & latrones legem corrumpentes.* In priori responsione multa Janssenius desiderat, *si Lutherus*, ait, *non statim in omnibus fidei articulis veritatem fuit assecutus, seqvitur qvod fuerit hæreticus, p. 280.* sed hæc conseqventia est nimis laxa: qvis definit hæreticū hoc modo, qvod sit is, qvi veritatē in exordio conversionis per omnes articulos non statim asseqvitur, seqveretur hoc modo, omnes Apostolos fuisse hæreticos, illi enim in plurimis articulis

ticulis veritatem non statim conseqvebantur de Passione & Resurrectione Christi, de regno Messiæ, in multis hærebant ante visibilem Spiritus Sancti effusionem. *Nemo Sanctorum Patrum*, ait, *retractavit doctrinam aliqvam fidei*; atqvi hoc fecit Augustinus, qvi progressu temporis priores opiniones rejecit, & veritatē magis magisq; cognovit, hinc Epist. 7. scribit: *profiteor me esse ex illorum numero qvi scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt. Si in principio*, inqvit, *adhuc fuit immersus tenebris Pontificijs qvomodo fuit Propheta & Evangelista?* Respond: idem posset qværi de Apostolis, si in principio tenebris fuerunt immersi de regno Christi mundano, qvomodo fuerunt Apostoli? scilicet non in uno momento fuerunt illuminati, sed paulatim profecerunt, id qvod etiam de Luthero est verissimum. *Atqvi Zwinglius fatetur, Lutherum fuisse inconstantem*, Respond. Zwinglius Luthero contradixit ut Adversarius in religione, qvomodo igitur Zwinglij testimonium nobis potest obijci? Nos potius Zwinglium producimus testem fraudum & falsitatum in Papatu, cujus testimonium si Monachi respuent, non videmus, qvomodo contra Lutherum producere, nobisq; obtrudere possint. Posterior responsio Meisneri fuit, *qvod qvis simul verum & falsum in diversis Objectis posit docere, exemplo Pharisæorum*. Sed hanc responsionem Meisnerus non dedit ad solvendas Lutheri contradictiones, verum in Antilessio p. 389. istam instantiam opponit Pontificijs obijcientibus exemplum Calvini, fuit is â Deo missus, qvatenus idolomanias Papales ex verbo Dei refutavit,

tavit, in qvantum verò peregrina dogmata ex nudâ ratione effinxit, eatenus â Deo missus non fuit. Insignem ergo malitiam Janssenius committit, dū citat Meisnerum loqventem de Luthero, qvi tamē in loco dicto nō de Luthero sed Calvino agit; judicent omnes Christiani de candore hoc monastico. Sponte igitur suâ corruit omne, qvod Janssenius exinde deducit, imprimis illud, qvasi Lutherus partim mendax, partim verax dicendus sit.

435] De contradictionibus autem Lutheri breviter hoc nostrum est judicium. (1) Lutherus non in momento, sed paulatim fuit illuminatus, & in veritatis agnitione succrevit, qvapropter scripta ejus priora cum judicio sunt legenda, monente ipso Luthero *Tom. 1. Jenens. Germ. fol. 2.* (2) Licet non subitò fuerit illuminatus, non tamen seqvitur, incertam esse ejus illuminationem. Videmus frumentum maturum, licet horam & diem ignoremus, qvo maturuit; videmus lucem exortam, qvamvis punctum & minutum ignoremus, qvo lux ista perfectè exorta sit; ita etiam Lutheri doctrinam videmus Evangelicam, licet tempus ignoremus, qvo ad istā Evangelij perfectionē venerit. (3) Semper distingvendum est inter contradictiones veras & apparentes, multa apparent esse contradictoria, qvæ tamen si rectè explicentur, sine contradictione sunt scripta, exemplo nobis sint Biblia Sacra, in qvibus vel mille contradictiones occurrunt, sed apparentes, idem de scriptis Lutheri esto judicium (4) Lutherus conqveritur *Tom. 6. Jen. Germ. p. 510. & Tom. 7. p. 234.* qvod ipso vivente hostes doctrinæ suæ contradi-

ctiones

ctiones effinxerint, sed causas & circumstantias reticuerint; hac ratione, ait, omnes libri Medici & Juridici, imò omnis vita hominum antilogijs scateret, si causæ & circumstantiæ supprimantur. (5) Semper distingvimus articulos fidei principales, seu capita doctrinæ Christianæ, & doctrinam de Traditionibus. In capitibus Christianismi fundamentalibus Lutherus sibi semper similis est, verum in doctrinâ de traditionibus, ut de missa, indulgentijs, purgatorio variavit, donec easdem penitus rejecit. Lutherus ipse ita distingvit *Tom. 2. Jenens. Germ. pag.* 433. *in libro contra Regem Angliæ*, & mutationem sententiæ in traditionibus libenter agnoscit, eamq; exemplo Pauli & Apostolorum defendit. (6) Lutherus sæpius loqvitur in tentationibus, qvas tamen Deo adjuvante, tandem superavit, qvæ autem in paroxysmo tali profert, non sunt acceptanda, qvasi publicè ita docuisset, qverelam ipsius de tentationibus Sathanæ lege *Tom. 2. Lat. Jenen. f. 441.* (7) Constantiam in doctrinâ suâ palam fatetur, & eam asseverat, *Tom. 3. Jen. Germ. f.* 513. qvando scribit: *hæc est fides mea, nam ita credunt omnes veri Christiani, & ita docet sacrosancta Scriptura & qvod hic sufficienter satis non dixi, id supplebunt libri mei, præsertim posteriores. Oro autem bonos omnes, ut hujus rei testes mihi sint, & pro me orent, ut in hac fide constans persistam, usq; ad finem vitæ, nam qvod Deus prohibeat, si ex tentatione & in ultimo mortis agone aliqvid aliud dixero, nihil erit, & hoc ipso testificor, falsum illud esse & Diaboli instinctu profectum.* (8) Semper distingvendum

dum est inter verba Lutheri, prout in textu ipso inveniuntur, & prout ab Adversarijs citantur, qvod sæpius fit mutilatè, corruptè, qvibusdam vel insertis vel erasis, cujus rei exemplum præbuit *Conradus Vetter* in Postcolloqvio Ratisponensi, qvem *D. Heilbrunnerus* in manifestis fraudulentijs deprehendit & publicè confudit p. 37. usq; ad 57. Ejusmodi fraudulentas citationes Lutheri in Jesuitis Pragensibus reprehendit *Garthius in Colloqvio Pragensi p. 101. seq.* & Janssenius in primâ ratione hujus capitis talia qvoq; falsitatis specimina edidit. (9) Tandem Pontificij suas contradictiones resolvant Juris Canonici, qvas collegit *Osiander in Papa non Papa*, Conciliorum, monstrante *Gerhardo de Eccles. §. 237*, Scholasticorum & Theologorum, qvorum dissensiones edidit *Flacius in* peculiari scripto, *Papius* qvoq; in *contradict. Ecclesiæ Romanæ*, item *Hunnius in Papatu seipsum destruente*, alijq; plures. Hasce trabes Monachi prius ex oculis suis eruant, qvâm festucam in oculis aliorum taxent.

436] *Octavùm probationis membrum est, qvod Lutherus fatetur, homines ex doctrinâ sua fieri deteriores, qvod iterum prolixè & confusè deducit a pag. 287. usq; ad 294. & ex Musculo, Jacobo Andrea, & Paulo Ebero similia testimonia citat.* Vetus hæc crambe est toties recocta. Respond: (1) falsissimum est, vel Lutherum vel ullum Lutheranum fateri qvod mala opera ex ipsâ doctrinâ in se consideratâ tanqvam fructus proveniant & resultent, Lutherus enim tanto zelo mala opera & vitæ pravitatem non condemnasset, si ejusmodi doctrinam,

nam, cujus fructus mala opera fuissent, propagasset; testantur omnes conciones, omnes disputationes, imò ferè omnes paginæ in scriptis Lutheri, qvod vitæ perversitatem in omnibus statibus acerbè deplorarit, & ad pœnitentiam ac correctionem sedulò exhortatus fuerit. (2) Testatur qvoq; ipsa experientia doctrinam Lutheri fructus salutares protulisse per universamChristiEcclesiam, scilicet veram peccati agnitionem & contritionem, vivam in Christum Salvatorem fiduciam, pacem & gaudium in Spiritu Sancto, preces ardentes, patientiam sub cruce & spei constantiam, amorem verbi divini, status Politici & conjugalis restaurationem, curam pauperum, idolomaniæ Pontificiæ detestationem, & alia plura; per Dei gratiam florent talia inter nos opera, qvod novit Deus καρδιογνώστης & Spiritus ejus, qvi in nobis habitat & testimonium dat Spiritui nostro. (3) Lutherus ipse satis dilucidè has criminationes sæpissimè diluit, inprimis *in explicatione Evangelij Dom. 8. post Trinitatis*, ubi scribit: *malè Evangelio culpa adscribitur, qvod multi eo abutuntur, & licet tales nos tolerare oporteat, veluti Paulus in Ecclesijs suis ejusmodi homines toleravit, non tamen approbamus aut concedimus, sed punimus & objurgamus, qvantum possumus, ut vel corrigamus, vel etiam removeamus omne id, qvod adversatur salutari doctrinæ.* (4) Eadem ratione doctrina Prophetarum & Apostolorum posset argui, qvod pessima opera exinde provenerint, cum in populo Judaico scandala non minora inventa fu-

erint: enormiter peccabant filij Jacobi, Ruben incæstu, Simeon & Levi homicidijs, Dina stupro, fratres omnes Josephi malitiosâ venditione. In deserto qvoties Israelitæ peccarunt impatientiâ, idololatriâ, inobedientiâ, seditione, scortatione, David adulterium & homicidium committebat, Ammon vitiabat propriam sororem, Absolon occidebat Ammonem & Patrem regno eijciebat. Reges Judæ & Israelis qvot Idololatrijs, qvot bellis crudelissimis Deum offendebant, evolvantur qverelæ Prophetarum *Esa. 1. v. 5. 6. 21. 22. 23. cap. 5. v. 7, 8. seq. cap. 22. v. 12. 13. Jerem. 2. v. 29. 30. cap. 5. v. 3. 6. cap. 6. v. 6. 7. cap. 7. v. 8. 9. cap 13. v. 23. cap. 25. v. 3. Ezech. 5. v. 6. Ose: 4. v. 1. 2. Mich. 7. v. 2.* longè plures & acerbiores qverelas invenies in locis hisce & alijs qvamplurimis, qvàm in Luthero; num exinde seqvitur, Doctrinam Prophetarum ejusmodi fructus protulisse? Christus ipse conqveritur de inimico zizania seminante *Matth. 13. v. 28.* de scandalis *Matth. 18. v 7.* Nonne Judas Christum prodidit, Petrus abnegavit, Thomas resurrectionem Christi credere noluit. Apostoli omnes â Christo tempore passionis aufugerunt, Paulus & Barnabas non exiguam habebant contentionem *Act. 15. v. 39.* in Ecclesiâ Corinthiacâ incæstuosus qvidam vivebat *1 Cor. 5. v. 1 & 6.* aliaq; crimina horrenda vigebant, *2 Cor. 12. v. 20. 21.* Ergone Apostolorum doctrina tales fructus peperit? (5) Qvid vides Jansseni festucam in oculis Lutheranorum, sed trabem non vides in oculis Pontificiorum? sæpius citas Meisneri Antilessium, at in eo invenies *Consid. 2. Art. 2. p. 117. ad 147.* horren-

renda ſcelera, qvæ in Papatu juxta ſeriem Decalogi committuntur, cur iſta non produxiſti? in Papatu publica tolerantur lupanaria, commendatur Sodomia, qvod teſtatur liber ille *Johannis de La Caſa*, perpetrantur & approbantur regicidia, prohibetur lectio Scripturarum, peccatorum remiſſio pecunijs emitur & venditur, qvod teſtatur Taxa pœnitentiaria: Ipſi Pontifices ſcortationibus & adulterijs nefandis ſeſe polluunt teſtibus Platina, Nauclero, Nigrino & alijs. Jam olim conqvæſti ſunt de malitiâ plusqvam Ethnicâ in Papatu *Author Oneris Eccleſiæ cap. 19. ad 26. Gravam. Centum Nation: Germanicæ art. 31. Marſilius Patavinus in Defenſ. Pacis cap. 22. Franciſcus Petrarcha in Dialogo de Rom. Curiæ certatione.* Dies Domini revelabit caſtitatem monachorum & monialium, poſteritas teſtabitur de ſeditioſis Foreri & Jureconſultorum Dilligenſium ſcriptis, de fœdifragijs, de æqvivocationibus diabolicis. Verè manet Papatus ſentina & cloaca horrendiſſimorum ſcelerum, Roma ipſa ſedes Antichriſti diu celebrata eſt verſibus vulgò notis;

Vivere qvi ſanctè cupitis, diſcedite Româ.
Omnia cum liceant, non licet eſſe pium.

437] Inſigne ſpecimen autem diabolicæ calumniæ Janſſenius edidit in citatione verborum Lutheri, citat enim *ex Poſtilla Domeſtica ſuper Dom. 1. Advent. Lutherum loqventem:* mundus ex hac doctrinâ qvotidiè redditur deterior, jam homines ſinguli ſeptenis Diabolis obſidentur cum antea unico tantum Diabolo obſeſſi fuerint; ſup-

primit enim ſtudio, qvæ Lutherus ibidem ſcribit *p.2. Edit. Witteberg. Anno 1545. Concionem Evangelij debebamus cum gaudio accipere, & piè ſecundum illam vivere, invertitur autem ordo, & mundus ex hac doctrinâ qvotidie redditur deterior. Num verò ipſa doctrina eſt in causâ? minimè, ſed hoc eſt opus & negotium Diaboli, qvod homines jam ſint deteriores, qvàm olim in Papatu. Lutherus itaq; non doctrinæ ſuæ ſed Diabolo iſta adſcribit. Ita Janſſenius* citat Lutherum in *Domeſt: Poſtilla conqverentem*, qvod homines cum fide ſuâ falsâ ad diabolũ perveniant, ſed qvod â Luthero & ejus doctrinâ fidem hanc falſam hauſerint, id non ibidem legitur, nec minus per conſeqventiam inde deducitur, ac ſi qvis ex qverelis Prophetarum & Apoſtolorum vellet concludere, qvod Iſraelitæ adulteria, homicidia & Idololatriam ex ipſorum doctrinâ hauſiſſent vel accepiſſent. Idem de alijs ex Luthero citationibus eſto judicium.

4;8] *Nonum & ultimum probationis membrum eſt, qvod Lutherus in locis qvibusdam interitum Papatus prædicat, in alijs tamen locis palinodiam canat, & de interitu ſuæ doctrinæ vaticinetur.* Janſſenius ita concludit. *Prædictiones Lutheri de interitu doctrinæ ſuæ aut ſunt veræ, aut falſæ, ſi veræ, doctrina ejus eſt falſa, verbum enim Dei non interit, ſed manet in æternum: ſi falſæ; tum religio ejus non poteſt eſſe vera, mendaces enim habent Spiritum immundum Zachar. 13.* Sed reſpondemus: Qvæ Lutherus prædixit de lapſu Antichriſti & Romanæ Babylonis, eventu tandem fuêre comprobata. Papatus cecidit *potentiâ ſeculari*, qvam Imperatores, Reges atq;

Prin-

Principes non adeo reformidant, atq; olim factum. Cecidit *divitijs*, tot enim Episcopatus, Monasteria, Abbatiæ, Canonicatus Papatui sunt erepta, ut si vel aliorum omnium, istius tamen boli erepti, Pontificij non possint oblivisci. Cecidit Papatus *multitudine Confessorum*, qvot regna & Principatus discesserunt â superstitione Romanâ, Anglia, Scotia, Dania, Norvegia, Svecia, Finlandia, Belgij, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Germaniæ maxima pars, qvot myriades animarum dicam, scribunt Babylonicis Idolomanijs summo cum Monachorum gemitu? Cecidit Papatus *authoritate suâ*, olim nemo audebat hiscere contra Pontificem, qvi crepabat se caput esse, se Ecclesiam esse, se summum Christi vicarium & Ecclesiæ Sponsum esse. Omnia licebant olim Papis, qvæ placebant, in horrendissimis sceleribus nemo audebat Papam objurgare, Papa qvid facis? sed qvis hodie veretur istam fictitiam authoritatem? Ito Jansseni ad Venetianos, illi te edocebunt, qvid de Pontificis authoritate sit statuendum. Cecidit Papatus *doctrinâ suâ*, cui jam per universam Christi Ecclesiam contradicitur, non amplius æstimatur purgatorium, non Legenda Sanctorum, non miracula, non reliqviæ, non invocationes, non cultus imaginum, non sanctitas cucullorum monasticorum, non opera supererogationis, non indulgentiæ, pudet hodie Monachos multorum, qvæ olim summo zelo propugnarunt. Non amplius excommunicant muscas, non concionantur lapidibus, avibus & piscibus, non amplius vendunt indulgentias pro ijs, qvi vel Matrem Domini

ſtupraſſent, ut olim Tezelius vendidit. Non amplius defendunt ſtultas & ineptas Scholaſticorũ qvæſtiones, de qvibus ſupra cap. 1. actum eſt. Cecidit Papatus *animorum magnitudine*, pueri & puellæ in noſtris Eccleſijs jam contradicere poſſunt eruditis Monachis, qvum Biblia pueris ſint notiora, atqve olim Doctoribus qvibusdam Theologiæ in papatu, non amplius timent Laici Tyrannidem Papalem, ſed animosè contradicunt, qvam langvidi ſunt Monachi & Jeſuitæ in certamine Scripturarum, in criminationibus autem & obtrectationibus ſolùm ſeſe heroes præſtant. Cecidit Papatus qvoq; *ſpe brachij ſecularis*, cujus ope hactenus religio Pontificia eſt propagata. Ito Janſſeni & amplius qværito, an Lutheri vaticinia de lapſu Papatus ſint impleta?

439] *Atqvi*, Obijcis, *Lutherus prædixit ſuam qvoq; doctrinam interituram.* Reſpond. teſtantur omnia Lutheri dicta, qvotqvot hac de re poſſunt produci, qvod *cum conditione* locutus fuerit, ſi ſcilicet mundus ingratitudine ſuâ perrexerit, ſi homines vitam non emendaverint, ſi beneficium hoc Evangelij repurgati non agnoverint, ſi theſaurum verbi divini non coſtodiverint, ſi precibus & ſtudijs non vigilaverint, fore ut doctrina Evangelij (non prorſus deleatur & intereat, hoc enim nullibi ſcribit) obſcuretur, & Deus errores immittat ijs, qvi Evangelio credere nolunt. Hæc verò omnia Scripturis ſunt conſona, ubi ſimilia leguntur vaticinia de erroribus & hæreſibus, propter mundi ingratitudinem ultimis temporibus futuris: *Erit tempus, cum ſanam doctrinã nõ ſuſtinebunt,*

bunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & â veritate qvidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, 2. Tim. 4. v. 3. Ideo qvod charitatem veritatis non receperint, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes qvi nõ crediderunt veritati, sed consenserunt iniqvitati, 2. Thess. 2. v. 10. Spiritus disertè dicit, qvod postremis temporibus descifcent qvidam â fide, attendentes Spiritibus seductoribus, ac doctrinis Dæmoniorum per hypocrisin falsiloqvorum, qvi cauteriatam habent conscientiam, 1. Tim. 4. v. 1. 2. Multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos Matth. 24. v. 11. Venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam tuam egeris Apoc. 2. v. 5. In modum igitur Janssenianum argumentor: Prædictiones hæ Sacræ Scripturæ, aut sunt veræ, aut falsæ, si veræ, tum verbum Dei non est verbum Dei, hoc enim non potest interire, sed manet in æternum: si falsæ, seqvitur qvod Scriptura non sit ipsa veritas, cum manifesta habeat mendacia. Qvicqvid mihi Janssenius respondebit, illud sibi qvoq; responsum habeat.

440] Cum itaq; Janssenius nihil eorum potuit demonstrare, qvorum accusavit Lutherum, conclusio ejus sponte corruit, *Religionem Lutheranam esse falsam.* Plurimas Monachorum criminationes & figmenta de personâ & vitâ Lutheri, congessi in Libello, cujus titulus, *Lutherus defensus*, in qvo copiosè ad omnia respondi, qvorsum Janssenium, aliosq: Lectores remitto.

Caput decimum qvintum.

De Nomine Ecclesiæ Catholicæ.

441] FUerunt hactenus *argumenta pro Religione Lutheranâ amplectendâ & defendendâ*, ſeqvitur jam *Refutatio argumentorum, qvæ Pontificij pro ſtabiliendâ fide & Religione ſuâ adducunt.* Familiam verò ducit illud, qvod deſumitur *â nomine Eccleſiæ Catholicæ*, qvod nomen hactenus ſola Pontificia Eccleſia per aliqvot ſecula obtinuiſſe dicitur. Reſpondi ego in meâ Admonitione (1) qvod ex ſolo nomine nihil poſſit concludi, Simon enim Virtus Dei Act. 8. v. 10. Diana Epheſiorum Dea Act. 19. v. 27. & Mahomet magnus Propheta dicitur, qvæ omnia tamen nec Simoni, nec Dianæ, nec Mahometi competunt. (2) Nomen Catholicum, non eſſe notam Eccleſiæ, cum ante Chriſti aſcenſionem vera Chriſti Eccleſia hoc nomine caruerit, vera autem ſigna Eccleſiæ ei ſemper competunt. (3) In Symbolo Apoſtolico hanc vocem quidem inveniri, ſed adhuc in dubio eſſe, an Apoſtoli ipſi hoc Symbolum conſcripſerint, imò an hanc vocem Symbolo ipſi Apoſtoli vel alij inſeruerint, cum Patres hac de re diſſentiant. (4) Eccleſiam Chriſtianam vocari Catholicam, ut opponitur Judaicæ, qvæ uni populo erat allegata, cum hæc nec populo nec loco certo competat Mar. 16. v. 15. Matth. 28. v. 19. Pſal. 19. v. 4. 5. (5) Papatum ſolo nomine audiri qvod ſit Catholica Eccleſia, non autem eſſe Catholicam, cum ex doctrinâ Chriſti non ſit progenita,

nita, tanqvam vero & incorruptibili semine, 1. Pet.1. v. 23. nec tempore Christi & Apostolorum in rerum naturâ fuerit. (6) Nos potius esse Ecclesiam Catholicam, qvia habemus doctrinam Apostolorum in universo mundo prædicatam, nec nomẽ, qvo appellamur Lutherani, hoc impedire, cum ipsi Pontificij partim se Franciscanos, partim Dominicanos appellent. Excipit Janssenius ad hæc omnia prolixè, pro ut seqvitur.

442] (1) Ait, *Pontifices non ex solo nomine, sed hoc modo argumentari; illa Ecclesia, qvæ semper habita & dicta fuit Catholica, est vera Christi Ecclesia; atqvi subsumit, non Lutherana sed Romana Ecclesia semper fuit habita & dicta Catholica, ergo est vera Christi Ecclesia.* Respond. (1) Janssenius negat id, qvod tamen cæteri Pontificij, & inprimis Bellarminus concedunt, nomen scilicet Catholicum esse notam Ecclesiæ, *Bellarm. lib. 4. de notis Eccl. c. 4.* ita scribit: prima nota est *ipsum Catholicum Ecclesiæ & Christianum nomen*, & ex Cyrillo citat; *hoc nomen proprium est sanctæ hujus Ecclesiæ*, ex Pacino ait: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen*, nec Bellarminus in toto illo capite aliud qvid tractat, præter demonstrationem solius nominis Catholica: an verò Pontificij habiti fuerint, aut revera sint Catholici, id in illo capite non attingit. *Hermannus Hugo Jesuita in defensione Lessij contra Meisnerum pag. 130.* expressè scribit, qvod Patres *ex sola nudaq; appellatione Catholica veram Ecclesiam olim dignoverint, & si ex sola nudaq; appellatione qvalitas rei non rectè posset colligi, non esse aliud medium, unde qvis Meisnerum vel alium hominem*

nem nosse posset. Qva fronte ergò Janssenius negat, qvæ tamen oculis & auribus omnium sunt exposita ? (2) Qvod si verò Janssenius cum nomine velit conjungere rem signatam, ita ut illa sit vera Christi Ecclesia, qvæ non tantùm vocatur, sed reipsa est Catholica, majorem propositionem facilè concedimus, ita tamen ut rectè intelligatur, qvid sit Catholicum seu universale. Fides dicitur Catholica duplici respectu, uno qvatenus Catholico Scripturarum Propheticarum & Apostolicarũ codici per omnia congruit, & hoc modo opponitur hæreticis, qvi sibi peculiare qvid eligunt, qvod cum Scripturis non congruit, altero autem, qvatenus ejusmodi fides & doctrina communis est omnibus fidelibus in universo terrarum orbe *Mar.14. v.9. Gal.3. v 28.* Hoc sensu si qvæ Ecclesia vocatur & est Catholica, illam concedimus esse veram Christi Ecclesiam. (3) Sed de hodiernâ Romanâ Ecclesiâ id non potest dici, non priori respectu, illa enim non docet fidem Catholico Scripturarum codici per omnia congruentem, ut lib. 2. copiosè probatur; nec posteriori respectu, fides enim qvæ hodiè docetur in Ecclesiâ Romanâ non est communis omnibus Christi fidelibus, qvot enim myriades Christianorum inveniuntur, qvi ex toto corde fidem Romanæ Ecclesiæ aversantur, qvi extra Romanam Ecclesiam salvantur, imò loca sunt plurima præsertim in Septentrione, ubi doctrina Ecclesiæ Romanæ prorsus est ignota, ergo Romana Ecclesia non est Catholica. (4) Nihilominus autem sic vocata est, & adhuc vocatur ? hoc fit alijs de causis, partim

tim qvia retinet qvædam dogmata fidei Catholicæ, ut de Baptismo, qvi in Papatu qvoad substantiã integer adhuc retinetur, partim qvia sibi hoc nomen arrogat, instar Hierosolymæ qvæ civitas *sancta* vocabatur *Esa. 1. v. 21.* cum tamen â Deo defecisset, sic Papatus sibi nomen Catholicæ Ecclesiæ arrogat, â qva tamen defecit in plurimis. (5) Urget Janssenius *qvod Lutherana Ecclesia ita non vocetur*; atqvi exinde non seqvitur, ergo non est Catholica. In persecutionibus enim gentilium & sub Arrianismo vera Ecclesia hoc nomine publicè qvoq; non gaudebat, nihilominus Ecclesia Catholica manebat; nos malumus esse & non vocari Catholici, qvam vocari & tamen nôn esse, sufficit qvod fides nostra Catholico Scripturarum codici per omnia conveniat, & omnibus Christi fidelibus sit communis, qvi credunt se *gratiâ Dei per fidem in Christum sine operibus salvari Act. 15. v. 11.*

443] 2. Excipit, *Ecclesiam Christi semper vocandam esse Catholicam cum in Symbolo Apostolico ita vocetur, & ante ascensionem Christi eam potuisse ita vocari, licet in Scripturâ non sit expressum.* Respond: (1) Ego scripsi qvod signa Ecclesiæ semper ipsi competant, & cum Ecclesiâ esse incipiant, essentialia enim rei semper sunt conjuncta, cum illâ oriuntur & occidunt. Jam verò nomen Catholicæ non cæpit cum Ecclesiâ, nam ante ascensionem Christi Ecclesia vera erat, sed non vocabatur Catholica, imò tempore Apostolorum neminem fuisse dictum Catholicum testatur *Pacianus Epist. 1. ad Sempron.* conclusi igitur

nomen

nomen hoc Catholicæ non esse signum Ecclesiæ. Hic Janssenio fuisset neganda vel major vel minor, neutram verò negat, non majorem, qvam tacitè concedere cogitur, non minorem, ex Scriptis enim Novi Testamenti contrarium demonstrare neqvit, sed tantùm ait, qvod Ecclesia ante ascensionem Christi ita potuerit vocari: atqvi nõ est qvæstio, *an potuerit ita vocari, sed, an ita vocata fuerit*? Pontificij enim non ita argumentantur, qvod illa sit vera Christi Ecclesia, qvæ possit aut potuit dici Catholica, sed qvæ semper dicta sit Catholica, jam verò de primâ Ecclesiâ subsumo, ante Christi ascensionem, illa non est dicta Catholica, non enim invenies hoc nomen in ullo Apostolo de Ecclesiâ loqvente, & tamen vera fuit Ecclesia, ergo veritas Ecclesiæ ex hoc nomine non dependet, hic directè respondendum fuisset. (2) *In Symbolo Apostolico*, ait, *vocem illam haberi, in illo Symbolo autem tantùm articulos fidei esse, qvi semper veri sint*; sed confundit sese Janssenius: in Symbolo Apostolico eqvidem legitur, qvod detur in terris Ecclesia Catholica, verùm qvod nomen, Catholica, sit Ecclesiæ nota, ibidem non legitur. Sic certum est, qvod in terris detur Ecclesia Sancta, teste hoc Symbolo, sed qvod nomen Sanctitatis sit nota Ecclesiæ exinde non eruitur. Ecclesia semper est Sancta, semper est Catholica, & hoc est articulus fidei semper verus, sed qvod ex nomine, Sancta & Catholica, veritas Ecclesiæ sit demonstranda, nec in Symbolo legitur, nec exinde rectè concluditur. Sic legitur in Symbolo Apostolico qvod Christus sit mortuus & sepultus, qvis au-

autem ita insanit, ut velit dicere, Messiæ signa esse mori & sepeliri; multa enim dicuntur de aliquo subjecto, cujus tamen signa essentialia non sunt. Symbolum igitur Apostolicum huic errori non patrocinatur. (3) Voculam, *Catholica,* in Symbolo Apostolico inveniri eqvidem verum est, sed an ab Apostolis ipsis hæc vox insertâ sit, id nondum certò constat, nam citavi in meâ Admonitione *Irenæum lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 4. & Tertullian. de præscript. adversus hæreticos,* qvi summam Apostolici Symboli recitant, sed appellationis hujus mentionem non faciunt. *Sic Cyprianus Matyr in Expositione Symboli Apostolici p. 382. tantùm hæc verba legit.* credo sanctam Ecclesiam. *Epiphanius qvoq; hæresi 72. contra Marcell. Tom. 1 lib. 3. pag. 272.* recenset Symbolum Apostolicũ, sed ea tantùm legit verba; *Sanctã Ecclesiã.* Imò si Apostoli hanc vocẽ Symbolo inseruissent, mirum esset, qvod in concionibus & scriptis suis nullam planè hujus voculæ mentionẽ injecissent.

444] 3 Regerit, *Symbolum Apostolicum certò ab ipsis Apostolis esse conscriptum, qvod multi Patres testentur, & mala fraude a Luthero vocem Catholicã expunctam esse, proq; ea Christianam esse suppositam.* Respond. non negamus, Patres qvosdam esse in eâ opinione qvod ipsi Apostoli Symbolum hoc conscripserint, anteqvam Hierosolymis discesserint, *Augustinus* qvoq; *Sermone 115. de tempore* distribuit Symbolum in duodecim articulos, & cuilibet Apostolo certum articulum, tanqvam authori adscribit. Miramur tamen cur Lucas in Actis Apostolicis omnia ἀξιόγραφα tam

accura-

accuratè deſcribat, ſed hiſtoriæ iſtius de Symboli conſcriptione, qvæ tamen ſcitu & cognitu digniſſima fuiſſet, nullã plane mentionẽ faciat, imò qvædam minutiora ſollicitè & curiosè proſeqvatur. Dicimus ergo Symbolum Apoſtolicum ratione materiæ ab ipſis Apoſtolis certò provenire, ſed an hoc ordine & hiſce formalibus ab ipſis ſit conſcriptum, id exploratæ veritatis non eſt; fuiſſe qvendam Apoſtolorum Diſcipulum, qvi rem & materiam ex concionibus illorum ſelegerit, & in hoc Symbolicum ſyſtema redegerit, valdè eſt probabile. Sed qvicqvid ſit, ſive ipſi Apoſtoli, ſive ipſorum Succeſſores hoc Symbolum conſcripſerint, de eo principaliter non qværitur, ſed hoc in qvæſtione eſt, *an nomen, Catholica, ſit certum & infallibile veræ Eccleſiæ ſignum?* Qvod Lutherus vocem hanc in Symbolo expunxerit, & Chriſtianam in germanico ſubſtituerit, communis eſt Pontificiorum accuſatio, ad quam ſæpius eſt reſponſum. Germani græcam vocem, καθολικὴ, non intelligunt in ſuâ lingvâ, Lutherus ergo commodè hoc vertit, Chriſtlich / ipſi Pontificij legunt in Symbolo ἁγίαν *Eccleſiam*, & tamen non retinent hanc vocem in germanico, ich gleube eine Hagiſche Kirche / ſed commodè vertunt, heilige Kirche. Si igitur ipſi non peccant græcam vocem non retinendo ſed germanicam ſubſtituendo, ſanè non videmus, qvid criminis Lutherus in ſimili verſione commiſerit. Notandum verò eſt, qvod Lutherus non dolo expunxerit hanc vocem Catholicam, legitur enim illa vox in Catechiſmo Latino, ubi perpetuò in

ſcholis

scholis nostris docetur : *Credo Sanctam Catholicam Ecclesiam*, in germanicâ tamen versione omisit certis de causis, partim qvia Laici significationem nominis hujus non intelligunt, partim qvia facilè in eum possent labi errorem, ac si nudum aliqvod nomen hic intelligendum esset, cum tamen Apostoli rem ipsam nomine signatam intellexerint. Imò etiamsi Lutherus nomen, *Catholica* vel Universalis retinuisset, causam tamen Pontificiorum hoc nihil adjuvisset, vocant enim illi Ecclesiam Universalem ideo, qvia ad omnia loca, omnia tempora & omnes personas se extendat, & tamen fatentur post tempora Lutheri doctrinam fidei ad plura loca & populos per Indiam, Americam, Peruviam & Chinam fuisse propagatam, imò non potest negari hodiernâ die loca inveniri qvamplurima, in qvibus fides Romano-Papistica non prædicatur, Ecclesiam itaq; suam tali sensu Catholicam seu Universalem dicere non possunt.

445] Reddidit verò vocem Catholicam, in germanico, Christianam, certis de causis. (1) In Ecclesiâ Christianâ non est respectus personarum *Act. 10. v. 34 non est Judæus nec Græcus, nec mas, nec fœmina, nec liber nec servus, omnes enim unum sunt in Christo Gal. 3. v 28.* (2) Cum zizania non minus sint Universalia qvam ipsum triticum *Matt. 13. v. 26.* imò malorum sint longè plures, qvi ad perditionē tendunt, qvam bonorū, *pauci enim sunt qvi intrant per angustam portam Matth. 7. v. 13. 14.* ideò Lutherus voce, Christiana, talem communionem denotavit, qvæ per universū qvidē mundū se extendat, sed tamen in Christo consistat. (3) Cum Ecclesia Chri-

Christi interdum sit *grex pusillus Luc. 12. v. 32.* & credentium pauci inveniantur *Matth. 24. v. 12. 2. Thess. 2. v. 9.* Lutherus hac voce significare voluit, Ecclesiam Christi qvidem per universum mundum sese extendere, sed non semper actu, ne qvis putet Ecclesiam actu per universum mundum sese non extendentem non amplius manere Christianam. Lutherus ergo vocem, Catholica, explicavit, & sensum genuinum protulit. Lutherus etiam non fuit primus, qvi ita vertit Symbolum, testatur enim *Chemnitius part. 3. Loc. Com. p. 125.* qvod diu ante Lutherum qvædam antiqva exemplaria ipsi visa similiter legerint in germanico; credo sanctam Christianam Ecclesiam. Imò *Canisius in Catechismo* suo vocem, *Catholica*, in germanico non retinet, sed per universalem declarat, & voculam, *Christiana*, inserit, dum scribit: *Credo universalem Christianam Ecclesiam* ein allgemeine Christliche Kirche. Si ergo licet Pontificijs interserere hanc vocem, *Christiana*, licet in græco non inveniatur, non videmus, qva ratione Lutherum objurgare velint, qvi declarationis causa usus est hac voce in germanicâ versione.

446] 4. *Explicat Janssenius τοῦ Catholici significationem principalem ex Augustino & Cyrillo, qvi Catholicam vocant Ecclesiam, qvia per totum orbem sit diffusa.* Respond. supra dictum est, qvod fides dicatur Catholica duplici respectu, primò qvatenus est integra & congruit Catholico Scripturarum codici per omnia, deinde, qvatenus illius professio communis est omnibus verè credentibus

bus per universum terrarum orbem. Illa significatio est principalis, qvod Patres testantur. *Cyrillus Cath. 18.* scribit, Ecclesiá vocari καθολικὴν διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, *qvia docet catholicè & perfectè omnia dogmata, qvæcunq; homines tenentur agnoscere. Augustinus qvæst. in Matth. q. 11. bonos Catholicos definit, qvod sint ij, qvi & fidem integram seqvuntur & bonos mores. Lib. 1. de mor. Eccles. Cath. cap. 18. Catholicam fidem & Ecclesiam describit, qvæ veritatem & Consensum veteris & Novi Testamenti retinet, Christum per fidem habitantem in se habet, & impletur omni plenitudine Dei. Pacianus Ep. 1. ad Sempr: Qvi Catholicus est, idem justo est obediens, & qvi obediens idem est Christianus atq; ita Catholicus Christianus.* Vides Janssseni, qvod Patres principaliter respiciant ad universalitatem fidei & doctrinæ; postmodum verò accedit universalitas loci, qvæ actu ipso non semper reqviritur. Ecclesia enim instar Lunæ augetur & diminuitur, in persecutionibus sæpe premitur, & si vel in unico loco paucisq; personis consistat, nihilominus tamen Catholica manet.

447] Qvod si verò Pontificij urgeant Catholicum dici principaliter id, qvod ubiq; diffusum est, respondemus (1) qvod olim Arrianismus latissimè diffusus fuerit, hodieq; Epicureismus latissimè diffundatur, imò Judæi per totum terrarum orbem hodie sint dispersi, nec tamen ideo vel Arrianismus, vel Epicureismus, vel Judaismus possunt dici fides Catholica. (2) Ultimis temporibus

vera fides angustis terminis includetur, *surgent enim multi Pseudoprophetæ Matth. 24. v. 24. Filius hominis vix fidem inveniet in terris Luc. 18. v. 8. omnes ferè gentes seqventur meretricem Babylonicam Apoc.* 13. v. 8. 14. seqveretur ergo veram fidem hisce temporibus non esse, nec dici posse catholicam (3) Papismus hodie non docetur in omnibus locis, non in Daniâ, Norvegiâ, Sveciâ, Finlandiâ, non in Pomeraniâ, Megapoli, Saxoniâ, non in plurimis Germaniæ, Angliæ, Hungariæ & Belgij locis, seqvitur ergo ex hoc ipso principio papismum non esse fidem catholicam; qvod dum Pontificij concedere nolunt, necesse est fidem Catholicam non ex universalitate loci, sed ex alio principio æstimandam & probandam esse.

448] 5. *Demonstrat ergo Janssenius Ecclesiam Romanam Pontificiam esse Catholicam provocando ad partem libri posterioris, ubi agit de doctrinâ Catholicâ ex Scripturis deductâ, & citando Lutherum scribentem, in Papatu nucleum esse veri Christianismi.* Respond: Papismum esse â fide Catholicâ ex Scripturis deducta alienũ, per singulos articulos lib. 2. probatur, qvorsum lectorem remitto. Lutherus eqvidem scripsit *in Papatu esse nucleũ veri Christianismi*, sed non ait, *Papismum ipsum esse Christianismum*, distingvit enim Papismum â Christianismo, & fatetur, qvod in medio Papatu Ecclesia Christiana fuerit, non autem dicit, ipsum Papam aut Papismum fuisse Ecclesiam. Sic in medio Babylone erat Ecclesia Judæorũ captivorum, in medio Pharisaismo erat Ecclesia fidelium, qvi in Messiam credebant, in medio Turcismo hodie inveniuntur

untur qvidam Christiani, neq; tamen Babylon, vel Pharisæi, vel etiã Turcæ fuerunt aut sunt vera Ecclesia. Est in Papatu aliqvid qvod Dei est, nempe sacra Biblia, Baptismus & Cœna Domini, deinde est aliqvid qvod est Papæ proprium, ut Scripturæ depravatio, humanæ traditiones, vigiliæ, missa, purgatorium & alia multa. Lutherus ergo pretiosum â vili, rectum ab obliqvo, Christianismum â Papismo rectè distinxit.

449] Ecclesia verò Pontificia catholica dici non potest (1) non ratione doctrinæ, non enim adstipulatur catholico Scripturarum systemati, ut liber secundus docet. (2) Non ratione loci, non enim in omnibus mundi locis Ecclesia Pontificia habitat, sicuti regna & principatus plurimos modò enumeravimus. (3) Non ratione temporis, nã tempore Apostolorum & primo seculo hæc doctrina fuit ignota, nihil de Pontifice Romano, nihil de capite visibili Ecclesiæ tum fuit auditũ. (4) Non ratione membrorum, plurima enim Ecclesiæ Christianæ membra Papatum reijciunt, ipsi contradicunt, imo extra Ecclesiam Romanã salvantur, qvod certum est de nostris parvulis post baptismum morientibus, qvæ omnia demonstrant Romanam Ecclesiam verè Catholicam non esse.

450] Tandem Janssenius concludit, *Stultum & insanum esse, eos esse Catholicos, qvi se Evangelicos vocant, addit rationes (1) non sunt diffusi per totum orbem (2) Non consentiunt cum scripturis, ut Patres testantur (3) Vocantur Lutherani & Calvinistæ.* Respondetur (1.) Potuissent Ethnici olim hoc obijcere Christianis in persecutionibus, imò Ar-

riani potuissent hoc veris Catholicis obijcere, vos non estis diffusi per totum orbem, ergo non estis Catholici, qvid hic Janssenius Ethnicis & Arrianis pro verâ Ecclesiâ respondisset, id sibi pro nobis responsum habeat. Si nostra religio jam non est diffusa per totum orbem, sufficit qvod Apostolorũ tempore fuerit diffusa: de ultimis temporibus prædictum est, religionem veram intra terminos angustos iri conclusum Luc.18.v.8. Matth. 24.v.24. frustra igitur nobis ista angustia obijcitur. *Bellarm. in præfat. Tomi primi* Controvers. contradicit Janssenio, dum scribit, *qvod religio Lutherana in Saxoniâ qvidem sit exorta, totam tamen occuparit Germaniam, inde ad aqvilonem & orientem profecta, Daniam, Norwegiam, Sveciam, Gothiam, Hungariam occuparit, tum ad occidentem & meridiem pari celeritate delata, in Galliam, Angliam, Scotiam imò supra alpes in Italiam penetrarit.* (2) An doctrina nostra cum Scripturis consentiat, nec ne, patet ex scriptis qvamplurimis *Lutheri, Chemnitij, Hunnij, Mentzeri, Heilbrunneri, Zeamanni, Balduini, Meisneri*, imò ex hoc toto libro. *Patres*, inqvit Janssenius, *doctrinam Lutheranam condemnarunt*, atqvi contrarium demonstrârunt Chemnitius, Hunnius, Gerhardus, Eckhardus & alij, qvi ex Patribus prolixè testimonia collegerunt nostræ doctrinæ per omnes articulos.

451] Dum autem vocamur Lutherani, id non impedit, qvo minus possimus esse Catholici, non enim nos ipsi sed adversarij nobis hoc nomen imposuerunt, qvod differentiæ causa fieri permittimus, nec vocamur Lutherani, qvasi Lutherus esset

primus

primus inventor fidei nostræ, hoc enim respectu Lutherus monet, ne qvis sese ab eo denominet, *doctrina non est mea, neq; pro vobis Crucifixus fui*, inqvit *Tom.2. Jenen. fol. 92.* nec ideo qvasi Lutherus primus author esset novi alicujus ordinis, sicut Franciscus & Dominicus, â qvibus monachi in Papatu denominantur, sed qvia Lutherus primus fuit, cujus laboribus Deus benedixit, & cujus operâ usus est in Ecclesiæ reformatione, Papatus dejectione & Evangelij renovatione. Et hoc sensu olim fideles dicebantur *Athanasiani*, qvod fieri permittebant propter differentiam Arrianorum, qvibus in doctrina se opponebant. Neq; hoc semper est hæreticum ab aliqvo homine denominari, multi enim hæretici fuerunt, qvi primi hæresin sparserunt, & ab alijs sese denominare non potuerunt, præterea qvidam hæretici non ab authore, sed â doctrinâ fuêre denominati, ut Alogiani, Anglici, Cathari, Anthropomorphitæ & alij. Athanasiani dicebantur ab Athanasio, & tamen non erant hæretici. Imò si hæreticum est ab homine denominari, Augustiniani, Dominicani & Franciscani monachi erunt hæretici, qvi ab hominibus nomen istud desumpserunt.

452] *Patres tandem aliqvot producit, qvi ex nomine Catholicam Ecclesiam esse cognoscendam scripserint*, sed respond. alius fuit status Ecclesiæ tempore Patrum, alia facies externa Ecclesiæ, qvàm nunc est. Erat ibi Ecclesia similis civitati supra montem positæ, omnibus nota & perspicua, per orbem terrarum longè lateq; diffusa, sub Imperatoribus florentissima, Idolomaniæ gentium erant

suppressæ, Judæorum superstitiones subjugatæ, si qvædam oriebatur hæresis, coarctata erat in angusto alicujus regionis aut urbis termino: hic statim ad fidem Catholicam incorruptam provocabatur, & nomine illius vera â falsa religione discernebatur, ut pote cujus fides longè lateq; dominans cum nomine conjuncta erat. Verum Arrianismo per totum Ecclesiæ corpus serpente, & sese extollente, nomenqvè Ecclesiæ Catholicæ sibi applicante, cessabat mos ita argumentandi: si enim ad Ecclesiam Catholicam qvis provocasset, Ecclesia Arriana prodijsset, qvæ nomen cum verâ Ecclesia commune habebat & sibi attribuebat. Accessit etiam distractio Imperij in Oriente & Occidente, in qva novæ dominationes novis Sectis favebant, & communionem Ecclesiæ turbabant, qvibus deniqve Papatus accessit affectans Vniversalem dominatum per totum orbem in omnes Patriarchas & Episcopos, & solo titulo Catholicæ Ecclesiæ glorians, unde vetus illud κριτήριον nomen Catholicæ Ecclesiæ amplius retineri non potuit. Sicut ergo Græci se vocant Catholicos, & tamen Pontificij propter solum nomen ipsis non concedunt, ut sint Ecclesia Catholica, ita etiam Pontificij, licet se Catholicos vocitent, nobis nunqvam persvadebunt solo nomine, ut credamus Papatum esse Ecclesiam Catholicam, nisi fortè eo sensu, qvo bestia Apocalyptica dicitur Catholica, ex eo qvod illam adoret *universa terra. Apoc. 13. v. 3. 4. 8.*

Caput

Caput Decimum Sextum.
De Antiqvitate & Amplitudine Ecclesiæ.

453] ANtiqvitatem Romanæ Pontificiæ & Novitatem Lutheranæ Ecclesiæ Scriptores Pontificij obijciunt in omnibus ferè libris & disputationibus. Respondi ego in mea Admonitione (1) non omne antiqvum esse verum, religio enim Turcica est antiqva, Ecclesia Judaica est antiqvior Christianâ, malitia Sathanæ est antiqvissima, ut pote qvæ cæpit statim post mundi creationem, nec tamen exinde seqvi, vel religionem Turcicam vel Ecclesiam Judaicam, vel Sathanæ malitiam esse amplectendã. (2) Judæos Christo objecisse Mar. 1. v. 27. & Athenienses Paulo Act. 17. v. 20. doctrinã ipsorũ esse novã, qvicqvid hic Pontificij respõdissent, sibi qvoq; respondeant. (3) scilicet esse distingvendum inter novum & renovatum, nam renovatum nõ est novum: Elias renovabat cultum veri Dei contra Baalitas, Patres Ecclesiæ primitivæ renovabant fidem Christianam contra Arrianos, nec tamen novam religionem introducebãt, ita Lutherus nihil novi docuit, sed Evangelium in Papatu traditionibus humanis obscuratum, ex doctrinâ Prophetarũ & Apostolorum renovavit. *(4)* Antiqvitatẽ doctrinæ & Ecclesiæ rectè esse dignoscendam, antiqvitatis qvidem certos esse gradus, sed notam Ecclesiæ ex ijs non esse nisi gradum primum, scilicet conformitatem cum verbo Dei. Judæi habebant an-

tiqvas Patrum ſuorum traditiones, Deus tamen ab ijs eosdem revocat ad normam verbi ſui, Ezech. 20.v. 18.19. (5) Qvod ſi iſta antiqvitas & doctrinæ primævitas ſpectetur, ſeqvi doctrinam non noſtram ſed Pontificiam novam eſſe, utpote qvæ maximam partem â ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum diſſentiat. Janſſenius ad hæc reſpondet (1) *Pontificios longè aliter argumentari ſcilicet, qvæ Eccleſia â Chriſto eſt inſtituta & ab Apoſtolis eorumq; legitimis ſucceſſoribus per ſexdecim annorum centurias eſt propagata, illa eſt vera Eccleſia; ſed talis eſt Pontificia, non Lutherana, ut pote qvæ procudit nova dogmata antiqvitati ignota, ergo non Lutherana ſed Pontificia Eccleſia eſt vera. (2) Diſtinctionem inter Evangelium novum & renovatum eſſe figmentum ſine re. (3) Scripturam non eſſe intelligendam ex mente Lutheri, ſed ex unanimi conſenſu Doctorum veteris Eccleſiæ. (4) Apoſtolicam doctrinam non potuiſſe veteraſcere aut perire, ideoq; eam non potuiſſe renovari,* p. 306. 307. Ad ſingula reſpondebimus.

454] 1. Janſſenius crimen falſi committit, dum ſcribit, *Pontificios non argumentari ab antiqvitate ſimpliciter, ſed ita, ut conjungant Chriſti inſtitutionem & ſimul per legitimos Succeſſores propagationem.* Evolvantur Bellarm. lib. 4. de notis Eccleſ. cap. 5. *Leßius* conſiderat. 9. rat. 1. *Badenſes* rat. 5. p. 247. apparebit, qvod illi ab antiqvitate ſimpliciter argumententur. Alijs autem in locis tractant argumentum ab antiqvitate diſtinctum, de legitimâ ſucceſſione, ut patet ex *Bellarmino* lib. 4. de Not. Eccleſ. cap. 8. *Leßio* conſid. 9. rat. 2. *Ba-*

denſi-

densibus rat. 5. p 314. *Botzio* lib. 7. cap. 1. *Pistor*: Hodoget. cap. 4. p. 82. *Coster*. Enchir. cap. 2. p. 82. *Staplet*. relect. Contr. 1. qvæst. 5. art. 2. p. 130. *Hack*. contra Tossanum qvæst. 3. cap. 3. p. 25. Distinctè, dico, tractant isti Autores hæc duo argumenta, qvæ Janssenius in præjudicium tantorum virorum malè confundit. Qvicqvid autem sit, etiamsi conjunctim tractentur, tanqvam distincta membra unius argumenti, nihil tamen evincent contra nostram religionem. Non Antiqvitas, ad eam namq; sufficienter responsum est in meâ Admonitione, ita ut Janssenius tacendo omnia supprimat, qvod est signum malæ conscientiæ. Addo præterea qvod antiqvitatis certi sint gradus, ex qvibus tamen non nisi primus potest esse Ecclesiæ nota: *id enim est verius, qvod prius, id prius qvod ab initio, id ab initio qvod ab Apostolis*, scribit *Tertullian*. lib. 4. contra Marc. cap. 5. Qvicqvid ergò non consentit cum doctrinâ Propheticâ & Apostolicâ verã antiqvitatis notã non habet. Cõsvetudo sine veritate vetustas erroris est. Ad hanc normã antiqvitatis si dogmata Pontificiorũ fuerint examinata, conclamatũ erit de toto Papatu.

455] Neq; Successio doctorum aliqvid contra nos obtinebit, qvod seqvẽtibus probamus. (1) Pharisæi Successores erant Mosis, in cujus cathedrâ sedebant Matth. 23. v. 2. nihilominus erant *fures & latrones* Joh. 10. v. 8. Apostolis succedebant *lupi immanes* Act. 20. v. 29. 30. qvi tamen veritatem Ecclesiæ propter Successionem non obtinebant. Ecclesia Græca demonstrat successionem doctorum ab Apostolo Andrea, teste *Nicephoro* lib. 6. Chron.

cap.6. nec tamen â Pontificijs ideo pro verâ Ecclesiâ habentur. Imò de Antichristo prædictum est, qvod sit sessurus *in tẽplo Dei* 2. Thess. 2. v. 4. adeoq; sit successurus Apostolis, nec tamen ideo Antichristi Ecclesia pro verâ Ecclesiâ potest haberi (2) Ejusmodi Doctorum Successio non semper conjuncta est cum verâ Ecclesiâ. Tempore captivitatis Doctores per annos 70. publicè non docebant, nec sibi in officio succedebant nihilomninus manebat ibidem vera Ecclesia. Tempore decem persecutionum Christiani latitabant in rupibus & speluncis sine successione doctorum in publico officio, nihilominus manebant vera Ecclesia. Christus ipse erat *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* Hebr. 7. v. 2. 3. qvomodo autẽ Pontificij poterunt demonstrare continuam successionem â Melchisedecho usq; ad Christum? (3) Distingvitur successio loci â successione doctrinæ, ad veritatem Ecclesiæ demonstrandã non sufficit nuda loci successio, nam ita Pharisæi succedebant Mosi & Aaroni ratione loci, neq; tamen ideò vera erant Ecclesia; successio doctrinæ principaliter reqviritur, hanc Apostoli habebant, ad doctrinam Mosis & Prophetarum provocabant Act. 26. v. 22. ideoq; verã Ecclesiam ædificabant, licet successionẽ ratione loci non haberent. Talem successionem & nos habemus in doctrinâ Apostolicâ qvod demõstrat collatio Augustanæ Cõfessionis cũ scripturâ sacrâ per omnes articulos. Et sicuti olim in Ministerio impuro Deus successionem conservavit, tempore Aaronis idololatræ Ex. 32. v. 4. seqq. Pseudoprophetarum in Israel, 1. Reg. 18. v. 22. cap.

19. v.

19. v. 10. Esa. 56. v. 10. cap. 59. v. 4. Jer. 2. v. 8. Os. 4. v. 6. tempore Caiphæ Joh. 11. v. 49. & Pharisæorum Matth. 23. v. 2. Joh. 5. v. 42. cap. 10. v. 8. ita etiam in medijs Papatus tenebris in ministerio impuro talem successionem ad Lutherum usq; conservavit. (4) Fatentur qvidam Pontificij, argumentum à successione Doctorum desumptum non esse admodum firmum, fatetur enim *Staplet.* in Relect. Contro. qvæst. 4. art. 2. p. 86. *qvod nulla successio vera sit, nisi doctrina pariter vera* *Bellarm.* lib. 4. de Notis Eccles. cap. 8. nolens volens fateri cogitur, *non statim seqvi veram ibi esse Ecclesiam, ubi succeßio Doctorum in loco possit demonstrari.* Evincunt hæc omnia argumentũ â successione desumptum nec Ecclesiam Romanam extollere, nec Ecclesiam Lutheranam deprimere.

456] Respondet Janssenius *distinctionem inter Evangelium novum & renovatum esse figmentum sine re.* Sed responsio hæc bruta est, qvis enim hac responsione non refutaret omnes omnium sapientum distinctiones, omnes omnium Theologorum Pontificiorum exceptiones & Disputationes, obijciendo, esse figmenta sine rebus. In naturalibus pariter & artificialibus distingvitur inter id qvod novum est, & inter id qvod renovatum est: serpentes dicuntur cutem deponere & novã assumere; aqvilæ dicuntur sese renovare & rejuvenescere; qvoties picturæ & statuæ renovãtur. Sic doctrina de cultu veri Dei per Eliam renovabatur 1. Reg. 18. v. 36. 37. seq. doctrina Mosis & Prophetarum per Christum renovabatur, qvæ traditionibus Pharisaicis suppressa erat. *Tannerus* in Anato.

August.

August. Confess. part. 2. demonstr. 2. §. 210. fatetur *aliud esse doctrinæ novitatem, aliud autem novam doctrinæ explicationem*, & ibidem docet, *explicationem doctrinæ novam esse posse, licet ipsa doctrina non sit nova*; qvid hoc est aliud, qvàm distingvere inter doctrinam novam & renovatam? qvapropter idem *Tannerus* in loco citato §. 153. admittit *Lutheri doctrinam eatenus fuisse novam, qvatenus illo tempore fuit ignota, licet ante illud tempus nota esse potuerit.* Imò *Jacobus Hack* contra Tossanum qvæst. 3. cap. 6 p. 52. fatetur, *qvod Ethnici & Judæi olim Christianis hoc potuissent obijcere, doctrinam illorum esse novam, qvæ tamen non erat nova sed renovata, & apparebat hominibus qvasi nova*, qvo sensu canticum illud Apocalypticum dicitur *qvasi novum* Apoc. 14. v. 3. cùm tamen Evangelium Dei vocetur *æternum* Apoc. 14 v. 6.

457] 3. Immiscet Janssenius qvædam ἀλλότρια, *Scripturam non esse intelligendam secundum mentem Lutheri, sed secundum unanimem consensum Doctorum veteris Ecclesiæ.* Respond (1) nemo nostrum utitur explicationibus Lutheri tanqvam regulâ interpretationis Scripturæ, scimus enim qvod *scriptura non sit privata* ἐπιλύσεως 2. Pet. 1. v. 20. Lutherus qvoq; sensum & explicationem Scripturis non intulit, sed ex ipso contextu & totius Scripturæ harmoniâ extulit, ideòq; ipsius interpretatio est fidei ἀναλογ(ία) Rom. 12. v. 6. utimur Lutheri explicationibus tanqvam adjumento nō fundamento. Non ideo amplectimur, qvia ita Lutherus exposuit, sed qvia Lutheri expositio ex ipsis visce-

viſceribus textus & totâ fidei ἀναλογία eſt deſumpta (2) Qvòd Sanctorum Patrũ expoſitiones reijciamus, cum limitatione intelligendũ eſt; amplectimur gratâ mente labores Sanctorum Patrũ, ubi docent Scripturis cõformia & fidei ἀνάλογα, Qvia verò illi ipſi in ſcriptis ſuis monẽt, ne omnia ipſorum effata ſimpliciter acceptemus, ſed in tantum, in qvantum cum Scripturis conſentiunt, ut vult *Auguſtin.* de bono perſev. cap. 21. non diffitẽte *Bellarmino* lib. 3. de verbo Dei cap. 10. non omnia ipſorũ ſcripta & dicta probamus, ſed qvod cũ ſcripturis congruit retinemus. Imò ipſi põtificij in locis qvamplurimis â Patrum expoſitionibus recedunt. *Maldonatus* Matt. 16. v. 19. ab omnibus Patribus diſſentit excepto ſolo Origene. Matt. 26. v. 29. reijcit Auguſtinum, Cyprianum, Hieryonmũ, Chryſoſtomum & alios. Iii cap. 3. v. 8. Johann. nõ ſeqvitur Patres ſed novam explicationẽ fingit. *Bellarminus* qvoq; in locis qvamplurimis Patrũ explicationes reijcit, imò Patres Patribus opponit lib. 1. de verbo Dei cap. 3. qvod etiã facit *Hoſius* de auth. Script. p. 577. qvi fatetur, *Patres Patribus opponi poſſe.* Cur ergo reprehendunt Pontificij id in noſtris Eccleſijs, cujus tamen ipſi ſunt rei? Vide ſupra cap. 2. de Patribus ubi copioſè hac de re actum eſt.

458] 4. Tandem conludit Janſſenius *doctrinã Apoſtolicam non potuiſſe inveteraſcere aut perire, adeoq; eam non potuiſſe renovari.* Sed reſpondemus ſimplex iſthæc negatio nemini cordato, etiam inter ipſos Pontificios, fidem faciet. Potuit obſcurari Evangelium. (1) Propter exempla do-

ctrinæ

ctrinæ obſcuratæ in Veteri teſtamento, *dies multi fuerunt in Iſrael ſine vero Deo, ſine Sacerdote, Doctore & ſine lege.* 2. Chron. 15. v. 3. Filij Iſrael multis diebus manebant *absq; Rege, absq; Principe & ſine ullo ſacrificio & ſine Altari, & ſine Ephod.* Hoſ. 3. v. 4. Iſraelitæ *reliqverant pactum Dei, altaria ipſius deſtruxerant, & Prophetas Domini gladio occiderant,* 1. Reg. 19. v. 10. nonne tempore Chriſti doctrina legis obſcurata erat? ita ut Chriſtus prolixá admonitione traditiones Phariſæorum refutarit, & populum ad veritatem doctrinæ revocarit Matth. 5. v. 21. ſeq. qvod ergo in veteri Teſtamento fieri potuit, nihil obſtat, qvo minus id in Novo Teſtamento fieri potuerit. (2) Propter exempla Evangelij in Novo Teſtamento obſcurati; tempore decē perſecutionum doctrina fidei qvaſi oppreſſa erat, tempore Arrianiſmi per totum Orientem hæreſis ſerpebat, & veritatem Evangeljj obfuſcabat; in Eccleſiâ primitivâ tot hæretici, ut Neſtoriani, Eutychiani, Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, Gnoſtici, Cathari, Samoſatemiani & alij plures veritatem Evangelij miſerè corruperunt, & erroribus ſuis qvamplurimos ſeduxerūt, qvomodo igitur Janſſenius negat Evangelium poſſe obſcurari? (3) Propter vaticinia de erroribus immittendis & veritate auferendá, *ideo qvod charitatem veritatis non receperunt, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qvi non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniqvitati,* 2 Theſſ. 2. v. 10. *Spiritus diſertè dicit, qvod poſtremis tēporibus deſciſcent qvidam â fide, attēdentes Spiritibus ſeductoribus ac doctrinis dæmoniorum per hypocriſin falſi*

falsiloqvorum, qvi cauteritatã habent conscientiam 1. Tim. 4. v. 1. 2. *Filius hominis qvando venerit, num reperturus est fidem in terrâ* Luc 18. v. 8. *Universa terra se qvetur bestiam, qvæ faciet ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi accipiant characterẽ in manu suâ dextrâ aut in frontibus suis* Apoc. 13. v. 4. 16. Si Deus minatus est hasce pœnas, utiq; potens erit easdem immittere; minæ istæ nõ sunt fulgur ex pelvi, Deus verax est non tantùm bona promittendo sed etiam pœnas minando. (4) Propter cõfessionem Pontificiorũ; *Bellarm.* lib. 3. de Rom. Põtif. cap. 7. apertè scribit, tẽpore Antichristi (qvem Pontificij expectant) veritatem religionis Christianæ in magnas angustias redactũ iri: verba ipsius sunt. *Certum est, Antichristi persecutionem fore gravissimã & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ & sacrificia.* Qvod illa ultima persecutio futura sit gravissima, patet ex illo Matt. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qvalis nõ fuit ab initio mũdi, neq; erit.* Et ex Apoc. 20. ubi legimus; tunc Sathanam solvendum, qvi usq; ad illud tempus fuerat ligatus. Ergo tempore Antichristi Evangelium obscurabitur & opprimetur; qvomodo igitur Janssenius negat, Evangelium posse obscurari?

459] Antiqvitatem Ecclesiæ seqvitur Amplitudo, sive Multitudo confessorum, ex qvâ Pontificij veritatem Ecclesiæ æstimant. Respondi ego in meâ Admonitione, (1) Qvod hæc nota Ecclesiæ neqve â Christo, neqve ab Apostolis nobis sit præscripta. (2) Seqvi ex hac notâ, non Lotum sed Sodomitas, non Jacobum

cum

cum liberis ſed Ægyptios, non Iſraelitas ſed Babylonios, non ſeptem millia verorum Dei cultorum ſed Baalitas, non Chriſtum cũ Apoſtolis, ſed Phariſæos & Saducæos veram fuiſſe Eccleſiam, horum enim numerus major fuit, qvam illorum (3) Chriſtum invertere hoc argumentum & docere, paucos eſſe, qvi ambulent in viâ ad vitam Matt. 7. v. 14. Eccleſiam eſſe gregem puſillum Luc. 12. v. 32. Filium hominis in adventu ſuo glorioſo vix fidem eſſe inventurum Luc. 18. v. 8. (4) Imò ſcripturam docere, Eccleſiã malignãtium ex multitudine eſſe æſtimandã, multi enim ſunt qvi ambulant in via ad damnationem Matth. 7. v. 13. Antichriſto adhærebunt omnes populi, turbæ, & gentes & lingvæ Apoc. 17. v. 15. ex vino ſcortationis meretricis Babylonicæ biberunt omnes gẽtes Apoc. 18. v. 3. Qvid verò Janſſenius ad hæc reſpondet? miſerrimè. Adſcribam verba ipſius: *Vah, Mullere, nũ tale aliqvod argumentum Catholicis unqvam excidit? nec per ſomnium venit in mentẽ. Et qvis Lutheranorum non decipiatur his tuis ineptijs ac ludibrijs? Legunt iſti qvæ ſcribis, & qvia Prædicantem audiunt, vera ſcripſiſſe opinantur miſeri! cæcos cæcus ducit, & utriq; in foveã cadunt! deleo igitur unâ hac ſpongiâ qvicqvid ille pag. 177. 178. 179. ſtolidè effutijt.* Videt hic Lector modũ diſputandi monaſticum, videt acumen plusqvam bovinum: tantam ſtoliditatem in iſto Miſſionario ſedis Apoſtolicæ non qvæſiviſſem!

460] Sed ad rem. Negat Janſſenius tale argumentum Catholicis unqvam excidiſſe, nec per ſomniũ in mentẽ veniſſe. Hoc eſt negare lucẽ meridiei. *Bell:* lib. 4 de Notis Eccleſ. cap 7. ita ſcribit:

qvar-

qvarta nota est Amplitudo sive multitudo & varietas credentium. Ecclesia enim verè Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera: &c. Nostro tempore Ecclesia Romana præter Italiam & Hispaniam totam, præter Galliam ferè totam, præter Germaniam, Angliam, Poloniam, Boemiam, Hungariam, Græciam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum, in qvibus multi inveniuntur Catholici, in ipso novo orbe habet Ecclesias sine admistione hæreticorum, in omnibus qvatuor partibus mundi, ad Orientem, in Jndijs; ad occidentem, in Americâ: ad Septentrionem, in Japonia: ad Meridiem, in Brasilia, & exteriore parte Africæ. At Secta hæreticæ nunqvam totum orbem, aut certè dimidiam ejus partem occuparunt. *Lessius* in Consult. Consid. sexta pag. 41. scribit: *Religio Romana, qvia per totum orbem diffusa extendit se ad omnes gentes & ad omnia regna. Nullum enim regnum, nulla gens nobis cognita, qvæ hanc Religionem vel non habeat adhuc, vel aliqvando non habuerit, vel modò non incipiat habere: Imò hoc tempore penè apud omnes gentes est publica religionis nostræ professio. Nimirum apud Japones, Chinas, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros, Brasilios, Mexicanos &c. Omnibus enim his locis reperiuntur Catholici, reperiuntur templa, altaria, imagines Christi & Sanctorum, celebratur Missa, administrantur nostra Sacramenta, servantur festa & jejunia; deniqs servatur publicè Religio Romana. Cui dubium esse possit, eam esse veram Religionem, & veram salutis viam, qvam Dominus omnibus regnis proponi & prædicari voluit; qvam in omnibus regnis tempore congruo crescere & fructi-*

fructificare fecit. *Costerus* in Enchiridio cap. 2. p. 85. *Si qvis certo indicio deprehendere velit Ecclesiam, mente percurrat orbem terrarum, Lutheranos inveniet in sola Germania, Calvinistas ferè in sola Gallia & Anglia, Anabaptistas in varijs obscuris angulis Hollandiæ & Moraviæ; sicut Donatistæ & Novatiani ferè in Africa latuerunt, & Iconoclastæ in Græcia. Extra Europam nulla sectarum Lutheri, Calvini &c. notitia ab orbe condito unqvam pervenit. Fieri igitur non potest, ut Novatores nostri seculi ad veram Ecclesiam pertineant, &c.* Idem argumentum â multitudine Cõfessorum desumptum tractant *Pistorius* in Hodog. cap. 4. p. 89. *Badenses* rat. 5. p. 248. *Tannerus* in Anat. August. Confess. part. 2. dem 3. §. 63. 64. & alij plures. Qva fronte igitur Janssenius negat id, qvod tamen cæteri Scriptores Pontificij concedunt. Committo judiciũ Universæ Ecclesiæ Christi, an Monachus iste solidi qvidqvã de antiqvitate & amplitudine Ecclesiæ nobis responderit.

Caput decimum septimum.

De Miraculis.

461] AD gloriam Miraculorum, qvá veritatem Ecclesiæ Pontificij demonstrare satagunt, respondi in meâ Admonitione (1) Ultimis temporibus miracula in probationem doctrinæ non esse promissa. (2) Pseudoprophetas potius miracula edituros esse ultimis temporibus Matth. 24. v. 24. 2 Thes. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 13 (3) Miracula per se nihil probare, nisi veritas doctrinæ conjuncta fuerit Deut. 13,

v. 1. Matt. 11. v. 5. Matt. 22. v. 29. Act. 17. v. 11. (4) Multos fuisse Doctores præclarissimos qvi sine miraculis efficaciter docuerunt, ut Johannes Baptista, Amos, Obadias, Zacharias, multos qvoq; auditores sine miraculis credidisse Joh. 4. v. 42. Act. 16. v. 14. (5) Miracula Pontificiorū aut esse ficta aut magica, aut nulla. Janssenius ad hæc prolixè excipit p. 309 usq; ad p. 312. Examinabimꝰ ordine singula.

462] 1. Ait, *miracula ultimis temporibus omninò esse promissa Apoc. 11. v. 3. 4. 5. 6. Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. Si qvis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & si qvis voluerit eos lædere; sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aqvas convertendi eas in sangvinem, & percutere terrā omni plagâ qvotiescunq; voluerint.* Respondemus: Pontificij eqvidem & ex ijs principaliter *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif c. 6. ex hoc loco docent, Eliam & Henochū ante judicium extremum esse redituros, Evangeliū prædicaturos ac miracula edituros. Sed (1) conseqventia nulla est, Deus promisit duos testes ultimis temporibus, ergo illi duo erunt Elias & Henochus, cur nō Moses & Aarō, cur non Jacobus & Josephus vel alij Sancti? (2) Testes isti dicuntur vincendi & occidendi â bestiâ, qvomodo autem ista competere possunt sanctis, qvi corpora habent impassibilia & immortalia. (3) Duo isti testes erunt amicti saccis v. 3. qvomodo autē corporibus gloriosis & cœlesti luce fulgētibus convenit iste vestitus, indumentum scilicet saccorū. Per duos hosce testes intelligūtur sinceri

Ecclesiarum Pastores & Ministri; vocantur *testes*, excitati enim sunt â Deo ut testentur de voluntate ipsius; *duorum* tantùm fit mentio, qvo innuitur paucitas fidelium testium, in respectu Romanensium, qvi catervatim conspiciendi erunt. Testes hi *Prophetabunt*, id est, verbum Dei prædicabunt, erunt amicti *Saccis* hoc est, erunt induti habitu pauperum lugentium & pœnitentium, *stabunt in conspectu Dei* tanqvam fideles Dei ministri ad faciendam voluntatem Domini promti. *Ignis exijt de ore eorum*, ignis scilicet spiritualis seu verbum Dei, qvod igni comparatur Jer. 5. v. 14. *nonne verba mea sunt qvasi ignis dicit Dominus, & qvasi malleus conterens petram* Jer. 23. v. 29. potestatem habent claudendi cœlum, ne pluat, hoc est, *claudent cœlum* contemptoribus Evangelij, ne rore & pluviâ gratiæ divinæ irrigentur. *Convertent aqvas in sangvinem*, id est, pœnas corporales & Spirituales denunciabunt istis contemptoribus, *percutient terram omni plagâ*, terram scilicet Romanam seu Papalem odio habebunt, & precabuntur ut Deus gloriam suam vindicet, & potentiam suam plagis exerat adversus contemptores verbi sui. Totum igitur hoc caput more Apocalyptico non literaliter sed mysticè intelligendum est, prout prolixè hoc demonstrat *D. Matthias Hoë* in Comment. Apoc cap. 11. Refutatis ergo fabu- Rabbinicis de Henocho & Elia, miracula ista fictitia, ad qvæ Janssenius provocat, per se corruunt.

463] Posito autem, qvod in hoc loco intelligenda essent miracula, qvalia Pontificij somniant, nobis tamen non præcipitur, qvod ex miraculis

doctri-

doctrinæ & Ecclesiæ veritas sit æstimanda & probanda. Hoc enim principaliter qværitur *an Christiani ex mandato divino teneantur per miracula in veritatem Ecclesiæ inqvirere*: hic rhodus, hic saltandum Monachis.

464] 2. Excipit, *Scripturam nullibi asserere vera miracula à Pseudoprophetis patratum iri, sed signa mendaciorum & præstigias*. Respond: neq; ego hoc asserui, Pseudoprophetas vera miracula esse edituros, sed in genere dixi de miraculis, ultimis temporibus, ijs non veram sed potius falsam Ecclesiam signari. *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & edent signa magna & prodigia, ita ut seducant, si fieri possit, etiã electos* Matt. 24. v. 24: *Bestia edet signa magna, & faciet ignẽ de cœlo descendere in conspectu hominũ, & seducet incolas terræ propter signa qvæ data sunt ei* Apoc. 13 v. 13. 14. *Adventus Antichristi erit ex efficacitate Sathanæ, cũ omni potentiâ & signis ac prodigijs mendacibus* 2 Thes. 2 v. 9. In hoc loco signa Antichristi eqvidẽ vocantur mendacia τέρατα ψεύδους, sed hoc non intelligendum est ratione formæ, ac si omnia miracula ipsius sint tantùm falsa & apparentia; sed etiam ratione finis, qvia ad confirmationem mendaciorum erunt directa. Fatentur hoc qvidam Pontificij, *Staplet.* in Prompt. Cathol. Dom. 24. post pentecost: scribit: *etiam vera miracula non solùm Antichristus ipse ejusq; præcursores proximi sed qvilibet hæretici, non secus qvam magi, Deo permittente, operari possunt. Maldonatus* in cap. 7. Matth. idem fatetur: *ex hoc loco*, ait, *multi dicent in illo die &c. facilè colligitur*

 falsos

falsos illos Prophetas, de qvibus Christus loqvitur, vera miracula fecisse, verè prophetasse, verè dæmonia ejecisse, nec enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos, qvamvis ista fecerint, non nosse. Nec magnum esset si moneret nos, falsa miracula facientibus ne crederemus, sed magnum & admirabile omninò est, qvod monet, ne falsis Prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus. Imò Bellarminus ipse libenter concedit, qvod signa Antichristi dicantur mendacia ratione finis potissimum dum lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 15. scribit: *miracula qvæ operaturus est Antichristus erunt mendacia ratione omnium causarum, finalis, efficientis, materiæ & formæ. Finis enim eorum miraculorum erit, ostendere Antichristum esse Deum & Messiam, qvod erit perniciosissimum mendacium.* Qvicqvid autem sit, Pseudoprophetæ sive vera, sive falsa edant miracula, certum tamen est, qvod perspicacitas humani ingenij non semper possit falsitatem miraculorum cognoscere, cum Diabolus sit Spiritus potentissimus, qvi vel ex causis naturalibus tam stupenda potest producere, qvæ captum nostrum exsuperant. Unde patet, miraculorum gloriam Ecclesiæ veræ signum infallibile non esse.

465] 3. Regerit, *qvod Christus præter Scripturam, etiam ad miracula provocaverit* Matth. 11. v. 5. sed respond: Miracula Christi fuêre in veteri Testamento prædicta, *tunc aperientur oculi cœcorum & aures surdorum patebunt, tunc saliet, ut cervus, claudus, & laudabit lingva muti.* Esa. 35. v. 5. 6. Christus ergo ad hæc miracula provocat & ista

ista vaticinia in sese, tanqvam vero Messiâ impleta esse ostendit. Miracula autem in Ecclesiâ ultimis temporibus futura nō sunt prædicta, frustra igitur Pontificij ad Christi exemplum provocant. Deinde Christus non ad sola miracula, sed etiam ad verbum prædicatum provocat: *Euntes*, ait, *renunciate Johanni, qvæ auditis & videtis*, audiebant verò lætum Evangelij nuncium pauperibus prædicari, ergo ad miracula cum doctrinâ conjuncta in loco allegato provocatur. Miror autem Janssenium tacere ad mandatum Domini Deut. 13. v. 1 *cum surrexerit in medio tui Propheta & dederit tibi signum vel portentum, evenerit᷂q; signum & portentum, qvod locutus est, dicendo, eamus post Deos alienos & colamus eos, nō obedies verbis Prophetæ illius*: hic Deus apertè prohibet attendere solis miraculis sine doctrina, & simul causam exprimit, cur Deus permittat talia miracula fieri per Pseudoprophetas, nimirum qvia Deus nos tentat, an ipsum ex toto corde diligamus: hæc Janssenius vidit in meâ Admonitione, sed tacendo suppressit. Sic Abraham nolebat ad petitionem divitis miraculum edere apparitione animarum, sed præferebat doctrinam Mosis & Prophetarum dicendo: *habent Mosen & Prophetas audiant illos* Luc. 16. v. 29. Sic Petrus recenset miraculosam Christi glorificationem in monte Thabor, verbi tamen prædicationem illi præfert, dum scribit, *habemus firmiorem sermonem Propheticum* 2. Pet. 1. v. 19. Idem Janssenius tacet ad dictum Christi, qvod causam erroris Saducæorum producit, non defectum miraculorū, sed ignorantiam scripturæ

Matth. 22. v. 29. & ad exemplum Berroensium, qui miracula videbant, sed illis solis non credebant, verùm inqvisitionem & scrutinium scripturarum conjungebant Act. 17 v. 11. Exempla ista luculenter demonstrant, qvod non doctrina ex miraculis, sed miracula ex doctrina sint æstimanda & probanda.

466] 4. Excipit, *falsum esse & contra Scripturam, qvod Johannes Baptista miracula non fecerit*, At contra qvam Scripturam ? producatur liber, caput & versus, in qvo describantur miracula â Johanne facta: in Nativitate eqvidem & circumcisione Johannis miracula qvædam contigerunt, sed ista miracula potius facta sunt in Johanne, qvam â Johanne. Imò Baptistam nullum edidisse signum *Costerus* in Enchir, pag. 99. expresè fatetur. *Johannes signum nullum edidit*, expresè legitur, Joh. 10. v. 41. De Amos, Obadia & Zacharia inqvit Janssenius, dubium non esse, qvin miracula ediderint: sed istud non dubiũ valde est dubium, nulla exstant vestigia, nulla monumenta, ex qvibus posset colligi istos Prophetas miracula fecisse, & si miracula necessariò cum doctrina semper essent conjuncta, Spiritus Sanctus utiq; miracula istorum virorum non reticuisset. Apostoli multa fecerunt, qvæ non sunt scripta, qvod verum est; qvædam tamen miracula illorum sunt annotata, qvod de Amoso, Obadia, Zacharia non est factum. Notetur autem hic confessio Janssenij scribentis, *qvod sine miraculis interdum rectè possimus docere & credere* p. 311. hinc ita argumentamur: sine qvocunq; possumus rectè

docere

docere & credere, illud non est signum infallibile veræ Ecclesiæ, signa enim essentialia â suis signatis abesse non possunt; atqvi sine miraculis rectè possumus docere & credere, fatente Janssenio, ergò miracula non sunt infallibile signum Ecclesiæ.

467] 5. Tandem provocat (1) *ad Indiam, Hispaniam, Italiam, Germaniam, Belgium, ubi ingens copia miraculorum invenitur.* (2) *ait, Catholicos non esse tam stolidos, ut se patiantur decipi humanis præstigijs.* (3) *Vera miracula, ait, esse curationem cœcorũ, claudorum, vel mortuorum resuscitationem.* (4) *Miracula Magistratus testimonio confirmata, ait, esse verissima.* (5) *Judæos, inqvit, eodẽ modo olim potuisse miracula Christi exagitare.* Respondebimus ad singula.

468] 1. Janssenius ad Germaniam, Belgium, Italiam provocat, cum tamen cæteri Pontificij tantæ sint modestiæ, ut libenter concedant, in Europâ gloriam miraculorum non amplius vigere. *Bellarm.* lib. 4. de notis Eccles. cap. 14. dum per omnia secula recenset gloriam miraculorum Ecclesiæ, in secula decimo qvinto non nisi unicum Thaumaturgum potest producere, scilicet Vincentium, in seculo autem decimo sexto neminem prorsus potest producere, qvàm Xaverium qvi in India fecerit miracula, adeoq; nec in Asia, nec in Africa, nec Europa unum potuit nominare, qvi dono miraculorum polleat. *Gregorius de Valentia* lib. 6 cap. 7. Anal. p. 48. fatetur, miracula jam non amplius fieri in Ecclesiâ Christianâ, sicut olim tempore Christi & Apostolorum facta sunt. Et si tot sint thaumaturgi in Germaniâ & Belgio, cur Pontificij miraculis suis nos non refutant? o-

lim Paulus Elymam vincebat excœcatione Act. 13. v. 11. sed cur Pontificij nos non vincunt simili aliqvo miraculo, cur Hussum, cur Lutherum miraculis non refutarunt? cur authoritatem suam non defendunt, & inprimis Laicos miraculis ex Labyrintho errorum liberant? *Becanus* Tom. 2. opusc. p. 191. hoc excusare satagit, qvod in Europa miracula non fiant, propter incredulitatem Lutheranorum, exemplo Christi Matth. 13. v. 58. qvi propter ἀπιστίαν populi miraculum non edebat. Sed cur infidelitas Elymæ non obstitit Paulo, qvo minus miracula ederet, cur infidelitas Pharisæorum non obstitit Christo qvo minus Paralyticum & hydropicum sanaret? Matt. 9. v. 6. 7. Luc. 5. v. 24. seq. Imò cur Pontificij non faciunt miracula in Bavariâ, in Austriâ, in Italiâ, in Hispaniâ, ubi Lutherani aut nulli sunt aut certè pauci? adeoq; suâ infidelitate eos non possunt impedire. Imò cur Pontifex Romanus Romæ in medio Cardinalium miracula non facit, ubi Lutheranorum ἀπιστία ipsi impedimento esse neqvit? Christus poterat miracula facere in medio impiorũ & infidelium, qvando volebat, Pontificij autem non possunt, etiam qvando volunt. In bello contra Svecos miraculis certè opus fuisset pro obtinendâ victoriâ, at cur Monachi ea non operati sunt? aut non voluerunt, aut non potuerunt, eos non voluisse non est credibile, ergo non potuerunt.

469] 2. *Catholicos*, ait, *non esse tam stolidos, ut patiantur se decipi præstigijs humanis*. Respond: sic potuissent Ethnici illi sapientissimi excipere, nos non

non sumus tam stolidi, ut patiamur nos decipi præstigijs diabolicis, & tamen decipiebantur Oraculo Apollinis. Sic Pharao cum suis aulicis potuisset obijcere nos non sumus tam stolidi, ut patiamur nos decipi præstigijs diabolicis, & tamen decipiebantur per magos suos. Sic possent excipere Reges & populi & gentes, qvas seducet Antichristus miraculis suis Apoc. 13. v. 13. nos non sumus tam stolidi, ut patiamur nos decipi præstigijs humanis & diabolicis, nihilominus tamen decipientur. Supra n. 243. ex Zwingero historiam recensuimus de Magdalena Cruzia, qvæ per annos benè multos stupenda edidit miracula, qvam Reges & Principes propter donum hoc miraculorum sunt venerati, tandem fraude detecta omnibus innotuit fuisse præstigias diabolicas. Ita *Sleidanus* lib. 9. resenset historiam de miraculosâ animæ cujusdam defuncti apparitione, tandem verò Monachi Franciscani in præstigijs sunt deprehensi. Janssenius qvoq; p. 155. ipse fatetur, *miracula qvædam in Papatu â nebulonibus esse ficta & ab avaris & imperitis qvibusdam qvæstus causâ esse facta*; eo ipso igitur fatetur Catholicos sæpius deceptos fuisse. Dicimus igitur impossibile esse ultimus hisce temporibus vera miracula â falsis discernere, sive humanam rationem, sives ipso thaumaturgos, sive sacram Scripturam spectemus. Non ratione humanâ, qvam Diabolus præstigijs suis artificiosissimis longè exsuperat, ut testantur exempla miraculorum in Ethnicismo, qvæ etiam sapientissimi Ethnici non potuerunt dijudicare. Non sanctitate illorum, qvi miracula faciunt,

cum

cum Diabolus etiam ſanctitatem ſimulet, & ſeſe in Angelum lucis transformet, 2. Cor. 11. v. 14. non ex Scripturis, hæ namq; nullum monſtrant indicium, nullum medium, qvibus ejusmodi probatio & diſtinctio miraculorum poſſet ſuſcipi, præſertim qvum miracula ultimis temporibus futura, prorſus non ſint prædicta. Cum itaq; nullum poſſit inveniri medium, qvo miraculorum veritas aut falſitas probari poſſit, nec ipſi Pontificij hactenus in tot voluminibus ſignum tale potuerunt proferre, ſeqvitur, Pontificios & alios ſapientes præſtigijs humanis & diabolicis decipi poſſe.

470] 3. *Vera*, inqvit, *miracula ſunt, qvæ nullâ vi humanâ, vel Diabolicâ vel naturâ creatâ, ſed à ſolo Deo patrantur, ut curatio cæcorum & claudorum, atq; excitatio mortuorum.* Reſpond. (1) Adventus Antichriſti erit *ex efficacitate Sathanæ cum omni potentia & ſignis & prodigijs mendacibus & cum omni fraude injuſtitiæ* 2. Theſſ. 2. v. 9 hic Paulus expreſſè teſtatur de varietate fraudum, prodigiorum & ſignorum Antichriſti, qvibus claudorum & cæcorum ſanatio ac mortuorum reſuſcitatio utiq; includitur (2) *Cornelius Tacitus* lib. 4. Hiſtor. refert, qvod Veſpaſianus Ethnicus cæco viſum, claudo greſſum reſtituerit, ergo Ethnici talia miracula qvoq; habuerunt. *Bellarm.* lib. 4. de Eccleſ. cap. 14. excipit, qvod totus ille morbus fuerit â diabolo, qvi inſidens in oculo unius & alterius tibia impediverit uſum illorum membrorum, idq; eo fine, ut videretur ſanare, cum deſineret nocere. Atqvi hoc noſtram ſententiam confirmat, qvod diabolica miracula cum divinis conveniant, qvoad

ad externam ſpeciem, cũ nemo hominũ tantæ ſit ſagacitatis, ut ex ſpecie externâ veritatem aut falſitatem miraculorum poſſit dignoſcere. (3) *Blaſius Viega* in Comm. ſuper Cap. 13. Apoc. Serm. 11. de Antichriſto ſcribit: cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum reſtituet, Diabolos eijciet, leproſos purgabit, futura prædicet, mortuos reſuſcitabit, montes transferet, ignem de cœlo deſcendere faciet, diem in noctem, lucem in tenebras transmutabit. Itaq; cæcorum & claudorum ſanatio ac mortuorum reſuſcitatio Chriſto & Antichriſto eſt communis, adeoq; Janſſenius fallit, dum hæc miracula tanqvam vera & veritatem Eccleſiæ probantia producit.

471] 4. *Provocat ad publicum Magiſtratus teſtimonium de veritate miraculorum, qvod teſtimonium non ſit reijciendum.* Reſpond: Magiſtratus authoritatem magni qvidem facimus ijs in rebus, in qvibus Magiſtratui â Deo poteſtas data eſt. Sed Magiſtratus ipſe præſtigijs Diabolicis poteſt falli, non ſecus ac alij homines. Sic Pharao eſt deceptus præſtigijs ſuorum Magorum, ſic Auguſtus Cæſar deceptus eſt præſtigijs Diaboli per Oraculum Apollinis loqventis. Ita Saul fuit deceptus â muliere incantatrice, ſpectrum diabolicum producente. Sic Pontifices & Reges atq; ipſe Imperator Carolus V. deceptus fuit diabolicis præſtigijs Magdalenæ Cruziæ, de qvâ ſupra n. 243. totam hiſtoriam recitavimus. Sic Rex Hiſpaniarum deceptus eſt mendacijs monachorum, qvi ſcribunt de Sanctâ Johannâ de Cruce, qvod Chriſtus vulnera ſua manibus & pedibus prædictæ Johannæ impreſſe-

impresserit, adeoq; præfationem & privilegium à Rege prænominato in testimonium hujus miraculi impetrarunt, ut videre est in Legendis Johannæ Cruciæ Monachijs anno 1619. excusis cum tamen Sixtus IV. publicis mandatis decreverit, falsum esse, qvod præter Franciscum vel Vir vel fœmina qvæpiam ejusmodi vulnera habuerit, teste *Sedulio* in Comment: super vitam Francisci pag. 368. seq. Nec Magistratus vel privilegium vel peculiare donum à Deo habet, qvod præstigijs ejusmodi non possit falli, nec Monachi tale privilegium ex sacris possunt producere, unde pateat Magistratus testimonium hisce de rebus infallibile non esse.

472] 5. *Tandem adducit instantiam de Judæis qvi simili modo miracula Christi potuissent explodere*, sed respond: (1) Miracula Chrsti fuerunt prædicta Esa. 35. v. 5. at Pontificij de suis miraculis prædictionem neqveunt monstrare, nisi velint Pseudoprophetarum & Antichristi notas incurrere (2) Miracula Christi extra controversiam erant supra omnes naturæ vires & præstigias ut patet ex sanatione hominis, qvi ab utero matris cœcus fuerat Johan. 9. v. 1. seqq. miracula autem Pontificiorum talia non sunt. (3) Christus nunqvam in præstigijs & fraudulentijs miraculorum fuit deprehensus, at Pontificij sæpissime coram universâ Ecclesiâ suis deceptionibus sunt confusi, ut n. 467. dictum est. (4) Christus ex miraculis solis veritatem Ecclesiæ non probabat, sed simul ex Mose & Prophetis, ad qvos provocabat, Matth. 5. v. 17. cap. 11. v. 4. 5. cap. 22. v. 29. Joh. 5. v. 39.

at Pontificij doctrinam suam dubiam solis miraculis demonstrare satagunt scripturâ rejectâ, & imperfectionis atq; obscuritatis accusatâ. (5) Christus miracula faciebat eo tempore, qvo necessaria erant propter mundum convertendum. Jam verò mundo ad Christianismum converso miraculis opus non habemus, docente *Augustino* lib. 22. de Civit. Dei cap 8. (6) Christus faciebat miracula in conspectu suorum inimicorum, at Pontificij miracula non nisi in India & Japonia faciunt, in Germaniâ autem coram Lutheranis miracula non edunt, unde res tota nobis suspecta redditur. Cum ergo tantum sit discrimen miraculorum Christi & Pontificiorum, frustrâ Janssenius nobis obijcit ac si Judæi Christi miracula eodem modo, qvo nos Papatus prodigia, reijcere potuissent.

473] Miror autem cur Janssenius nihil respondeat ad exempla Monachorum Wurtzbergensium & Bambergensium, qvi gloriam miraculorum immane qvantum jactarunt, sed tandem convicti collusionis cum dæmone publico supplicio affecti & combusti sunt. Hi, hi sunt illi Thaumaturgi, qvi suis miraculis Papatum fulciunt & Ecclesiam illustrant. Janssenius ab hoc exemplo ita abhorret, ut etiam in latinâ versione meæ Admonitionis libro suo insertâ, istam instantiam omittendo suppresserit. Plura de miraculis supra Cap. 10. dicta sunt.

Caput

Caput decimum octavum.

De Principibus & Felicitate temporali Ecclesiæ Papisticæ.

474] POntificij celebrant *multitudinem Regũ ac Principum Papatui addictorum*, & veritatẽ Ecclesiæ exinde demonstrare conantur. Respondi ego in mea Admonitione (1) qvod Baalitæ simili argumento usi fuerint contra Israelitas, provocabant illi ad suos Reges & Principes, qvi etiam Idolum Baalis venerati fuissent, Jer. 44. v. 17. (2) In Captivitate Babylonicâ Rex Nebucanedzar & aulici ipsius erant Ethnicismo addicti, Daniel autem cum socijs authoritatem Regis in causâ religionis non attendebat Dan. 3. v. 16. seq. (3) Tempore Christi nec Imperator Tyberius, nec Rex Herodes, nec Præses Pilatus Evangelio subscribebant, illorum tamen authoritas veritati Evangelicæ nihil præjudicabat. (4) Tempore decem persecutionum imperatores & Reges Ethnicismo erant addicti, nihilominus Christiani veram religionem habebant. (5) Reges & Principes meritò honorantur in causis ad Magistratum pertinentibus, interim sunt homines, qvi etiam possunt decipi, imò sæpius decepti sunt in Religione, ipsorum igitur multitudo vel suffragium in demonstrandâ Ecclesiæ veritate attendi non debet. Janssenius respondet, *qvod hoc argumentum sit fictum, Catholicos ita non argumentari a Regum & Principum multitudine; Lutheranos isto figmento decipi*. Sed respondemus.

475]

475] Ego hoc argumentum Pontificijs non affinxi, sed inveni in *Thoma Bozio*, qvi conscripsit libros 24. de signis Ecclesiæ Dei, Coloniæ Agrippinæ Anno 1592. excusos. Iste lib. 8 cap. 1. & seq. hoc argumentum prolixè tractat, & ex eo, *qvod multi Imperatores, Reges, Electores & Principes Papatui sint addicti, veritatem Ecclesiæ demõstrare satagit.* Idem argumentum urserunt hactenus Monachi in Boemia, Silesiâ, Moraviâ, Saxoniâ, qvi Laicos qvamplurimos decepêre, & splendido magnatum titulõ ad Ecclesiam Romano Papisticam protraxêre. Et licet non negemus in Ecclesiâ Pontificiâ Magnates inveniri qvamplurimos, Põtificij tamen rursus negare non poterunt in Ecclesiâ Lutheranâ Principes qvoq; multos inveniri. Elector Saxoniæ cum Principibus Landgravio Hassiæ, Ducibus Lunæburgensibus, Principe Anhaltino, Augustanæ Confessioni subscripsit. Duo Electores & Principes benè multi subscripsere formulæ Cõcordiæ. Hodiernâ die per Dei gratiã nostris Ecclesijs addicti suut Reges Daniæ & Sveciæ, Elector Saxoniæ cum totâ familiâ Electorali, Principes Lunæburgenses & Brunsvicenses, Hollatiæ, Hassiæ, Wirtembergæ & alij qvamplurimi. Principes qvoq; in Papatu plerumq; tandẽ moriũtur fide Lutheranâ opera sua abnegantes & per fidẽ in Jesum Christũ justitiã corã Deo apprehendentes, qvod fecit Carolus V. Imperator, teste Thuano Lib. 14. Histor:

476] Felicitatem qvoq; temporalem Pontificij pro signo Ecclesiæ venditant, provocantes ad potentiam, dignitatem, divitias victorias, & similia. Respondi ego in meâ Admonitione (t) Sathanam

hoc argumento usum esse contra Christum, dum in deserto ipsum tentaret Matth. 4. v. 8. 9. (2) Turcas posse uti hoc argumento contra Christianos, illi enim florent regnorum amplitudine, majestate, divitijs & victorijs multis cõtra Christianos (3) Baalitas hoc argumento usos esse contra Israelitas Jer. 44. v. 17. qvibus Pontificij non potuissent respondere dum eodem argumento cum illis utuntur. (4) Ecclesiam verã in servitute Ægyptiacâ, in Captivitate Babylonicâ, tempore Christi patientis & Apostolorum, summas persecutiones exantlãtem, hac notâ caruisse, nihilominus verã mansisse Ecclesiam. (5) Scripturam prædicere fidelibus multas calamitates Joh. 16. v. 20. cap. 15. v. 19. Act. 14. v. 22. Job. 21. v. 7. 8. seqq. Psal. 73. v. 5. seqq. (6) Veram deniq; felicitatem non in hac sed in alterâ vitâ inveniri, adeoq; frustra homines beatos prædicari ex felicitate temporali, qvæ in æterna tormenta sæpius transmutatur, exemplo divitis Luc. 16. Janssenius respondet, *esse imposturam, Catholicos hoc non docere, esse calumniam supra cap. 12. refutatam, nihil absurdius hac doctrinâ posse cogitari.* At ubi frons tua, Jansseni? ego ista non effinxi, sed inveni in *Bellarmino*, qvi lib. 4. de Notis Eccles. cap. 18. felicitatem temporalem notam Ecclesiæ esse docet. In *Tannero*, qvi in Anat. August. Confess. part. 2. demon. 5. § 224. Lutheranæ Ecclesiæ ministris paupertatem scabiosè obijcit: In *Bzovio*, qvi p. 1228. 1343. scribit, posteros Lutheranorum esse infelicissimos; in *Gregorio de Valentia*, qvi lib. 1. Analys. cap. 9. p. 10. Lutheranis obijcit malum exitum. Si hæc doctrina est impostura, vos Pontificij

tificij estis impostores, si nihil absurdius eâ potest cogitari, ut ais, vos estis absurdissimi homines, qvi ita argumentamini. Si qvid supra reposuisti, illud supra est refutatum.

Caput decimum nonum.

De peccandi Licentiâ.

477] ACcusant Pontificij nostras Ecclesias, *qvod bona opera in illis prohibeantur, & magna peccandi licentia permittatur*, cum in Ecclesijs Pontificijs bona opera seriò inculcentur & urgeantur, peccandiq; licentia non permittatur, unde veritatem suæ & falsitatem nostræ Ecclesiæ demonstrare satagunt. Respondi ego in meâ Admonitione (1) qvod in omnibus Concionibus nostris ad populum, imò in plurimis scriptis bona opera commendemus, tãqvam partem necessariam Christianismi. (2) Qvod in Confessione Augustanâ Art. 6 bona opera expressè doceantur, & Art. 20. dicatur: nostris falsò imponitur, qvod bona opera prohibeãt. (3) Qvod Lutherus bona opera ab actu justificationis, non autem â Christianismo excludat (4) Papatum bona opera verbis qvidem profiteri, sed factis negare, dũ in Italia & Hispaniâ omnia sint repleta fornicationibus, adulterijs, Sodomiâ & alijs peccatis mutis. (5) Ex operibus nihil certi posse concludi, cum Christus nullibi mandarit, Ecclesiæ veritatem ex operibus bonis esse dignoscendam, hypocritæ præterea bona opera simulẽt, hominesq; fallãt Pharisæorum exemplo. Janssenius ad hæc pro-

lixè respondet p 315. ad 321. singula ordine examinabimus.

478] *1.* Ait: *Religio Lutherana non docet carnẽ macerare, terrena contemnere, voluptates carnis resecare.* Respond: omnino docemus, carnem cum concupiscentijs esse crucifigendam Gal. 5. v. 24 opera carnis per Spiritum esse mortificanda Rom. 8. v. 13. eos, qvi in carne vivunt, Deo placere non posse Rom 8. v. 8. peccato esse resistendum ne dominetur in corpore hoc mortali Rom. 6. v. 12. Interim & hoc addimus, corpori honorem debitum non esse denegandum Coloss. 2. v. 23. cum nemo unqvam carnem propriam odio habuerit Eph. 5. v. 29. Modo autem Pontificio per flagellationes domandam esse carnem id approbare non possumus, certis de causis (1) caret ista flagellatio mandato divino (2) caret exemplis probatis (3) Baalitarum hoc erat proprium, carnem macerare ad sangvinem usq; 1. Reg 18 v. 28. (4) Caret promissione de beneplacito divino frustra enim servimus Deo mandatis hominum Matth. 15. v. 9. (5) mandato Dei repugnat de honore debito, corpori non denegando Coloss. 2. v. 23. (6) Merito Christi est contumeliosum; cum enim Christus peccata nostra portaverit, & pro ijs satisfecerit Esa. 53. v. 4. 5. cap 63. v. 3. detrahitur efficaciæ meriti Christi, qvasi non sit sufficiens pro peccatis nostris. (7) Ex Ethnicismo suam duxit originem, Luperij enim Lupercalia celebrantes flagellabant homines, qvi ipsis obviam procedebant. Qva de re videatur *Polydor. Virg* lib. 7. cap 6. de Invent. rerum.

479]

479] 2. Excipit, *Lutherum impiè docere de peccatis & bonis operibus*, citat aliqvot testimonia, Tom. 1. Germ. Witteb. in Epist. ad Galat ait, *qvod ex Christo Mosen faciant, qvi bona opera reqvirunt*; sed Lutherus ibidem loqvitur de actu justificationis, per opera enim si qvis justificationem qværat, is omnino ex Christo Mosen facit, imò Christum abnegat, & per Mosen justitiam qværit, *non autem data est lex, qvæ vivificet* Gal. 3. v. 21. *cum fides jam advenerit, non amplius sumus sub lege* Gal. 3. v. 25. *Si justitia venit per legem, frustra Christus mortuus est*, Gal. 2. v. 21. Lutherus itaq; non minus impiè de operibus legis docuit, atq; Paulus. Atqvi Lutherus docuit, *qvod bona opera sint oneri & impedimento ad salutem*. Respond: rectissimè ijs scilicet, qvi in opera confidunt, & per merita illorum justificationem qværunt, ut supra n. 420. seqq: prolixè probatum est. Lutherus ait in Sermone de piscaturâ Petri, *qvanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit*. Respond: videtur hoc dictum à Monachis Luthero affictum esse; citat Janssenius eqvidem *Sermonem de Piscat. Petri*, sed non addit, ubi Sermo ille legatur, in qvo Tomo operum Lutheri, qva paginâ, an in Postillâ Ecclesiasticâ vel Domesticâ, an in Festo Andreæ vel Dom. 5. post. Trinit. utrobiqve enim agitur de Piscaturâ Petri, ista igitur citatio imperfecta & suspecta est. Ex Tom. 2. Latin. Witteb fol. 78. obijcit, qvod Lutherus scribat: *Christianus etiam volens non potest perdere salutem suam qvantiscunq; peccatis, nisi nolit credere, nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola in-*

credulitas. Sed respond: Lutherus in illo loco agit de solatio, qvod omnes Christiani ex Baptismo haurire possint, baptismus enim est fœdus bonæ conscientiæ cum Deo, 1 Pet.3.v.21. fœdus illud etiamsi ex parte nostrâ rumpatur, non tamẽ ex parte Dei infringitur, *nostra enim infidelitas fidem Dei non evacuat* Rom.3.v.3. fideli igitur recordatione baptismi nostri erigimur firmissimo solatio in tentatione propter peccata, qvæ homini pœnitenti nocere non possunt, sola incredulitas respuit salutem hominis, ut pote qvæ nec Baptismum, nec verbum, nec cœnam Domini admittit, adeoq; media excludit, qvibus salutem æternam possumus conseqvi.

480] Totus igitur contextus mentem Lutheri explicat, dum ita scribit: *proinde non parum profuerit, si pœnitens primo omnium baptismi sui memoriam, apprehendat, & promissionis divinæ, qvam deseruit, cum fiducia recordatus, eandem confiteatur Domino gaudens se tantum adhuc in præsidio habere salutis, qvod baptizatus sit, detestansq; suam impiam ingratitudinem, qvod à fide & veritate ejusdem defecerit. Mire enim cor ejus confortabitur, & ad spem misericordiæ animabitur, si consideret divinam promissionem sibi factam, qvam impossibile est mentiri, adhuc integram & non mutatam, nec mutabilem ullis peccatis esse, sicut Paulus dicit, 2.Tim.2. si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest. Hæc, inqvam, veritas Dei eum servabit, ita ut si cætera omnia ruant, hæc tamen eum credita non derelinqvet. Habet enim per hanc qvod insultanti adversario opponat, habet qvod turbantibus peccatis conscientiã obji-*

ciat,

ciat, habet qvod horrori mortis & judicij reſpondeat, habet deniq; qvod univerſis tentationibus ſolatium ſit, nempe, hanc unam veritatem, dicens: Deus eſt verax in promiſſionibus ſuis, cujus ſignum in baptiſmo ſuſcepi. Si Deus pro me, qvis contra me? Et poſt pauca: *Ita legitur de qvadam ſancta Virgine, qvæ qvoties tentabatur, non niſi baptiſmo ſuo repugnabat, dicens breviſſimè: Chriſtiana ſum. Intellexit enim hoſtis ſtatim virtutem baptiſmi & fidei, qvæ in veritate Dei promittentis pendebat, & fugit ab ea. Ita vides, qvam dives ſit homo Chriſtianus ſive baptizatus, qvi etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam qvantiscunq; peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare niſi ſola incredulitas. Cætera omnia, ſi redeat vel ſtet fides in promiſſionem divinam baptizato factam, in momento abſorbentur, per eandem fidem, imò veritatem Dei, qvià ſeipſum negare non poteſt, ſi tu eum confeſſus fueris, & promittenti fideliter adhæſeris.* Locus Lutheri, *ubi ſcriptura jubet bona opera facere, tu ſic intelligas, qvod prohibeat*, ſupra n. 420. eſt explicatus.

481] 3. *Lutherum docere*, ait, *hominem peccare in omnibus ſuis operibus.* Reſpond: non docemus bona opera per ſe eſſe peccata, ſed bonis illis operibus peccati aliqvid ſemper adhærere, adeoqve hominem in bonis etiam operibus peccare. Qvod fit (1) cum fiunt opera opinione meriti, & ſic opera Phariſæorum reijciuntur Matth. 5. v. 20. cap. 6. v. 2. 5. cap. 23. v. 3. (2) cum non fiunt ex fide, impoſſibile enim eſt Deo placere ſine fide Hebr. 11. v. 6. (3) cum imperfectiones adhærentes conſiderentur, caro enim ſemper concupiſcit adverſus Spiritum

tum Gal. 5. v. 17. Homo vetus novo repugnat, Eph 4. v. 22. Janſſenius regerit, *qvaſi verò opera Catholicorum ſint peccata, niſi fiant cum fide meritum Chriſti apprehendente.* Reſpond: Qvicqvid non fit ex fide peccatum eſt Rom. 14. v. 23. ergò & opera Catholicorum, qvæ fiunt ſine fide, qvâ de re Janſſenius cum Paulo tranſigat. Scimus eqvidem bona opera Deo placere generaliter qvatenus conveniunt cum principijs rectæ rationis â Deo inſitis; ſpeciali autem *εὐδοκίᾳ* Deo placere non poſſunt cum fiunt absq; fide. Janſſenius ait, hinc ſeqvi, *melius eſſe, ſi iſta opera intermitterentur, qvod eſſet ἄθεον.* Reſpond: ſi Monachi opera ſua faciunt aut ſine fide, aut prorſus non faciunt, perinde eſt. Cum enim bonitas operum ſpiritualis ex fide oriatur, deficiente fide, deficit qvoq; illa operum bonitas; opera igitur aut nulla aut ſine fide, in eodem ſunt pretio coram Deo. Et ſi, Janſſenio aſſerente, opera bona etiam ſine fide facta, ſalutem æternam conſeqvantur, ſeqvitur Ethnicos qvamplurimos eſſe ſalvatos, qvi opera bona ſine fide fecerunt, abſurdum eſt conſeqvens, ergo & antecedens. Neq; verò hinc ſeqvitur, ut Janſſenius ſibi ſingit, *omittenda potius eſſe opera, qvam benè operando peccare,* hæc enim conſeqventia tum demum valeret, ſi doceremus, qvod bona opera formaliter eſſent peccata; qvia verò nos tantum de imbecillitate & imperfectione adhærente loqvimur, conſeqventia exſpirat.

482] 4. *Citat dictum* Matt. 7. v. 20. *ex fructibus illorum agnoſcetis eos, id eſt, ex operibus, ergo opera bona ſunt ſignum Eccleſiæ.* Reſpond: per fructus non intel-

telliguntur opera & mores vel Doctorum vel Auditorum. *Non Doctorum*, qvi enim rectè docent, sæpius impiè vivunt, ex vitâ igitur illorum de doctrinâ non est judicandum. Sic Judas erat fur & proditor, nihilominus rectè de Christo docuerat Matt. 10. v. 4 Pharisæi docebant rectè ex Mose & Prophetis, impiè autem vivebant, Christus tamen non illorum doctrinam, sed opera tantùm reijcit Matt. 23. v. 3 ubi jubet doctrinæ attendere, opera autem non seqvi. *Non auditorũ*, nam in populo Dei auditores vivebant pessimè, ut testantur qverelæ Prophetarum, neq; tamen exinde qvis potest concludere, doctrinam Prophetarum fuisse falsam. Per fructus intelliguntur hoc loco mala dogmata cum doctrinâ Christi non congruentia, scilicet, si qvæ doctrina manifestam Idololatriã doceat, vel peccata probet, ijsq; fenestram aperiat, vel securitatem hominum alat, vel econtra spem & consolationem perturbatis conscientijs præscindat, vel Dei ordinationes convellat, vel ad seditiones classicum canat, vel si serpat in tenebris, lucemq; hominum fugiat & sese propaget ac dilatet per aperta mendacia, falsa testimonia, calumnias, somnia, fictas revelationes Angelorum, enthusiasmos, aliaq; fanaticis usitata præsidia & adminicula: vel si ad institutum ministerium suâ virtute evacuandum spectet, vel alijs modis â sanæ doctrinæ proprietatibus dissideat. Præcipuè verò si non qvadret ad analogiam fidei, qvæ certissimus est canon ac ceu lydius lapis probandi Spiritus & eorũ dogmata. Qvamobrẽ si tale qvid in aliqvo dogmate occurrat, monet Christus, hinc tanqvã ex vitioso

fructu judicium fieri debere de arbore, qvod bona frugiferaq; esse neqveat, ut rectè explicat Ægidius Hunnius in Matth. cap. 7. Ita olim Sancti Patres hoc dictum explicuêre, ut *Vincentius Lyrinensis* advers. Hæret. cap. 36. ait: *hæreticos divinæ legis sententijs qvasi qvibusdam velleribus se obvolvere, illos tamen ex fructibus, hoc est, ex falsis interpretationibus lupos agnosci posse.*

483] 5. Excipit, *Catholicos exactè posse distingvere inter veram & simulatam pietatem, inter hypocritas & veros sanctos.* Respond: dicuntur hæc, sed non probantur; medium & modum distingvendi inter veros sanctos & hypocritas Janssenius non exponit, *hæretici loqvuntur mendacia in hypocrisi* 1. Tim. 4 v. 2. *habent speciem pietatis.* 2. Tim. 3 v. 5. *transfigurant se in Apostolos Christi, sicut Sathan se transfigurat in Angelum lucis* 2. Cor. 11. v. 13. 14. *ambulant in humilitate & religione Angelorum.* Coloss. 2. v. 18. Sic igitur Protoplasti poterant falli â serpente, Judæi potuerunt falli â Pharisæis, Galatæ â Pseudo Apostolis, Christiani veri â Weigelianis, imò sicut ab Antichristo vera Ecclesia olim poterit decipi sub specie Sanctitatis, qvod futurum esse Pontificij non negant, sicut Sancti decipientur â bestiâ *habente cornua agno similia, qvæ tamen loqvetur ut Draco,* Apoc. 13. v. 11. ita Pontificij facilè possunt decipi ab ijs, qvi veram pietatem simulant Deus solus scrutatur corda & renes, *homo videt ea, qvæ patent, Dominus autem intuetur* Cor. 1. Samuel. 16. v. 7.

484] Malè igitur Pontificij nobis affingunt, qvasi bona opera in nostris Ecclesijs prohibeamus, doce-

docemus enim fidem esse efficacem per opera charitatis Gal. 5.v.6. fidem mortuam esse sine operibus Jac.2.v 26. carnem esse crucifigendam cum concupiscentijs Gal.5.v.24. hominem debere renovationi incumbere Eph.4 v.23. Adducimus rationes cur bona opera sint facienda, scilicet propter Dei mãdatum 1.Thess.4 v.3. propter gaudium Angelorum Matt.18.v 10 Luc.15.v.10. propter proximũ, qvi ædificatur bonis exemplis, unde & adversarijs ansa calumniandi præciditur 2Cor. 6.v.3. 1Pet.2.v.11.12. propter nos ipsos, ut fidem nostram demonstremus, pœnas evitemus & mercedem â Deo conseqvamur Rom.8.v.6.7.8.13.14. Col.3.v.5.6.seqq. Lev.26. v.3.seqq. Esa.1.v.19.20. 1.Tim 4. v.8. prout scripta nostratium hac de re luculenter testantur.

485] Miror autẽ qvod Janssenius p.321. jactet *sese cum alijs Catholicis nasum Rhinocerotis habere*, qvod tamen isto naso non usus fuerit in perspiciendis flagitijs scelestissimis Monachorum, qvæ ex ipsâ Pontificiorũ doctrina seqvuntur. *Tezelius* docuit, sibi in promptu esse indulgentias pro futuris peccatis, etiam pro maximis, ut si qvis Matrẽ Domini stuprasset, nihilominus tamen numeratâ pecuniâ remissionem accipere posset, qvod dogma horrendum Lutherus oppugnat Tom.1.Germ.Jen. f.6. *Taxa pœnitentiæ* horrenda flagitia, ut sunt Sodomia, parricidiũ, sacrilegiũ, Regicidium & similia remittit ijs, qvi certam pecuniæ summam numerãt. *Mariana* lib.1.cap.7.de Rege, docet artẽ Reges & Principes veneno interficiẽdi. *Bellarm.* lib. de statu peccati cap.18. publica lupanaria toleranda esse apertè docet. *Johannes de La Casa* Archiepisco-

pus Beneventanus peculiarem libellum conscripsit de laudibus Sodomiæ, teste *Sleidano* lib. 21. Hujus doctrinæ fructus fuerunt Regum Galliæ interneciones consilijs Jesuitarum institutæ, & â Pontifice ipso in freqventi Cardinalium consessu publicè commendatæ, teste *Thuano* lib. 110. Insidiæ item Jesuitarum pulvere tormentario structæ Parlamento Anglicano, qvâ de re *Jacobus* Britanniæ Rex in Conjuratione sulphureâ prolixè agit. Hinc tot Pontifices fuêre Sodomitæ & adulteri, qvorum criminum accusatus est Johannes 24 in Concilio Constantiensi sess. 11. cum Henricus VIII. Rex Angliæ visitationem Monasteriorum institueret, invenit aliqvot millia infantium â monachis & monialibus in piscinas & stagna abjectorum. De avaritiâ & luxuriâ Clericorum in Papatu testantur *Centum gravamina Nationis Germanicæ* in publicis Comitijs exhibita, Ipse Pontifex *Adrianus* VI. in Comitijs Norimbergensibus anno 1523. celebratis per Legatum suum fassus est, statum Ecclesiæ Romanæ esse corruptissimum: *Scimus*, ait, *in hac Sanctâ sede aliqvod annis tam multà abominanda fuisse, abusus in Spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in perversum mutata*, referente *Flacio* de dissens. Pontif. p. 101. Legatur etiam *Anatomia Jesuitarum*, libellus nuper in lucem editus, in qvo mira recensentur flagitia ordinis Jesuitici, cui addatur *Actio perduellionis in Jesuitas*. Rectè igitur *Erasmus* in Meth. Theol. p. 189. scripsit: non aliter monachi sunt extra mundum, qvam renes extra corpus animantis. Et Eoba-

Eobanus Hessus dignam materiam carmine expressit:

O Monachi vestri stomachi sunt amphora Bacchi!
Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.

Hæc de Sanctitate Monachorum sufficiant. Qvæ subijciuntur de Petro Pontifice & dicto Matt. 16. v. 18. infra Lib. 2. explicantur.

Caput Vigesimnm.

De ordinatione Ministrorum in Ecclesiâ Lutheranâ.

486] MInistros verbi in Ecclesijs Lutheranis *non legitimè ordinari*, Pontificij qvoq; obijciunt, eâ ratione, *qvod ab Episcopis non ordinentur*. Respondi ego in meâ Admonitione (1) Ex Scripturis mandatum Dei non posse produci, qvod soli Episcopi Romani habeant potestatem ordinandi (2) Paulum ab Ananiâ impositione manuum esse ordinatum, qvi tamen Episcopus non fuit Act. 9. v. 17. (3) Paulum non fuisse Episcopum Romanū, nihilominus ministros Ecclesiæ, & in specie Timotheum rectè ab eo esse ordinatū, 2. Tim. 1 v. 6 (4) Timotheū nō fuisse Episcopum Romano ritu ordinatum, qvi tamen alios rectè ordinavit impositione manuū, 1. Tim. 5. v. 22. (5) Esse distingvendū inter necessitatē vocationis & ordinationis; vocationē esse simpliciter Ministro verbi necessariā Rom. 10. v. 15. Hebr. 5. v. 4. ordinationē verò nō ita, ut pote qvæ nihil sit aliud qvā publica vocationis declaratio, imò qvæ in casu necessitatis tempore belli & pestis possit omitti.

mitti.(6)Ordinationē fieri qvidē vel ab Episcopo, vel â Pastore,vel alio Ministro, nō tamen nomine illius ministri,sed nomine totiusEccelsiæ, qvæ per suū ministrū legitimam vocationem declarat. (7) ordinationē non solis Episcopis,sed toti presbyterio esse commmissam,1Tim 4.v.14.(8)OmnesMinistros eandē habere potestatem cū Episcopis,adeoq;& potestatē ordinandi.(9)Inter munusEpiscoporum & aliorum Ministrorū nō esse reale discrimen,cum Petrus Episcopus se vocet Sympresbyterū, 1.Pet.5.v.1. Janssenius ad hæc prolixè excipit â p.336. usq; ad p. 342. videbimus singula.

487] *1. Lutherus*, ait, *non est legitimè vocatus, ergo nec ipsius Discipuli legitimè sunt vocati & ordinati*, addit rationemconseqventiæ,*qvia ubi adLutherum pervenerint, tota ipsorum exhaurietur successio, qvæ vocationi & ordinationi est connexa.* Respond: (1) Lutherum legitimè vocatum fuisse supra cap. 14. prolixe est demonstratum. Corruit igitur omne id,qvod Janssenius de vocatione Ministrorū Ecclesiæ Lutheranæ superstruit (2) Conseqventia est falsissima, si Lutherus non rectè fuit vocatus; ergo nemo LutheranorumMinistrorum rectè vocatur similí enim modo argumentarer; si hic vel illePontifex non est legitimè vocatus,seqvitur neminem Monachorum aut Doctorum Pontificiorum rectè vocari,at Pontifices qvamplurimi non rectè vocati sunt,nam per violentiam & ambitionem adPapatū pervenêreDamasus I.Vigilius Sergius I. Stephanus VI.Christophorus I. Johannes XI. Damasus II. Johannes XVII. Johanna XXIV. ut testatur *Platina* in Vitis istorum Pontificum, seqve-

seqveretur igitur eodem argumētandi modo neminem Monachorum aut Doctorum Pontificiorum rectè vocari, qvicqvd hic Janssenius responderit, sibi qvoq; responsum habeat. (3) Vocatio Ministrorum verbi in nostris Ecclesijs non dependet ex Lutheri vocatione, sed ex consensu totius Ecclesiæ Ministrum vocantis, etiamsi enim Lutherus rectè vocatus non fuisset, hoc tamen Ecclesijs Evangelicis non obstaret, qvo minus illæ Ministros suos legitimè vocare possent. Jus vocandi non depēdet ex Lutheri vocatione, sed ex potestate Ecclesiæ qvæ Ministros Evangelij rectè vocare posset, etiamsi Lutherus in rerum natura nunqvā fuisset. (4) *Successionem nostram* in *Luthero*, ait, *cessare*; Eodem modo Baalitæ potuissent argumentari contra Eliam, Judæi contra Johannem Baptistam, imò cōtra ipsos Apostolos, qvod successione caruerint, qvæ vocationi semper annexa est; scilicet successio loci vocationē nō confirmat, nā hæretici veris Doctoribus sæpe succedunt qvo ad locum, qvod factum in Ecclesiâ Ephesinâ Act. 20. v. 29. 30. hæreticis etiā & Idololatris veri Doctores qvo ad locum succedere possunt, ut post tempora Arrianorum olim factū est; localis igitur successio sæpe potest interrumpi vel hæresibus vel persecutionibus: doctrinæ successionem hic attendamus necesse est, hanc de Luthero jactamus, in medio enim Papatu Evangelium suos habuit Confessores, qvorum vestigijs Lutherus insistens Papatum masculè debellavit, & Ecclesiam ab erroribus Antichristi purgavit.

488] 2. Sudat Janssenius in demonstrando discri-

discrimine Episcopi & presbyteri præsupponens aliqvot hypotheses, qvas ordine examinabimus: (1) Ait, *in Ecclesiâ semper fuerunt veri Episcopi* Act. 20. v. 28. Respond: nomen Episcopi in Novo Testamēto tribuitur in genere omnibus illis, qvi docendi munere funguntur in Ecclesiâ, sic 1. Pet. 5. v. 2. Petrus adhortatur omnes Ecclesiæ Ministros ut pascant gregē commissum ἐπισκοποῦντες, qvo in sensu Ministros Ecclesiæ Ephesinæ etiā Episcopos vocat â Spiritu Sancto positos ad pascendam Dei Ecclesiam: ubi velim notari malitiam Janssenij, qvi citat hunc textum de Episcopis *regentibus* Ecclesiam, cum tamen fontes loqvantur de Episcopis *pascentibus* (ποιμαίνειν) ergo illi qvi gregem Dei pascūt hic intelliguntur, hoc est, Ecclesiæ Ministri in genere, non autem peculiaris ordo regentium, ut Janssenius somniat. (2) Inqvit, *illi sunt veri Episcopi, qvi per legitimam successionem ab Apostolis descenderunt*, Act. 6. & 14. respond: si vox Episcopi sumitur in genere pro qvovis Doctore qvi pascit gregem Christi, concedimus illos esse veros Episcopos qvi Apostolis successerunt, scilicet in doctrinâ, neq; potest esse verus Ecclesiæ Episcopus aut Pastor, qvi Apostolis in doctrina præcedente non seqvitur. Act. 6. non Episcopi vel Ecclesiæ inspectores, sed septem Diaconi sunt electi v. 3. 4. 5. qvi mensis ministrabant & Eleemosynas distribuebant. Act. 14. v. 21. 22. constituerunt Apostoli per singulas Ecclesias non Episcopos sed presbyteros, ut expresse in fōtibus pariter & in vulgatâ versione legitur; locus igitur allegatus nihil probat.

489] (3) Pergit; *semper fuit necessarium, ut ordinatio fieret â tribus Episcopis, qvi & ipsi essent ordinati, ut docet Canon. 1. Apost. &c.* Respond: probationem expecto ex Scripturis sacris, qvam Janssenius afferre neqvit, in hoc enim cardo totius controversiæ vertitur, an ex sacris & jure divino possit probari ordinationem necessariò â tribus Episcopis esse peragendam? confugit ergo ad probationem ex veteribus desumptam, qvæ nobis nullo modo satisfacere potest. Canones Apostolorum citat primâ fronte, sed isti Canones sunt suspecti & ab Apostolis non conscripti; tacet enim Lucas Evangelista de Historiâ hujus conscriptionis, nullo verbulo meminit conventus, in qvo sunt conscripti, cum tamen gravissima capita in ijs contineantur. Veteres, ut Augustinus, Athanasius, Ambrosius, Eusebius inter authentica scripta hos canones nnn retulerunt; *rejecti sunt ab authoritate Apostolicâ & Canonicâ & inter apocrypha deputati sunt*, inqvit *Isidorus* Episcopus Hispalensis in Jure Canonico distinct. 16. cap. 1. *Canones.* Ipsi Pontificij non servant illos canones, nec enim admittunt Episcoporum & Presbyterorum conjugia, qvæ tamen approbantur Canone 6. Numerus qvoq; illorum Canonum est incertus, qvidam enim 50. qvidam 85. alij 60 numerant. Ipse *Bellarminus* canones qvosdam habet suspectos, ut lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 27. canonem 65. vocat suppostititium, postremum canonem, qvi numerum librorum canonicorum continet, negat ab Apostolis constitutum esse, lib 1. de verbo Dei cap. 20. Multa qvoq; in ijs habentur, qvæ tempore Apostolo-

ſtolorum fuerunt ignota, ut de oblatione ſuper altare, de Paſchate celebrando ante æqvinoctium vernũ, de vaſarijs aureis & argenteis ſanctificatis, de epiſcopatuum diſtributione, de damnatione nuptiarum ſecundarum. Jmò contraria in illis docentur, dum qvidam Canones nuptias Sacerdotum admittunt, qvidam damnant. Ex his igitur canonibus Janſſenius certi nihil probabit. Veri canones Apoſtolorum habentur in Scriptis Novi Teſtamenti, ex illis probatio deſumenda fuiſſet. (4) Tranſit ergo ad Scripturas. 1 Tim. 4 v. 14. ait, *per vocem Presbyterij eſſe intelligendum cætum Epiſcoporum, qvi manus imponebant*; *probat hoc ex Theodoreto, Theophylacto & œcumenio*, ſed libros aut paginas Authorum non citat, probatio igitur eſt nugatoria, ex ipſis viſceribus totius contextus id probandum fuiſſet. Olim qvidem nomen Presbyteri fuit commune Presbyteris & Epiſcopis, qvod non negamus, ſed exinde non ſeqvitur, ergo per Presbyteros ji ſoli præcisè intelliguntur, qvi ſub Papatu dicti fuerunt Epiſcopi excluſis ijs, qvos idẽ Papatus Presbyteros nominare ſolet. Sic nomen animalis commune eſt homini & bruto, ſed inde non ſeqvitur, ergo ubi nomen animalis uſurpatur, de homine id ſemper intelligendũ. Monachi nomen commune eſt Dominicanis & Franciſcanis, ſed exinde non ſeqvitur, ergo, ubi monachorũ fit mentio, ibi intelliguntur Dominicani. Per Presbyterum in loco citato intelligitur totus cœtus Miniſtrorum, qvi manus in ordinatione imponebant, ut mox dicetur.

490] Ad principalem qvæſtionem tranſit: *Epi-*

ſcopi,

scopi, inqvit, *Presbyteris dignitate præstant*, addit rationem in margine p.339. *qvia soli Episcopi ordinant.* Nugas agis Monache; qvæstio est, *an soli Episcopi debeant ordinare?* affirmas, *qvia illi præstant Presbyteris*, probas hoc iterum cur præstent, *qvia soli ordinant*, ita qvæstio fit sui ipsius probatio; perinde ac si qvis argumentari vellet: Monachi sanctitate præstant, qvia soli jejunant, & hoc iterum probaret, qvod jejunent, qvia sanctitate præstant. Circularis & nugatoria hæc est probatio, id qvod in qvæstione est dubium, loco probationis usurpari non potest, aliàs idem per seipsum probaretur. *Aerium hæreticum nobis objicit, qvi nobiscum discrimen Presbyterorum & Episcoporum sustulerit*; sed Aerius iste totus fuit Arrianus, discrimen præterea planè nullum admittebat inter Episcopum & Presbyterum, etiam id qvod εὐταξίας & concordiæ causa erat inventum; cum itaq; ad confusionem & discordiam fovendam suam sententiam urgeret, rectè in ipso hoc improbatum fuit; at nos propter εὐταξίαν Ecclesiasticam gradus istos libenter admittimus, certo respectu habito, ut postea dicetur. *Patres aliqvot citat Janssenius ex Bellarmino*, sed nos non qværimus de Patrum consvetudine, verùm de Christi & Apostolorũ institutione; an jure divino realiter distingventur Episcopus & Presbyter, ita ut jus ordinandi competat soli Episcopo? hic dicta & exempla Scripturæ petimus atq; expectamus.

491] Nostra sententia est hæc: Episcopi & Presbyteri nõ sunt distincti officijs & expeditioni-

bus primarijs, ut sunt verbum Dei prædicare & Sacramenta administrare, qvæ utriq; sunt communia; expeditionibus autem secundarijs distingvuntur. Episcopi enim est primariam inspectionem Ecclesiæ habere, alios ordinare, causas matrimoniales decidere &c. Prebyteri autem est, ægrotos visitare, confitentes audire, â peccatis absolvere &c. hæc vero distinctio non est juris divini, sed tantùm humanæ ordinationis, neq; est differentia potestatis aut jurisdictionis, ut volunt Pontificij, sed tantùm ordinis. Probamus hoc (1) Paulus Eph. 4. v. 11. 1. Cor. 12. v. 28. distinctos Ministerij gradus recenset, sed Episcoporum mentionē nō facit Ergo ordo Episcoporū non est gradus jure divino institutus & â Presbyteris singulariter distinctus. (2) Nomina Episcoporū & Presbyterorū promiscuè usurpantur. Act. 20. v. 17. Paulus ad se vocabat Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ, qvos v. 28. vocabat *Episcopos*. Phil. 1 v. 1. Paulus salutat *Episcopos & Diaconos*, qvi erant Philippis; si verò Episcopi fuissent distincti â Presbyteris, utiq; Presbyteros non omisisset. 1. Tim. 3. v. 1. seq. Paulus recenset *virtutes Episcopi*, at illæ virtutes reqviruntur in qvovis Presbytero & Ecclesiæ Ministro, qvod si Episcopi â Presbyteris fuissent distincti, seqveretur qvod tantùm in Episcopis, non autem in Presbyteris has virtutes reqvisivisset. Sic Tit. 1. v. 5. jubet Paulus *ut oppidatim constituantur Presbyteri*, v. 6. & 7. autem illos ipsos vocat *Episcopos*. Sic 1 Pet. 5. v. 1. Petrus Episcopus se vocat συμπρεσβύτερον, & qvos v. 1. *Presbyteros* vocarat, illos v. 2. *Episcopos*

pos appellat. Ita Johannes Epist. 2. v. 1. & Epist. 3. v. 1. se vocat Presbyterum, qvi etiam Episcopus fuit. Imo Paulus se *Presbyterum* vocat, ut patet ex collatione locorum, 1. Tim. 4 v. 14. & 2. Tim. 1. v. 6. (3) Patres qvoq; nobiscum eadem docuerunt: *Hieronymus* in cap. 1. ad Titum, & *Augustinus* in qvæstion. Veteris & Novi Testament. qvæst. 101. scribit: *Presbyterum autem intelligi Episcopum, probat Paulus Apostolus, qvando Timotheum, qvem ordinavit Presbyterum, instruit qvalem debeat creare Episcopum. Qvid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos?* (4) Ex ipsis adversarijs hoc qvidam concedunt, *ut Cassander* Consult. Art. 14. *Convenit inter nos omnes olim Apostolorum ætate, inter Episcopos & Presbyteros discrimen nullum fuisse, sed postmodum ordinis servandi, & schismatis evitandi causa, Episcopum Presbyteris fuisse præpositum, cui soli Chirotonia, id est, ordinandi potestas servata sit, Erasmus* in 1. Tim. 4. & alij.

492] Cum itaq; firmiter sit evictum, qvod Episcopi jure divino nullam habeant potestatem jurisdictionis præ cæteris Ministris & Presbyteris, seqvitur, nec potestatem ordinationis ad solos Episcopos pertinere. Humanam institutionem hanc esse scimus, ordinis gratia eam qvoq; servamus, dum Ministros vocatos per Superintendentes & Antistites primarios ordinamus, sed absq; superstitione, qvasi ad solos Antistites hoc jus pertineat, cum in defectu illorum ordinatio per alium Ecclesiæ Ministrum peragi possit. Imò Pontificij ipsi hanc Patrum constitutionem non servant, *Chrysostomus* enim hom. 11. in 1. ad Tim.

Episcopos solâ ordinatione presbyteris superiores esse, scribit; at Pontificij Episcopis insuper tribuunt baptizatorum confirmationem, templorum & Altarium consecrationem, qvæ Presbyteris non liceant, ut apparet ex *Bellarm.* lib. 1. de Cler. cap. 14. Dum itaq; ipsi sanctiones Patrum non servant, cur nos simile qvid facientes accusant & objurgant.

493] Manet itaq; conclusio Principalis; *Ergo Ministri Lutherani, licet non ab Episcopis Romanis, sed ab alijs Presbyteris nostrarum Ecclesiarum ordinentur, sunt legitimè ordinati.* Stant etiam invicta argumenta in Admonitione adducta, ad qvæ Monachus nihil respondet, scilicet (1) producenda esse dicta scripturæ de ordinandi potestate solùm Episcopis competente. (2) Paulum ab Ananiâ rectè fuisse ordinatum Act. 9. v. 17. licet Ananias Episcopus non fuerit. (3) Paulum non fuisse Episcopū Romano ritu consecratum, imò nec Romanū (is enim Pontificijs asserentibus Petrus erat) nihilominus alios potuit ordinare, 2 Tim. 1. v. 6. (4) Toti Presbyterio seu Ministerio datam esse ordinandi potestatem 1 Tim. 4. v. 14. (5) Ordinationem esse actum totius Ecclesiæ per Episcopum vel Presbyterum declarantis legitimam vocationem ordinandi, eumq; precibus consecrantis. (6) Ordinationem non esse simpliciter necessariam, eamq; in casu necessitatis posse omitti, non autem vocationem: Janssenius tacet ad hæc omnia, ergò consentire videtur. Unicum qvasi reponit, *vocationem scilicet tantùm ad prædicationem, sed ordinationem ad Sacramentorum administrationem*

esse

esse necessariam; ita ait, sed non probat nec dictis Scripturæ, nec probatis exemplis, nec legitimis conseqventijs. Eâdem ergo facilitate negatur, qvà â Janssenio affirmatur. Colophonis loco addo, qvod Pontificij ipsi tacitè concedant, nostros Ministros legitimè esse ordinatos, dum enim nostrates ad Papismum transeuntes non rebaptizant, eo ipso concedunt, ipsos rectè esse baptizatos, adeoq; nostros Ecclesiæ Ministros Sacramenta rectè administrare posse.

Caput Vigesimum primum.

De Legendis Sanctorum.

494] DUplices sunt Sancti, qvidam donominantur ita â Christo Sanctorũ omnium sanctissimo, de cujus Sanctitate & justitiâ pij participant per fidem, qvidam verò â Pontifice Romano in Canonem Sanctorum referuntur & Calendario inscribuntur. Hinc Legenda Sanctorũ sunt duplicia, qvædã recensent vitam, doctrinã, miracula & mortẽ verè Sanctorũ, ut sunt historiæ Prophetarũ & Apostolorũ ac virorum Apostolicorũ, qvædã verò describunt vitam & miracula Sanctorũ â Pontifice canonizatorum: de sanctis hisce nobis qvæstio est, qvid de illorũ sanctitate & Legendis sit statuendũ.

495] Canonizatio istorum Sanctorum facta â Pontificè â nobis prorsus reijcitur certis de causis. (1) Caret exemplis probatis & mandatis Scripturæ. (2) Ignota fuit Ecclesiæ primitivæ, primus enim qvi Sanctos canonizavit fuit Leo III.

teste *Bellarmino* lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 8. sed Leo iste vixit tempore Caroli Magni circa annũ Christi 800. ut Annales testantur. (3) Canonizatio Sanctorum competit soli Christo, tanqvam summo Ecclesiæ Pontifici, is Sanctos canonizat ad vitam æternam *eligendo* Eph. 1. v. 4. *ad Ecclesiam vocando* 2. Tim. 1. v. 9. *eos regenerando & renovando* Tit. 3. v. 5. *& tandem glorificando* Rom. 8. v. 30. (4) Qvia Pontifex potest decipi simulatâ & hypocriticâ qvorundam sanctitate, Deus enim solus est *καρδιογνώστης* 1. Sam. 16. v. 7. *novit qvi sint sui*, 2. Tim. 2. v. 19. incerta igitur est hæc Canonizatio. (5) Qvia multi sancti & sanctæ sunt Canonizatæ de qvibus certò nõ constat, an in rerũ naturâ fuerint; sic de longo Christophoro, de Georgio, Catharina de Longino qvidã Pontificij dubitant, an in rerũ naturâ fuerint. Sic passim celebrantur in Papatu *Leontinus, Vindemialis, Hiventius, Ingenuinus, Scholastica, Scwunilia, Aspasianona, Sigillinda, Legenia, Qvirilla, Fenegaria, Gardiagia, Paduntia, Petralia, Sutrapia, Potentiana, Cacukilla, Jobilia, Santula, Fialaria, Pallucia, Govilla, Babilia, Adalecta, Symphorosa, Gregoria, Leilina, Wendelina, Bobilia, Fides, Symphoriosa, Rosa, Candida, Pelargia, Misericordia, Lucina, Balbina, Verena, Aoliana, Emerica, Cœpina, Valentiana, justa, Felicitas, Regina, Pia, Perpetua, Felicia, Fidentia, Eugenia, Agatha, Apollonia, Ottilia, Tamula, Crescentia, Pipigaria, Pinosa, Gemmaria, Amandus, Albinus, Levinus, Briccius, Abundus, Fridelinus, Wipertus, Sebaldus, Servatius, Magnus, Venerius, Gonius, Frimus, Remachus, Visalis,*

Verru-

Verruvius, Florentius, Menbardus, Linus, Leo, Cesperius, Symphorianus, de qvibus certi nihil habetur, an unqvam in rerum naturâ fuerint. (6) Qvia canonizatio ista nititur falsis hypothesibus, scilicet Sanctorum religiosa invocatione & reliqviarum veneratione, de qvibus Lib. 2. agetur. (7) Qvia multi Pontifices nefandis sceleribus fuêre polluti, ut supra n. 319. est demonstratum, qvomodo autem illi Sanctos canonizare possunt? (8) Qvia scelestissimos nebulones canonizant, ut Jacobum Clementem, qvi Regem Galliæ interfecit. (9) Qvia sine ratione qvosdam tantùm & non omnes Sanctos canonizant, adultos in numerum Sanctorum referunt & infantes baptizatos prætereunt, de qvorum tamen salute & Sanctitate non est dubitandum. Perqvam verò ridiculum est, qvod ista canonizatio inscriptione nominum in calendario declaratur & qvasi perficitur. Hac ratione Typographi & Calendariographi qvotannis aliqvot Sanctos creare possent; *Gaudete* inqvit Christus, *qvod nomina vestra inscripta sint* (non in Calendario) sed *in cœlo* Luc. 10. v. 20. Qvales autem sunt Sancti, tales etiam sunt Sanctorum legendæ, qvas Lutherani pro fabulosis & fictitijs meritò habent, certis de causis.

496] 1. Tractantur in ijs fabulæ aniles, ridiculæ, stultissimæ & plusqvam Æsopicæ. Non repetam hic ex magnis illis Lombardi Legendis nugas plurimorum Sanctorum, sed tantùm assumam *Legenda Francisci* edita ab Heinrico Sedulio & Antverpiæ An. 1597. latinè excusa, cum commendatione trium Pontificū Leonis X, Alexandri IV.

Gregorij IX. in illis Lector inveniet seqventia de Francisco; tota die in medio mendicorum sedebat, p. 6. coram hominibus ex nimiâ sanctitate sæpius sese denudabat p. 9. in summo frigore nudum sese immersit nivi, niveosq; globos sibi fecit, de qvibus subinde dixit; Ecce Francisce, hi sunt tua Uxor, tui liberi p. 33. corpus suum vocabat Frater Asine p. 34. studio semper lacrumabatur, ut oculos haberet eò pejores p. 36. In morbo jussit, ut fratres ipsum nudum ad locum supplicij fune traherent, qvo in loco nudus etiam prædicavit p. 40. agnos vocavit suos fratres p. 40. Ovem deduxit ad altare, & ut flexis genibus Sacramentũ adoraret, edocuit, p. 61. aves & pisces noluerunt ab ipso volare, priusqvã ipsis benediceret p. 63. aves & cycadæ audivêre ipsum concionantẽ p. 63. cogitationes hominũ & tentationes conscientiæ poterat revelare p. 82. 85. anima ipsius instar alicujus stellæ ad cœlos volavit p. 111. alaudæ cantu testati sunt de sanctitate Francisci post mortẽ ipsius p. 112. cum Pictor in imagine Francisci vulnera manuũ & pedũ nõ expressisset, vulnera ista per miraculum suâ sponte imagini sese impresserunt, ac si â pictore expressa essent p. 120. post mortẽ Francisc9 factus est bubulc9 p. 156. steriles fecit parturientes p 142. & vetulæ cuidã ubera flaccescẽtia lacte dulcissimo replevit, ut infantẽ nutrire posset p. 157. Vides, Lector, nugas aniles & fabulas æsopicas de sãctitate Francisci â tribus Põtificibus commẽdatas.

497] 2. Impia & blasphema in istis Legendis inveniuntur: noster Janssenius in Legendis Dominici lib. 2. cap. 14 recenset, qvod Deus Pater virgini cuidam

cuidam apparuerit& in visione ipsi monstraverit, qvod Filium suum Jesum Christum ex ore tantùm, Sanctum Dominicum verò ex corde suo gigneret & produceret. Os impium & blasphemum? ergone generatio Dominici erit præferenda generationi Filii Dei; ergo Dominicus Deo Patri in tantum erit charior Christo, in qvantũ cor præstat ore; ergone generatio Dominici mysteriũ erit tantò sublimius generatione filij Dei, qvantò cor est nobilius ore. Ejusmodi blasphemia legitur lib. 2. cap. 6. qvod Dominicus singulis noctibus ter sese flagellarit & sangvinem suũ largiter effuderit, ut non tantùm sua, sed etiam aliorum peccata expiaret. Impiè & blasphemè hæc dicuntur in ignominiam Salvatoris Christi, *qvi* (non Dominici, sed) *suo proprio sangvine Ecclesiam acqvisivit* Act. 20. v. 28. *cujus* (non Dominici) *sangvis nos emundat ab omnibus peccatis*, 1 Joh. 1. v. 7. *redempti estis*, inqvit Petrus *pretioso sangvine* (non Dominici sed) *Christi*, 1. Pet. 1. v. 18. 19. *non est in alio qvoqvam salus* (adeoq; nec in Dominico, aut ejus sangvine) *nec aliud nomen datum hominibus, in qvo salvari possimus nisi in nomine Jesu* Act. 4. v. 12. Talis impietas est, asserere, Dominicum plura miracula fecisse, qvã Christum omnesq; Apostolos, qvod Janssenius ait, *me finxisse*, legitur autem in *Antonino* part. 3. Tit. 23. c. 1. ubi Antoninus docet, *qvod Dominicus plures mortuuos excitaverit qvam Christus*, *qvod potestas cœlestium, terrestriũ & infernorum sit ipsi communicata*, *qvod facilius per Dominicum eatur ad Christum, qvam per Paulum*. Evolvatur illa Legenda & apparebit, qvod Dominicus Christo non

tan-

tantùm æqviparetur, sed etiam in miraculis, paupertate & disciplinâ spontaneâ ipsi præponatur. Similiter blasphemum est, qvod habetur in *libro Conformitatum Francisci* Bononiæ impresso anno 1589. qvod scilicet *Franciscus plus sit qvàm Johannes Baptista* f. 24. *qvod fuerit melior Apostolis* f. 39. *qvod datus sit in lucem gentium* f. 17. *qvod omnes virtutes Sanctorum Veteris & Novi Testamenti in Francisco positæ fuerint unitivè & conjunctim* f. 5. *qvod Passio Christi per Franciscum sit renovata in genere humano* f. 144. Sic Liber Conformitatum Francisci anno 1510. excusus, expresse ait, *qvod omnes homines salventur, qvi moriantur in ordine & in regulâ D. Francisci* p. 78. ubi etiam legitur, *qvod induitio cucullæ det homini plenariam peccatorum remissionem â culpâ & pœnâ*,

498 3. Scandalosa & scurrilia multa in istis Legendis inveniuntur. *Vincentius* lib. 25. cap. 15. recenset, qvod Maria Fulkertum Carnotensem coram visitaverit & lacte suo recreaverit. *Stellarium Coronæ* B. Virginis lib. 12. cap. 3. enarrat historiam, qvod Maria cuidam Abbatissæ prægnanti binos Angelos miserit, qvi infantem per fornicationem conceptũ ab illa susceperint. *Surius* Tom. 4. f. 341. recenset, Mariam sub pallio suo multos Monachos Dominicanos occultasse. Sic in *Legendâ Lombardicâ* mira leguntur de qvibusdam fœminis, qvæ vestitu virili usi sunt, talis fuit sancta *Mariana*, qvæ in Monasterio vocabatur *Frater Marinus*, talis fuit *Delagia* meretrix Antiochena, qvæ vocabatur *Frater Delagius*, item sancta *Margaretha*, qvæ cuidam adolescenti fidem matrimonialem

lem promiserat, mediâ autem nocte clam aufugiebat habitu virili; qvas fabulas scurriles & scandalosas saniores Pontificij detestantur.

499] 4. Legenda ista ab ipsis Pontificijs accusantur, tanqvam dubia & incerta; *Cassander* in Consult. art. 21. p. 142. scribit: *in historijs Sanctorum qvosdam commemorari, qvi an unqvam fuerint, meritò dubitetur. Melchior Canus* in Loc. Theol. lib. 11. cap. 6 p. 533 scribit: *Qvidam eorum, aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia, usq; adeò à mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortaßè sit, historicos gentium qvosdam veraciores fuisse, qvam nostros. Dolenter hoc dico potius, qvam contumeliosè, multò à Laertio severius vitas Philosophorum scriptas, qvam a Christianis vitas Sanctorum: longèq; incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, qvam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis verò etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerią; vel affectibus inserviunt, vel de industria qvoq; ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solùm pudeat, sed etiam tædeat.* Janssenius ipse p. 94. fatetur, *qvod Ecclesia Romana qvasdam Sanctorum, inprimis Francisci Legendas habeat pro Apocryphis. Bellarm* lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 20. qvoq; fatetur, *qvorundam Sanctorum historias esse apocryphas & incertas.* De Catharina Senensi diu Monachi docuerunt, qvod Christus vulnera sua ipsi etiam impresserit, teste *Granatensi* Can. 3. Art. 1. Ipse Pontifex Sixtus IV. Publico man-

mandato huic figmento contradixit & pro hæreticis declaravit omnes illos, qvi vel de Catharina vel de aliis Sanctis præter Franciscum hoc doceret, teste *Sedulio* de vitâ Francisci p. 368.

500] Beatus *Lutherus* suam de Sanctis hisce & illorum Legendis expressit sententiam Tom. 8. Jenen. Germ. fol. 39. in præfatione super Alcoranum Franciscanorum, qvando scribit: *Cum hanc Sancti Francisci Legendam legerem, ut & S. Benedicti, non leviter offendebar, qvod sancti Patres carni adhuc tam profundè fuerint immersi, ut qvod Franciscus â muliebri sexu tentatus pilas ex nive faciebat, qvas conjugem liberosq; suos appellabat dicens: Mi Francisce, ecce tuam Conjugem liberosq;, qvi alendi tibi sunt & sic â desideriis & ustionibus tuis liberaberis. S. Benedictus verò libidinibus suis ita medebatur, qvod nudus inter spinas jacebat, cutemq; suam ad sangvinem usq; lacerabat. Putabam ego tam Sanctos Viros juveniles hujusmodi ardores & carnales tentationes nō sentire debere, sed tacendū & credendū mihi erat. Jā verò postqvā libertas judicandi de Sanctis illis nobis restituta, suaderem, S. Franciscum non niveas illas pilas conjugem liberosq; suos nominasse, sed in conjugio vixisse, cum adolescens Patris sui Adami morbo obnoxium & obstrictum sese sentiens, ut & nivem in auxilium, qvamvis frustra vocaret. Sic S. Benedictus melius fecisset, si se spinis & urticis conjugii involvisset, qvæ res & ipsorum privatum & publicum multorum aliorum damnum avertisset, nam ad regimen Ecclesiasticum sive Politicum, tanqvam homines indocti & inexperti prorsus erant inepti. Sed ita pu-*

erili-

erilibus stolidisq; suis nugis mundū repleverunt, Christum ejusq; regnum obscurarunt. Si salvati sunt (ut spero, Deus enim dives est in misericordia) nobis profectò non est desperandum.

501] Miror autem discursum Janssenij p. 352. scribentis, *in sacris literis majora esse, qvam qvæ Dominicus aut alij Sancti fecerint, & nisi visiones Ezechielis, jejuniū & currus igneus Eliæ ac miracula Elisæi in Scripturis legerentur, nos hæc omnia pro fabulis habituros.* Resp: in Scripturis loqvitur Spiritus Sanctus, qvi mentiri nescit: in Legendis Sanctorum loqvuntur Monachi stolidi & inepti, qvi multa effinxerunt, ut ipse Janssenius, alijq; modò citati authores id libentissimè fatentur. In Scripturis ne unicum deprehendimus miraculum fictum, aliàs cætera omnia fierent suspecta, in Legendis autem plurima figmenta deprehenduntur. Scripturæ sunt Canon fidei & vitæ, Legenda Sanctorum minus; Scripturæ habent interna indicia & testimonia αὐθεντίας, Legendæ autem κριτήρια habent plurima stoliditatis & ineptiarum. qvid ergo miraris Monache, qvod nos plus Scripturæ, qvam Legendis Monachorum tribuamus? Miracula commendat pag. 353. *ad intercessionem Dominici nuper facta in qvodam pago Calabriæ, ubi mortuus est resuscitatus*: ô nugatorem! in Calabria tantùm fiunt ista miracula, cur non in Germaniâ, cur non Hamburgi? unde præterea certi sumus ea facta esse ad intercessionem Dominici, num in Sacris extat aliqva promissio de miraculis ad Domi-

nici

nici intercessionem futuris? aut num de cœlo revelatum est Monachis hæc fieri ad intercessionem Dominici? aut qvalis conseqventia, miraculum fit in Calabriâ, ergo fit ad intercessionem Dominici? *Testimonio*, ait, *Magistratus id confirmatur*; at Magistratus etiam potest decipi, ut supra n. 471. probatum est. Resuscitatio Lazari â Christo facta, non opus habebat Magistratus testimonio, sed miracula ista fiebant in conspectu omnium, non in Calabriâ aut alijs locis remotissimis, sed in medio illorum, qvos Christus convertebat, vel jam conversos confirmabat.

502] Disputationes Hermanno Hugoni â beato Meisnero oppositas vocat *inanes & verbosas* p. 345. & tamen seqventi lineâ ait, *qvod illas Disputationes nondum viderit.* Habetis, ô Dominicani, egregium Ordinis vestri propugnatorem, qvi judicat de ijs Disputationibus, qvas nondum vidit, ita concludo: qvi judicat non visa nec lecta, is judicat velut cœcus de colore; atqvi Janssenius judicat de Disputationibus non visis nec lectis, ergo judicat ut cœcus de colore. Qvid differt ergò judicium Monachi istius â judicio alicujus bruti?

503] Vertumnum Lutheranum, den Lutherischen Wetterhan beatus *Heerbrandus* refutavit, ut supra n. 433. dictum est. Janssenius duram Lutheri Phrasin citat; *qvam parum in mea potestate est ut Vir non sim, tam parum etiam in mea potestate situm est, ut absq; muliere sim.* Ac rursum, *qvàm parum etiam in tua potestate est, ut mulier non sis, tam parum etiam in tua potestate est, ut absq; viro sis. Qvia hæc res non est arbitraria, seu consilij, sed res necessaria ac natu-*

naturalis, ut omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum &c. Estqvè hoc plus qvam præceptum, magisq; necessarium, qvàm comedere & bibere, purgare & expuere, dormire & vigilare. Respond: Lutherus de Conjugij necessitate semper loqvitur cum distinctione; qvidam enim habent donum castè vivendi extra conjugium, de qvibus docet, qvod benè faciant, si â conjugio abstineant, Tom. 2. Jen. Germ. fol. 90. Qvidam verò donum continentiæ non habent, hisce conjugium non tantùm est permittendum, sed tales etiam ad conjugium sunt trahendi & cogendi, & de his Lutherus rectè ait, qvod in conjugio vivere illis magis sit præceptũ magisq; necessarium, qvàm comedere & bibere, purgare & exspuere, dormire & vigilare. Rationes Lutherus addit (1) Qvia corpus humanum â Deo ad opera conjugalia est creatum, qvibus nisi homo utatur, in mollitiem, 1. Cor. 6. v. 9. & alia peccata facilè prolabitur. Tom. 2. Jenen. Germ. f. 126. (2) Qvia divina ordinatio hoc reqvirit, *Deus enim creavit masculum & fœminam, illisq; benedixit, dicens: crescite & multiplicamini ac replete terram.* Gen. 1. v. 28. (3) Qvia obstat periculum fornicationis, ob qvam evitandam Paulus jubet, *ut qvilibet Vir suam habet Uxorem, & qvælibet Uxor suum habeat maritum, si non possunt continere, nubant, melius est nubere, qvàm uri* 1. Cor. 7. v. 2. 9. (4) Qvia in hypocrisin incidunt illi, qvi castitatem simulant extra conjugium sub sanctitatis specie. Paulus enim vocat *doctrinam dæmoniacam probibere conjugium* 1. Tim. 4. v. 1. seqq. Judicet nunc Universa Ecclesia an Lutherus aliqvid docuerit hisce ver-

bis, qvod vel sacris literis, vel Christianæ honestati repugnet. Imò sicut edere & bibere est necessarium, ut conservetur individuum, ita in Conjugio vivere est necessarium, ut conservetur species. Deus eqvidem miraculosè hominem sine cibo & potu conservare, ac homines ex lapidibus creare posset, sed non semper agit per miracula, verùm utitur communi naturæ cursu â sese in creatione ordinato.

504] Tandem obijcit, *qvod nullo exemplo Pontificios sinistræ vel adulterinæ explicationis in scriptis Lutheri reos possim convincere.* Sed respond: ex multis unum adduco exemplum: omnes ferè Pontificij, qvi contra personam Lutheri scribunt in ore habent, Lutherum dixisse, *si non vult uxor, veniat ancilla*, qvod obijcunt *Ederus* in Inqvisit. fol. 57. *Bozius* de signis Eccles. lib. 7. cap. 6. p. 535. lib. 11. cap. 7. p. 896, lib. 12. cap. 1. p. 925. *Jacobus Hack contra Tossanum* qvæst. 2. cap. 23 p. 365. *Motivæ Badenses* Rat. 3. p. 123. *Conrad Vetterus* im keuschen Luther p. 247. *Pistorius in Anatomiâ Lutheri* p. 60. & multi alij. Si autem homo ingenuus & candidus evolvat Lutherum Tom. 2. Jen. Germ. fol. 152. deprehendet ipsum ita scribentem: Wenn sich eines dem andern selbst beraubet vnd entzeucht/daß es die eheliche Pflicht nicht zahlen/noch bey jhm seyn will/ als man wol findet so ein halßtarrig Weib/das seinen Kopff auffsetzt/ vnd solte der Mann zehenmahl in Vnkeuschheit fallen/ so fraget sie nicht darnach. Hier ist zeit daß der Mann sa-

ge/

ge/wiltu nicht so wil ein andere/ will die Fraw nicht so komme die Magd/so doch das der Mann zuvor zwey oder dreymahl sage / vnd warne sie / vnnd laß es für andere Leute kommen / daß man öffentlich ihre Halstarrigkeit wisse / vnnd für der Gemeine-straffe : will sie denn nicht/so laß sie von dir vnd/laß dir eine Esther geben/vnd die vorthin fahren/wie der König Ahasverus thete. Patet ex hisce verbis mentem Lutheri â Pontificijs calumniosè perverti, concludentibus, qvod adulterium & ancillarum concubitũ maritis permiserit, Lutherus ponit casum, si (1) Uxor marito deneget debitum conjugale (2) & qvidem pertinaciter (3) ut sit periculum ne maritus in scortationem incidat, in hoc casu dat consilium (1) ut maritus uxori refractariæ indicet, se illam repudiaturum, nisi fecerit officium. (2) ut repetat istam admonitionem (3) ut si admonendo nihil evincat, ad alios causam devolvat, ut ipsius pertinacia publicè innotescat. (4) Si non audierit Ecclesiam, sed in pertinaciâ pergat, maritus eam dimittat, cum ea, qvæ uxoris sunt, facere renuat. (5) Aliam sibi faciat copulari, sicut Ahasverus Vasthi dimisit, & Estheram sibi junxit. Hanc & non aliam mentem Lutheri fuisse totus monstrat contextus modò citatus, qvem tamen Pontificij calumniosè in tot scriptis adulterant. Plura exempla sinistræ expositionis vide in meo *Luthero Defenso*.

Caput Vigesimum secundum.

De Salute Majorum in Papatu.

505] COmmunis Pontificiorum Objectio est de salute Majorum, *si fides Lutherana,* dicunt, *est vera fides, seqvitur omnes majores olim in Papatu ante Lutherum fuisse damnatos, qvi hac fide caruere, cum verò conseqvens sit absurdum & impium, ergo & antecedens nō erit admittendum.* Respondi ego in meâ Admonitione (1) Qvod justus suâ fide vivat Habac. 2. v. 4. ergo fides aliena nihil ad nos pertinet, non enim alienâ sed propriâ fide qvilibet salvatur. (2) Qvod Judæi olim Christo hoc ipsum potuissent obijcere; doctrinam Christi, ut novam, reijciebant Mar. 1. v. 27. & antiqvitatem Patrum jactabant Matth. 15 v. 2. qvicqvid ergò Christus Judæis respondisset, id & nos Pontificijs respondemus. (3) Qvod ante tempora Lutheri Lutherani eqvidem non fuerint ratione nominis, interim non seqvi, ergo nec ratione fidei & dogmatis, sicut Act. 11. v. 26. fideles primò dicebantur Christiani, interim non potest negari, ante hanc novam denominationē plurimos Christianos fuisse. (4) Licet nos neminem possemus nominare, qvi ante Lutherum salvatus fuerit, non tamen seqvi, neminem salvatum fuisse; tempore vituli aurei Ex. 32. v. 3. 4. seq. & cultus Baalitici 1. Reg. 18. v. 26. imò sub decem persecutionibus veri Judæi & Christiani non poterant digito monstrari, interim tamen Deo erāt notissimi, ita & olim in Papatu factum, novit enim

Domi-

Dominus qvi sint sui, 2. Tim. 2. v. 19. (5) Imò qvosdam mõstrari posse, qvi sine dubio salvati fuerint infantes post baptismum mortuos, qvosdam adultos, qvi in agone dogmata Papalia rejecerint & soli Christo adhæserint, exemplo Ducis Georgij, Ecclesios Waldenses & Græcas, ut patet ex Catalogo Testium veritatis, qvosdam Imperatores & Principes, qvi Pontifici contradixerint, ut Henricus IV Fridericus II. Ludovicus IV. Otto VI. Philippus Rex Galliæ, Johannes & Edovardus III. Reges Angliæ, & plures alij. Doctores & Confessores ut Savanorola, Hussus, Hieronymus Pragensis & alij; occulti itidem Christiani, qvi sub jugo Papatus gemuerunt, qvorum magnum fuisse numerum, circumstantiæ omnes indicarunt, qvâ de re Lutherus agit in Explicat: cap. 12. Danielis. Janssenius ad hæc omnia prolixè excipit â p. 358. usq; p. 369. singula examinabimus.

506] Et primò qvidem præmittit discursum de conversione Majorum, qvi seculo nono & decimo, Gentilismo rejecto ad fidem Christianam transiêre; de illis constanter asseverat, *qvod ad fidem Romano Catholicam conversi fuerint, qvam hodie Pontificij profitentur & credunt: provocat ad historias, antiqvos Doctores, ad templorum & Monasteriorum ædificationes, altarium erectiones & sacrorum cultum*, hinc concludit: *Majores nostri in Daniâ, Vandalia & Saxonia aut conversi fuêre ad fidem Idololatricam, aut ad veram Catholicam, si ad illam, seqvitur omnes fuisse damnatos cum posteris, si ad hãc, seqvitur eos salvatos fuisse, adeoq; eandẽ fidẽ nobis Lu-*

theranis qvoq; amplectendam esse. Errat autem Monachus iste vehementer.

507] Qvænam fuerit illa fides ad qvam Majores nostri tempore Caroli Magni fuere conversi, optimè docetur *in libro Synodico de imaginibus*, qvi & *Capitulare Francofurtense* dicitur. Etenim anno Christi 794 Carolus Magnus indixit Synodum Francofurti instituendam, & ab Episcopis Galliæ, Italiæ & Germaniæ celebrandam: habita fuit ista Synodus præside Carolo Imperatore ab Episcopis trecentis aut circiter, qvi librum Capitularem proprijs manibus subscripserunt & confirmarunt. Dictus autem fuit iste liber *Capitulare* à capitibus qvamplurimis, qvibus decreta istius Synodi comprehensa fuêre, & recensetur in Tomo tertio Conciliorum. Seorsim verò excusus habetur sub Titulo: *Imperialia Decreta de cultu imaginum in utroqve Imperio tam Orientis qvam occidentis promulgata, nunc primum collecta, recensita & notis illustrata à Melchiore Haiminsfeldio Goldasto, &c. Francofurti, Typis Matthiæ Beckeri; impensis verò viduæ Theodori de Bry, & duorum ejus filiorum Anno* 1608. Librum hunc Pontificij eqvidem arrodunt & suspectum reddere conantur, ut patet ex *Bellarm.* lib. 2. de Concil. author. cap. 8. & lib. 2. de Imag. cap. 14. 15. *Goldastus* tamen in præfatione illius libri producit testimonia benè multa veterum Scriptorum de authoritate & veritate istius capitularis, ex qvibus liqvet, qvod Concilium illud à Carolo Magno convocatum, ipsius præsidio celebratum, & jussu tandem Caroli literis fuerit consignatum. Huic

Huic libello rectê adiungimus Constitutiones Caroli Magni & Ludovici Pij ab *Ansegiso & Benedicto Levitâ* collectæ, qvas Lector inveniet in codice *legum antiqvarum â Friderico Lindenbrogio JCulto edito, & Francofurti apud Johannem & Andream Mornias Anno 1613. impresso.* Ex hisce libris facilimè eruitur, qvænam fuerit illa fides & Religio, ad qvam tempore Caroli Magni Majores nostri conversi fuêre.

508] Ad scripturam sacram Doctores Ecclesiastici remittuntur, ut ex ijs fidem & doctrinam Christianam proponant lib. 1. Constitut. cap. 82. fol. 843. seq traditiones & scripta Apocrypha reijciuntur â testimonio fidei lib. 4. de Imagin. cap. 10. & Patres cautè legendos, Spiritusq; probandos esse, an ex Deo sint, docetur lib. 2. de Imag. cap. 13. De justificatione hominis coram Deo ita docetur, qvod præceptis legalibus sine Evangelicis supereminEat Misericordia Mediatoris, per qvam non ex operibus legis, qvæ nos fecimus neq; volentes, neqve currentes, sed ejus miseratione salvemur lib. 1. de Imag. cap. 15. Eodem capite legitur expressè, nos salvari miseratione Dei, non ex operibus, qvæ nos fecimus. Cap. 16. illius libri habetur, qvod fide cordis & confessione oris ad salutem perveniamus. De Cœna Domini facit mentionem panis & vini, duorum Symbolorum, item distinctæ sumptionis, manducationis & bibitionis lib. 2. de Imag. cap. 27. ex Paulo 1. Cor. 11. Lib. 5. Constitut. cap. 93. p. 942. prohibet Missas privatas, nullus presbyter, inqvit, ut nobis videtur, solus

Missam cantare rectè valet, qvomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda, cum nemo cum eo sit. De religiosâ adoratione docetur, qvod nihil præter Deum sit adorandum, lib 2. de Imag. cap. 5. humanam tamen Christi naturam, unâ λατρεία statuunt esse adorandam cum divinâ, testimonijsq; Augustini & Ambrosij confirmant, d. l. Sanctis cultum religiosum prorsus denegant lib 1. de Imag. cap 9. & exemplo Angeli in Apocalypsi, ac Pauli in Actis, qvi cultum adorationis detrectarunt, confirmant, venerationem tamen sine adoratione sanctis tribuunt, lib. 4. cap. 23. Imagines habere, dicunt esse adiaphoron lib. 4. cap 20 negant verò esse religiosè venerandas, & ad hodiernas Jesuitarum objectiones respondent lib. 1 cap. 15. & cap. 18. Clerici vivebant in Conjugio, Carolus enim Lib 7. Capit. cap. 93. p. 1062. legem tulit de Sacerdotibus, qvi plures Uxores habuerunt, Sacerdotio privandis, eâ de causâ, qvod deteriores sint reliqvis Christianis, dum ergo plures uxores habere fuit prohibitum, apparet, qvod unam uxorem habere ipsis fuerit concessum. *Aventinus* lib 5. annal. p. 346. qvoqve testatur, qvod Sacerdotes eo tempore publicè uxores suas habuerint & filios procrearint, sicut cæteri Christiani. Magistratus convocabat Concilia exemplo Caroli Magni, qvi Francofurtense & alia plura convocavit, illis præsidebat, imò decreta confirmabat, non negante *Bellarm.* lib. 1. de Clericis cap. 30.

509] Apparet ex hisce omnibus qvod Majores nostri tempore Caroli Magni sint conversi ad religio-

ligionem longè aliam, qvàm hodiè Papatus jactitat, *de Scripturâ, de Traditionibus, de Patribus, de justificatione per fidem, de bonis operibus, de cœnâ Domini sub utrâq; specie, de adoratione Dei & Christi secundum humanam naturam, de Invocatione Sanctorum, de cultu imaginum, de Conjugio clericorum, de potestate Magistratus, alÿsq;* plurimis, Cum verò mysterium iniqvitatis paulisper creverit de seculo in seculum, donec Antichristus Ecclesiam traditionibus suis impleverit, qværitur *qvid sperandum sit de salute illorum, qvi in mediÿs Papatus tenebris vixêre & obiêre?*

510] Hic respondetur cum distinctione errorum & errantium. Errores qvidam directè fuerunt contra fundamentum fidei, qvidam autem circa fundamentum. Contra fundamentum fidei errores sunt de Christi personâ & officio, de gratiâ Dei & justificatione per fidem. Circa fundamentum fidei versantur illi errores, qvi directè eqvidem ipsum fundamentum non tangunt, nihilominus tamen per conseqventiam illi adversantur, tales sunt de purgatorio, de missâ, de precibus pro mortuis & similes. Errantes qvoq; diversimodè istis erroribus fuêre implicati. Qvidam enim eroribus fundamentalibus planè non subscripserunt, qvidam ad tempus tantùm, qvidam verò usq; ad mortem in ijs perseverârunt. Erroribus autem circa fundamentum fidei qvidam fuêre impliciti ex ignorantiâ & simplicitate, qvidam salutis viam rectè intellexerunt, interim propter divitias & dignitates obtinendas erroribus istis subscripserunt. Præsupposi-

tis hisce distinctionibus facilè est respondere, qvid de salute Majorum in medijs Papatus tenebris sit judicandum. Illi qvi in erroribus directè fundamentum fidei impugnantibus perseverarunt usqve ad mortem, salvari non potuerunt, *qvi enim non credit jam judicatus est* Joh. 3. v. 18. qvi autem in mortis agone errores istos abnegarunt & seriâ pœnitentiâ soli Christo adhæserunt, extra omne dubium salvati sunt, *Deus enim non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat* Ezech. 18. v. 23. De Errantibus autem circa fidei fundamentum ex ignorantiâ & simplicitate, si fundamentales articulos non impugnaverint, nos optima speramus, prout charitas Christiana sperare jubet, qvi verò scientes veritatem abnegarunt & erroribus subscripserunt, dignitatum & divitiarum obtinendarum gratiâ, atq; ita ad finem usqve perseverarunt, illi vehementer peccarunt & salvari non potuerunt, cum finalis impœnitentia, præsertim in peccatis contra conscientiam, æternam salutem non admittat.

511] *De templorum & Monasteriorum ædificatione & altarium erectione*, qvæ Jansenius inspergit, non evincunt, Majores nostros hodiernæ Papatus doctrinæ fuisse addictos. Nam templa & altaria â Sanctis qvidem denominabantur, propter exempla fidei, constantiæ & aliarum virtutum, qvarum memoria proponebatur ad imitationem, interim non Sanctis illis, sed soli Deo constituebantur & consecrabantur.

Sic

Sic *Augustinus* testatur lib. 22. de Civit. DEI cap. 10. de altaribus suo tempore erectis; *non erigimus altaria, in qvibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad qvod sacrificium Martyres, sicut homines Dei, qvi mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen â sacerdote qvi sacrificat, invocantur.* Honor autem iste denominationis fuit humanus non religiosus, postea verò progressu temporis denominatio ista in superstitiosam adorationem mutata est, qva Sancti cultu religioso honorabantur. Notetur autem hic, qvod Janssenius p. 360. incidenter citet locum ex 2. Pet. 1. v. 10. *per bona opera vocationem nostram faciamus certam*, ubi malitiosè textus corrumpitur, & verba (*per bona opera*) substituuntur, qvæ tamen in græco fonte non inveniuntur.

512] Hisce omnibus præsuppositis facilè respondetur ad ea, qvæ Janssenius excipit: *Pharisæis Christo novitatem doctrinæ objicientibus fuisse responsum â Christo, ait, qvod lex vetus fuerit umbra legis novæ, adeoq; abrogata tempore Messiæ; nihilominus Majores Judæorum in fide suâ salvatos fuisse.* Respond. (1) Janssenius per legem veterem & fidem, in qva Judæi olim salvati sunt, intelligit aut legem propriè dictam, aut fidem in Messiam venturum, in Mose & Prophetis comprehensam. Si legem intelligit, errat, nam in veteri Testamento nemo per eam salvatus fuit, Petrus manifestè testatur, *qvod Patres salvati fuerint per gratiam Jesu Christ*

Christi Act. 15. v. 11. *Omnes Prophetæ testimonium perhibent de Christo, qvod per nomen ipsius, omnes qvi credunt in eum, remissionem peccatorum consequantur* Act. 10. v. 43. Imò *justus suâ fide vivebat* Habac. 2. v. 4. *Lex tantùm iram operatur* Rom. 4. v. 15. *per opera legis nulla caro justificatur* Gal. 2. v. 16. *Si justitia per legem venit, Christus frustra mortuus est* v. 21. (2) Si Janssenius intelligit per fidem Judæorum, qvâ salvati sunt, fidem in Christum venturum, proprio sese jugulat gladio; illa enim doctrina de hac fide non erat nova, sed antiqva, imò erat ipsissima *fides Abrahæ* Gal. 3. v. 16. *qvæ ipsi imputata fuit ad justitiam* Rom. 4. v. 3. Illa fides autem non fuit abrogata tempore Christi, sed potius magis magisqvé explicata, & toti mundo per Apostolos prædicata itaq; de hac doctrinâ Christus respondere non potuit, eam tempore Messiæ abrogandam esse. (3) Pharisæi doctrinam Christi *novam* vocabant Mar. 1. v. 27. duplici de causa, primò in traditionibus Patrum suorum hanc non inveniebant, deinde justitiam in lege qværebant, & vaticinia de fide in Messiam venturum non intelligebant. Ad hanc verò novitatem objectam respondit Christus antiqvas Patrum traditiones reijciendo Matth. 15. v. 9 justitiam Legis improbando Matth. 5. v. 20. & ad Mosen provocando, qvi de ipso scripserat Joh. 5. v. 46. Simili modo Pontificij doctrinam nostram novitatis arguunt, primò, qvia in humanis Ecclesiæ Romanæ traditionibus non invenitur, deinde justitiam ex operibus qværunt, & Scripturam,

de-

de ſalute per ſolam fidem conſeqvendâ, loqventem non intelligunt, nec intelligere volunt. At nos cum Chriſto reſpondemus, traditiones Pontificiorum reijciendo, ut ſupra cap. 4. factum, juſtitiam operum refutando, ad Prophetas & Apoſtolos, in qvibus fides & Religio noſtra dilucidè fundatur, provocando, & genuinam antiqvitatem ex ijs demonſtrando. Vides ergò Janſſeni, Lutheranos ad novitatem objectam Pontificijs reſpondere eodem modo, qvo Chriſtus Phariſæis reſpondit.

513] Nihil reſpondet Janſſenius ad ea, *qvæ de nomine Lutheranorum ſcripſi*, ſicut enim Chriſtiani fuerunt, anteqvam ita vocabantur, qvod demum Act. 11. v. 26. factum eſt, ita etiam Lutheani fuerunt, anteqvam ita vocabantur: tales fuerunt omnes illi, qvi cum Luthero Apoſtolorum doctrinam fuêre amplexi. Nihil, inqvam, ad hæc reſpondet, niſi *qvod Calviniſtæ, Menoniſtæ, Antitrinitarij & Samoſateniani ſeſe etiam Apoſtolicos vocarint.* At ego non loqvor de nudâ appellatione, ſed de ipſius doctrinæ Apoſtolicæ amplexu, qvam doctrinam dum Antitrinitarij, Menoniſtæ & alij non ſeqvuntur, Apoſtolici non ſunt.

514] Ad exempla jam tranſit adverſarius. *Populus Iſraeliticus*, ait, *exercuit qvidem Idololatriam in deſerto, ſed Moſes cum totâ tribu Levi ipſi reſtitit.* Reſpond: (1) Eo tempore, qvo Aaron vitulum aureum confecit & populus Idololatriam exercuit, nemo ipſi reſtitiſſe legitur, nec

nec Moſes nec alij ex tribu Levi; ſed Moſes à Deo admonitus poſtmodum Aaronem increpavit Exod. 32. v. 21. cum jam vitulus contritus, & idololatria à toto populo fuiſſet peracta. (2) v. 26. Moſes qvidem proclamat, *ſi qvis eſt Domini jungatur mihi*, tunc congregati ſunt ad eum omnes Filij Levi. Sed exinde non poteſt probari, qvod iſti filij Levi fuerint immunes ab Idololatriâ, verùm pœnitentia ipſorum deſcribitur, qvod recordati officij ſui ad ſaniorem mentem redierint, & à cœtu Idololatrico ſeſe ſeparaverint. (3) poſito autem iſtos Levitas in Idololatriam non conſenſiſſe, ſed cum alijs pijs latuiſſe in actu Idololatrico, exinde nihilominus ſententiam noſtram confirmamus, qvod Eccleſia viſibilis in cultu publico erraverit, interim qvidam pij latuerunt, qvi Domino adhæſerint, qvos nemo poterat videre, nec Moſes ipſe, qvi neſciebat, qvosdam eſſe Domini, priusqvàm clamaret: *ſi qvis Domini eſt jungatur mihi.* Ita etiam dicimus in Papatu qvosdam latuiſſe, & erroribus Antichriſti non ſubſcripſiſſe, qvos tamen nemo hominum videre poterat, ſed ſolus DEUS, qvi ima cordium ſcrutatur, & novit, qvi ſint ſui, prius qvam Lutherus clamaret, *ſi qvis Domini eſt, jungatur mihi*; ad qvam vocem ingens multitudo populorum & nationum â Papatu ſeſe ſeparavit, & Evangelio Chriſti publicè adhæſit.

515] *In perſecutione Achabi concedit fuiſſe conſervatos fideles ad ſeptem millia in Iſrael, interim ait, in regno Judæ publice viguiſſe cultum Iſraelitarum.*

tarum. Respond: (1) Publicum cultum in regno Judæ floruisse concedimus, sed non purum, verum Idololatriâ permixtum. *Roboam ædificavit Lucos, statuas & excelsa*, 1.Reg. 14. v. 22. 23. *Assa successor non abstulit excelsa*, 1.Reg. 15. v. 14. *Josaphat qvi tempore Achabi vixit, non abstulit excelsa, sed populus contra Dei legem in excelsis adolevit*, 1.Reg. 22. v. 44. *Sic Joram fecit malum in conspectu Domini*, 2.Paral 21. v. 6. *qvem Elias objurgat* v. 13. *propter Idololatriam & fornicationem domus Achab. Ahasia Baalismum qvoqve amplexus est*, 2.Paral. 22. v. 3. Imò expressè legitur, qvod tempore Hoseæ, qvi Achabo successit, *regnum Juda ambulaverit in erroribus Israel, nec custodiverit mandata Domini*, 2. Reg. 17. v. 14. 15. Falsum ergo est temporibus Eliæ religionis exercitium in regno Judæ floruisse incorruptum (2) posito autem purum in Juda fuisse religionis exercitium, manet tamen septem millia in Israel latuisse, nec ab ullo hominum agnitos fuisse, hoc enim est qvod nos dicimus, publicum exercitium sæpius esse corruptum, nihilominus qvosdam fideles latere in medio cœtu, qvi verã fidem constanter retinent, etiamsi nõ videantur & observentur, qvod sicut in Israel olim factum est, ita etiam in medio Papatu factum esse asserimus. Et sicut non seqvitur, nemo observabat fideles Israelitas sub cultu Baalitico, ergo non erãt, ita nec cõcludi potest, veri fideles in medio Papatu nõ observabãtur, ergo nõ fuerunt, â negatione nostri visus aut observationis ad rei ipsius negationẽ nõ valet conseqventia. Regerit Janss: *cur Deus*

non

non aperuerit Luthero suos Lutheranos, sicut Eliæ re velavit absconditos Israelitas. Respond: imò Luthero & toti mundo eos revelavit, factum hoc est per contradictiones multorum, per qverelas plurimorum, per martyria Confessorum, per scripta eruditissima, per transitum deniqve plurimorum populorum & nationum â superstitione pontificia ad veritatem Evangelicam.

516] *Sub tyrannide Cæsarum Ethnicorum Ecclesiam in tenebras se abdidisse concedit, sed postea,* ait, *caput extulit, & ubi latuerit, omnibus fuit exploratum.* Respond: (1) notet hic Lector Janssenium expressis verbis concedere qvod vera Ecclesia sub tyrannide Ethnicorum in tenebras sese abdiderit, eo ipso igitur fatetur, veram Eccclesiam sine publico exercitio alicubi latere posse, qvod tamen alij Pontificij negant. (2) Non qværitur, qvid postea, ut Janssenius loquitur, post persecutiones illas factum fit, an Ecclesia tunc caput extulerit, adeoque innotuerit omnibus, ubi fuerit abscondita; sed hoc in qvæstione est, *an sub persecutione Ethnica Christiani publicum religionis cultum habuerint, an verô sine publico cultu absconditi delituerint?* Posterius dum Janssenius concedit, eo ipso herbam nobis porrigit, & nos obtinemus qvod volumus. Oggannit eqvidem *nos non posse monstrare angulos in qvibus Ecclesia nostra sub Papatu latuerit*, sed respond: in qvibus Angulis fuerunt contradicentes Papæ, qverulantes de abominatione Papatus, Confessores veræ doctrinæ, Martyres, & ij

& ij tandem, qvi â Papatu ad veritatem Evangelicam transierunt, in ijs angulis qvoq; fuerunt veri Christiani, in Germaniâ, in Hollandiâ, in Angliâ, in Galliâ, in Daniâ, Norwegiâ, Sveciâ, alijsq; locis plurimis.

517] *Infantes baptizati in Papatu*, inqvit, *Lutheranam fidem non habuerunt, qvia nullum prædicantem audiverunt*. Respond. (1) hoc potuisset objici infantibus qvi Christo offerebantur, illi nullum Prædicantem, imò nec Pontificium, nec Judæum audiverant, tamen Christus de ijs asserit, *qvod credant* Matth. 18. v. 6. Mar. 9. v. 42. *qvod illorum sit regnum cœlorum* Mar. 10. v. 14. (2) Infantes Judæorum in Veteri Testamento octavo die non poterant audire Concionatores, interim per circumcisionem, qvæ fuit *signaculum justitiæ fidei* Rom. 4. v. 11. fidem acceperunt; qvia verò Baptismus successit in locum circumcisionis Col. 2. v. 11. 12. non minus, in Baptismo, qvam in circumcisione fides infantibus datur. (3) Johannes Baptista nullum Prædicantem audiverat & tamen in utero Matris Christum agnoscendo exultabat Luc. 1. v. 41. & licet hoc exemplum sit extraordinarium, ex eo tamen patet, qvam possibile & qvam facile sit Deo fidem infantibus donare, etiam sine verbi prædicatione. (4) Si infantes proprietatem fidei habent, utiq; fidem ipsam habebunt, sed prius est verum, *laudant* enim Deum Psal. 8. v. 3. Matth. 21. v. 16. *sperant* in Deum ab utero maris Psal. 22. v. 10. 11. Psal. 71, v. 6. Deum *agnoscunt*, 1 Joh. 2. v. 14. Deum *timent* Psal. 115. v. 13. Apoc. 11. v. 18, ergo posterius qvoq; verum e-

erit. (5) Qvicunq; salvatur credit Mar.16. v.16. atqvi infantes post baptismum decedentes salvantur Matt.19.v.14. Luc.18.v.16. ergò credunt.

518] *De moribundis*, ait Janssenius, *eandem esse rationem cum isti sine Doctore aut Magistro non potuerint fidem Lutheranam amplecti.* Respond. (1) Imò non caruerunt doctrinâ & Magisterio, audiverunt enim prælectiones textuum Evangelicorum, Epistolarium, Passionis Dominicæ, qvæ omnia, qvamvis glossis humanis fuêre permixta & obscurata, nihilominus Spiritus Sanctus efficax fuit per ministeriū impurum, sicut olim tempore Pharisæorum fiebat, qvi lectioni Mosis & Prophetarum traditiones Patrum miscebant, & tamen Ecclesiam Dei ædificabant Matt.23. v 2.3. Imò Janssenius fatetur, qvod Pontificij meritū Christi moribundis in agone potissimum proponant, ergo rejectis meritis humanis ad meritū Christi amplectendum incitantur, olimq; incitati fuêre, adeoq; beatè obdormiêre. (2) Exempla in promptu sunt plurima. Georgius Dux Saxoniæ intuitu imaginis Christi crucifixi moriens Monachos opera & merita humana exaggerantes audire noluit, qvam historiam â Chemnitio part.3. Ex. Concil Trident. p.614. descriptam Janssenius ait *fortè effictam* esse, sed ejus *fortè* per nostrum *non fortè* facilè refutatur. Sic Ernestus Archiepiscopus Magdeburgensis nolebat acceptare merita omnium Monachorum totius Ordinis S. Francisci, qvæ ipsi offerebant communicanda, soli Christo adhærens, verâ fide hac obdormiens, ut testatur *Catalogus testium veritatis* lib.19. pag.1932. Carolus Qvintus Imperator

rator Augustissimus paulò ante obitum suum fassus est, sese suam justificationem qværere non in operibus suis, utpote imperfectis, sed in solâ fide, in meritum Jesu Christi, ut prolixè describit *Thuanus* lib. 14. histor. & *Wolfius* in Præfat. Tom. 1. Lect. memorab. Epistolam Gerhardi Episcopi Argilicensis de eodem argumento recitat. Ejusmodi moribundos in Papatu fuisse plurimos nullum est dubium, præsertim cum habuerint qvæstiones de solatio morientium conscriptas *à Martino Eisengrein* Professore Ingolstad. in qvibus sola virtus meriti Christi fide apprehensa principaliter urgetur.

519] *Waldenses*, ait Janssenius, *non posse produci cum in multis à Lutheri doctrina dissenserint*. Resp. (1) non dicimus, qvod in omnibus cum Luthero consenserint, Ecclesia enim tum temporis adhuc erat impura, sed sufficit, qvod in fundamentis fidei & doctrinæ Luthero ὁμόψηφοι fuerint. (2) Docuerunt isti Waldenses solis sacris literis credendum esse in ijs, qvæ ad salutem pertinent, & nulli præterea homini aut scripto: sacras literas integrè continere omnia, qvæ ad salutem sunt necessaria; unum tantùm esse Mediatorem Christum; sanctos non esse invocandos; purgatoriũ non esse; Missas omnes, & imprimis qvæ pro mortuis leguntur, esse impias & abolendas; duo tantùm esse Sacramenta, Baptismum & cœnam; traditiones humanas esse reijciendas, scilicet de discrimine ciborum, ordine monachorum, consecrationibus creaturarum, de votis, peregrinationibus & similibus inventis humanis: reijecerunt

runt Papæ primatum super omnes Ecclesias; communionem sub utraq; specie â Christo præceptâ & Laicis necessariam esse docuerunt: Romanam Ecclesiam Babylonem & Papam verum Antichristum vocarunt, indulgentias reijecerunt & Conjugium Sacerdotum tanqvam pium & necessarium docuerunt, ut testatur *Sleidanus* lib. 16. *& Catalogus Testium veritatis* lib. 15. p. 1500. Atq; hæc dogmata fuêre illa ipsa, qvæ Lutherus principaliter ursit contra Papatū. *Thuanus* lib. 5. Hist. docet, Waldenses hanc fidem â majoribus accepisse, & per aliqvot annorum centurias docuisse. (3) Errores qvosdam Waldensium Janssenius recenset, eos verò per invidiā Waldensibus fuisse affictos agnovit olim *Cardinalis Sadoletus*, teste *Thuano* lib. 5.

520] *Græcam Ecclesiam Papatui contradixisse Janssenius qvoq; negat, eamq; in qvibusdam cum Ecclesiâ Romanâ docere, confessionem Tubingensium hæreticam proclamare, olimq; in Concilio Florentino Papam pro capite Ecclesiæ agnovisse asserit, provocans ad Bellarminum, qvi probet, omnes Græcæ Ecclesiæ Doctores usq; ad Gregorium Magnum Papam Universalis Ecclesiæ Pastorem veneratos esse.* Respond. (1) Ecclesia Græca non eqvidem immunis est ab omni errore, interim longè purior est Ecclesiâ Romanâ, illiq; in multis contradicit; negat enim purgatorium, recipit communionem sub utrâq; specie, improbat missas privatas & sacrificia pro defunctis, approbat Conjugium Sacerdotum, utitur lingvâ vernaculâ in sacris, detestatur primatum Pontificis Romani, qvi primariū fundamentum est errorum Papalium, imò qvotannis Domi-

Dominica Qvadragesimæ Pontificem Romanum excommunicat. Hinc qvidam Pontificij Ecclesiam Græcam execrantur, eamq́; vocant alteram Samariam Bellar. lib. 2. de Christo cap. 30, hæreticam, ut Costerus in Ench. cap. 3. (2) Falsum verò est qvod Janssenius scribit, *Græcos noluisse respondere Tubingensibus Confessionem suam illis transmittentibus, qvam pro hæreticâ habuerint*; typis enim publicis prostant Acta Tubingensium cum Patriarchâ Constantinopolitano, qvæ testantur, Patriarcham Confessionem illam in qvibusdam approbare, & qvibusdam abusibus Pontificiorum apertè contradicere: qvo fine autem & qva occasione Tubingenses Confessionem Augustanam ad Græcos miserint, præfatio Actorum docet, & licet Schererus aliijq́; Pontificij multas calumnias sparserint de Actis illis, â Theologis tamen Tubingensibus in responso Apologetico omnia protrita sunt. (3) Falsum qvoq́; est Græcos Pontificem Romanum pro capite agnovisse, cum enim Johannes XXII. prolixè scriberet ad Græcos unicam tantùm esse Christi Ecclesiam, cujus ipse sit caput universale, Christiq́; in terris Vicarius unicus, qvem & ipsi agnoscere deberent, responderunt Græci; *Potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus. Diabolus tecum, qvia Dominus nobiscum*, referente Johanne Mandevilla lib. 1. cap. 17.

521] Falsissimum verò est, *qvod Græci in Concilio Florentino Papam pro capite Ecclesiæ agnoverint*, expresse enim sunt protestati in illo Concilio se â

totâ Ecclesiâ Orientali nullam habere commissionem circa articulum Papatus cum enim absoluta tractatione de Processione Spiritus Sancti, Papa proponeret alias qvatuor qvæstiones definiendas, ut unio perfectior fieret: de purgatorio: de summi Pontificis principatu: de Azymo & fermentato: de Transubstantiatione. responderunt Græci (sess. ult. illius Concil.) *Nos, Pater Sanctissime, nullā adhæc respondendi facultatem habemus*; Et qvamvis privatim responderint, non publico Orientis nomine, postea tamē etiā protestati sūnt, *se sine totius Orientalis Ecclesiæ autoritate, qvæstionem aliam tractare non posse: cum pro illa tantū de Spiritus Sancti processione Synodus convocata fuerit; nolleqve ut in literis unionis de alia qvæstione ulla mentio fiat.* His tamen nō obstantibus, Imperator Græcus Latinorū ope maxime indigus, utcunq; voluit Papæ gratificari; & tractatꝰ sane privatos habendos curavit, & literas unionis, qvales Papa voluit, accepit. In qvibus literis etiam illarum qvatuor qvæstionū definitiones fuerunt insertæ, super qvibus tamen Orientalis Ecclesia nullum assensum, nullā authoritatē suis Legatis tribuerat. Ac propterea etiā tota illa unio statim evanuit. Legatur hac de re *Marcus Antonius de Dominis* lib. 4. de Repub. Eccles. c. 10. p. 458. *Bellarminus* eqvidem lib. 2. de Rom. Pontif. c. 15. citat Patres Græcos primatum Papæ universalem asserentes, solidè autem responsum est ad illa citata omnia â *Marco Antonio* d. l. p. 467. 468. seq. qvorsum Janssenium remitto.

522] *Reges ac Imperatores qvosdam Pontifici restitisse Janssenius eqvidem concedit, sed regiminis causa*

causa factum esse excusat, cum interim in omnibus fe-rè articulis fidem Catholicam sint amplexi. Resp. (1) rectè Janssenius ait, hosce Reges in omnibus *ferè* articulis fidem Romanam amplexos esse; qvid e-nim sibi vult istud *ferè?* Conscientia Monachi ti-tubat, utpote qvi probè novit, multos esse articu-los fidei qvibus contradixerunt masculè. (2) Con-cedit qvosdam Reges Pontifici restitisse in regi-mine & primatu Politico: atqvi primatus iste est fundamentum & radix omnium errorum Papali-um, qvicunq; ergo primatui Pontificis restitêre, il-li errorem ipsius principalem abijecêre. (3) *Mel-chior Goldastus Haimensfeldius* aliqvot Imperato-res & Reges recenset, qvi tyrannidi Pontificiæ se opposuerunt. Carolus Magnus in Concilio Fran-cofurtensi cultum imaginum aliasq; superstitio-nes Pontificias prorsus rejecit. Filius ipsius Ludo-vicus jus eligendi Pontificem ad Imperatorem re-vocavit. Henricus III. tres Pontifices de sede Ro-manâ concertantes armatâ manu abdicavit & E-piscopum Moguntinum creavit. *Aventinus* lib. 7. recenset Epistolam Friderici II. ad Ottonem Ba-variæ Ducem, in qva conqveritur Romanos Pon-fices affectare divinitatem, ut ab omnibus haud aliter qvam Deus timeantur; multosq; Antichri-stos Romanensibus inesse expresse scribit. Ludo-vicus IV. Papam Johannem XXII. hæresiarcham & præcursorem Antichristi appellavit. Philip-pus pulcher Rex Galliæ ad Bonifacium VIII. scri-psit; Philippus Dei gratia Francorum Rex Boni-facio se gerenti pro summo Pontifice Salutem modicam sive nullam. *Sciat tua maxima fatuitas in*

temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarũ & præbendarum collationem ad nos jure regio pertinere secus autem credentes fatuos & dementes reputamus. Huc referantur centum Gravamina Nationis Germanicæ, in qvibus Proceres Romani Imperij plurimas abominationes Papatus congesserunt Anno 1523. ac Comitijs Norimbergensibus obtulerunt, & postea Adriano VI. Pontifici Romano transmiserunt

523] *Johannem Hussum Pontifici contradixisse Janssenius vix concedit:* sed edisserat nobis, an non propter contradictiones has accusatus, in carcerem detrusus & tandem combustus fuerit? testantur Acta Concilij Constantiensis Hussum fuisse accusatum, qvod docuerit cœnam sub utraq; specie omnibus esse distribuendam, panem in cœnâ non transmutari in corpus Dominicum, sed post consecrationem panem manere, non tantùm Papam, Episcopos & alios Clericos esse veram Dei Ecclesiam, sed omnes alios â Deo ad vitam æternam electos; Clericos non debere affectare dominatum externum, sed unam eandemq; omniũ esse potestatem in Ecclesiasticis, excommunicationem Papæ non esse extimescendam: qvi articuli fundamentum Papatus directè tangunt. Præcipuum qvoq; accusationis caput fuit, qvod Hussus defenderit 45. Articulos Johannis Wicklefi in Angliâ, qvi Pontifici animosè contradixit transubstantiationem reijciendo, decreta & traditiones improbando, abusum bonorum Ecclesiasticorum taxando: Wicklefus iste in officio Ecclesiastico eqvidem est mortuus, post annos tamen

qvadraginta & unum cadaver ejus ad mandatum Papæ Martini effossum & combustum est. Legatur de utriusq; Martyrio *Paulus Crocius* in historiâ Martyrum.

524] *Hieronymum Savanorolam*, ait, *combustum esse, non qvasi Pontifici contradixerit, sed qvod Patriam ab externo dominatu vindicare voluerit.* Aliud verò docent historiæ, Savanorolam præcipuos Papatus errores rejecisse, docuit enim cœnam Domini sub utraq; specie esse distribuendam, indulgentias Papæ damnavit, Cardinalium & totius Cleris Papalis turpem sceleratamq; vitam accusavit. Primatum Papæ negavit; Claves non uni Petro sed toti Ecclesiæ traditas esse docuit. Papam Antichristum esse asseruit, ejusq; excommunicationem curandam non esse docuit: vitam præterea duxit inculpatam, Spiritumq; habuit Propheticum. Accusatus fuit hæreseos & seductionis & cum alijs duobus Monachis Sylvestro Florentino ac Dominico de Pisis strangulatus est, & postea cadaver ejus exustum. Testantur hac de re *Cominæus* lib. 8. cap. 19. *Catalogus Test. Verit.* lib. 19. p. 1914. *Paulus Crocius* in Historiâ Martyrum p. 167. De justificatione docuit eam nobis contingere ex merâ gratiâ & misericordia Dei per fidem in Christum sine meritis & operibus nostris, ut testatur ipsius *Commentarius in Psalmum 51. scriptus & Lugduni apud Sebastianum Gryfium, 1546 excusus.*

525] Ex Antilessio Meisneri qvædam inspergit Janssenius colophonis loco, qvæ pro more suo exagitat. *Meisnerus*, ait, *demonstrat Lutheranos multos in Papatu fuisse, qvia Scriptura semper fuit in*

mundo, ejusq́; prælectio in Ecclesiâ semper sonuit; quia verò religio nostra Lutherana in Scripturis continetur, seqvitur nostram religionem per Scripturas fuisse conservatam & in prælectione textuum biblicorum publicè prædicatam. Hanc Meisneri probationem Janssenius ut falsam, ridiculam, stultam & insanam exagitat, qvinq; refutationibus.

526] (1) Ait, *Meisnerus alibi docet, non posse exponi, ubi locorum religio nostra in medio Papatu olim extiterit; si autem publicè fuit lecta & prædicata inter Papistas, factum hoc fuit in omnibus Academiis & Ecclesiis, adeoq́; loca non amplius erunt ignota.* Resp. Religio vera in Papatu delitescens consideratur dupliciter (1) respectu subjecti seu personarum veram fidem & religionem cordicitus amplectentium (2) respectu principij & fundamenti, ex qvo hausta fuit hæc fides & religio: respectu subjecti seu personarum, qvæ ex toto corde veram fidem amplectebantur, verè latuit, neq; enim poterant omnes observari, qvi Papatum aversabantur, cum solus Deus sit καρδιογνώστης; respectu principij autem & fundamenti religio illa qvotidie prædicabatur in prælectione textuum biblicorum. Sic tempore Pharisæorum vera religio fuit obscura & delitescens, attamen publicè proponebatur; latitabat vera religio respectu Confessorum, qvi clam adhærebant Christo, ut Nicodemus Joh. 3. v. 1. 2. & alij, Joh. 12. v. 42. publicè autem proponebatur qvotidiè à Judæis in Lectione Mosis & Prophetarum, ad qvos Christus subinde provocabat

527] (2) Excipit, *hac ratione Calvinianos, Armenia-*

menianos, Menonistas & alios hæreticos sese tueri posse provocando ad scripturam, qvasi in ijs illorum religio qvoq; conservata & publicè proposita fuerit. Resp. sit ita, provocent illi ad Scripturas, at num exinde seqveretur Lutheranos peccare, dum ad Scripturam provocant, aut in Scripturis fidem nostram non fundari? Nam (1) in Foro ad jura & Leges provocant omnes litigantes, etiam illi, qvi causâ cadunt, neq; tamen malè agit ille, qvi bonitati causæ innixus ad jura legesq; provocat. (2) Ad Patres provocant Lutherani & Calviniani neq; tamen propterea Pontificij desinunt ad Patres provocare aut sese peccare putant hac provocatione, de Scripturâ igitur idem est judicium. (3) Pharisæi & Saducæi provocabant ad Scripturas, neq; tamen Christus aut malè fecit, aut religionem falsam docuit similiter ad Scripturas provocando. (4) Imò ipsi Pontificij dicunt in Scripturis suam religionem contineri, & Janssenius in secundâ parte omnes articulos ex sacris demonstrare satagit; sibi ipsi igitur respondeat. (5) Aliud est Scripturas citare, aliud est Scripturas detorqvere, hoc faciunt omnes hæretici, illud tantùm veri Christiani, si illi detorqveant & depravent Scripturas, ex Scripturis sunt refutandi exemplo Christi, qvi Sathanam ex Scripturas disputantem, scripturis iterum convincebat Matth. 4. v. 4. 7. 10.

528] (3) *Battologiam intolerabilem & pudendam, imò stultam & insanam esse,* ait, *asserere, qvod Pontificij fuerint religionis Lutheranæ præcones.* Sed bona verba qvæso: Pharisæi publicè legentes Mosen & Prophetas, utiq; fuerunt præcones doctri-

doctrinæ Christi & Apostolorum, proposuerunt enim publicè illam doctrinam, qvam Christus & Apostoli docuêre, eo ipso dum illius doctrinæ principium & fundamentum proposuerunt. Simile qvid factum est olim in Papatu: Monachi prælegentes Scripturam, nostram qvoq; religionem proposuerunt, qvia principium & fundamentum illius proposuerunt. Nos potius dicimus, fuisse intolerabilem & pudendam battologiam, qvod Monachi legentes Scripturam eam non intellexerint & legendo conscij veritatem cœlestem proposuerint, qvam postea glossis & commentis suis obfuscarunt.

519] (4) *Sensus doctrinæ Lutheranæ*, inqvit, *ortus est cum ipso Luthero, ergò ante Lutherum non extitit. Antecedens probat testimonio Meisneri & ipsius Lutheri, Doctorumq; Ecclesiæ, qvi Scripturam ante Lutherum longè aliter explicarunt.* Resp. Meisnerus nullibi ait, sensum Scripturæ Lutheranum cum Luthero esse exortum, sed hoc asserit, doctrinam Evangelij â Luthero fuisse renovatam, & â sordibus Papatus repurgatam, aliud verò est dicere, doctrinam cum aliqvo esse exortam, aliud doctrinam ab illo esse repurgatam & renovatam. Lutheri qvoq; testimonium longè aliud docet, qvando ait: *Scripturam sacram ac verbum Dei ita in lucem produxi, ut â mille annis nunqvam fuit*: hic Lutherus non ait, doctrinam suam primò cum ipso esse exortam, sed in lucem productam, ut non fuit â mille annis. Ergo innuit Lutherus ante mille annos doctrinam suam fuisse, interea temporis verò obscuratam delituisse, ab ipso autem in lu-

cem

cem iterum productam esse : & profectò Germania intra mille annos verbum Dei tam purum non habuit. Primis enim seculis Ethnicismo fuit immersa, seqventia secula Papismo Ecclesiam obruerunt, qvæ verbum Dei qvidem habuit, sed humanis traditionibus & commentis obfuscatum. Patres alio modo Scripturam ante Lutherum exposuerunt; qvod de qvibusdam concedimus, sed sicut olim non seqvebatur, Patres Judæorum Mosen & Prophetas aliter exposuerunt, qvam Christus & Apostoli, ergo Christi & Apostolorum doctrina ante Christi adventum non fuit; ita nec hic seqvitur; Patres Scripturam aliter qvam Lutherus exposuerunt, ergo doctrina Lutheri ante ipsum non fuit: doctrinæ veritas nõ dependet â qvorundam hominum expositione, sed ex Scripturæ ipsius cohæsione & fidei analogia 2 Pet. 1. v. 20. Rom. 12. v 6.

530] (5) *Tandem*, ait, *doctrina Lutheri ante Lutherum non extitit, qvia doctrina Lutheri fuit repurgata, fides autem Papistica fuit corrupta & impura, jam verò repurgatum ante repurgatorem esse non potest.* Resp. Miror sophismata istius Missionarij; perinde est ac si qvis concluderet; doctrina Apostolorum ante Apostolos non extitit, qvia illorum doctrina fuit repurgata, Pharisæorum autem doctrina fuit corrupta & impura; qvomodo autẽ repurgata doctrina esse potuit anteqvam purgatores ipsi in rerum natura essent? Apostolorum doctrina fuit ante Apostolorum tempora, pura qvidem ratione Scripturarum, in qvibus continebatur, impura autem ratione Pharisæorum, â qvibus

bus corruptè proponebatur. Apostoli verò eam repurgabant; sic Lutheri doctrina fuit ante Lutheri tempora, pura qvidem ratione Scripturarum, qvibus continebatur, impura autem ratione Pontificiorum à qvibus corrumpebatur & glossis humanis obfuscabatur. Lutherus verò eam repurgavit. Pueri vident, hanc conseqventiam esse nullam, Lutheri doctrina ante Lutherum non fuit pura, ergo plane non fuit: *ab est tertij adjecti, ad est secundi adjecti non valet conseqventia.*

531] Coronidis loco committo judicium sanioribus Pontificijs, Politicis pariter & Ecclesiasticis, jure ne an injuriâ Janssenius beatum *Meisnerum, stultum, insanum ridiculum, battologum proclamet?* Evolvat Janssenius scripta Meisneri, non dicam omnia, sed ea tantùm, qvæ Papatui opposuit, ut sunt *Disputatio de Regimine Ecclesiastico, de vitiosâ disputandi ratione Scholasticorum; secundam & tertiam partem Philosophiæ Sobriæ; Consultationem Catholicam Lessio oppositam; Decadem ultimam* ἀνθρωπολογίας *sacræ, Disputationes de fide justificante. Muros Babylonis Romanæ Jacobo Reihingo oppositos; depulsionem excubiarum Papisticarum; Responsionem ad hæreticam qvæstionem, ubi fuerit Ecclesia ante Lutherum; Disputationem de æqvivocationibus Papisticis. Admonitionem de Relligione Papisticâ fugiendâ. Dicam Pontificijs Scriptam de crimine impietatis & calumniæ. Opusculum de Indulgentijs & absolutissimum Tractatum de Purgatorio.* Hæc scripta eruditissima Janssenius prius evolvat, legat & refutet, qvam Virum istum præclarissi-

clarissimum & de Ecclesiâ Christi meritissimum tam turpiter proscindat. Taceo scripta nervosissima contra Calvinianos & Photinianos, qvalia Janssenius cum universo Dominicanorum & Franciscanorum choro cœtuq; nunqvam scribet.

532] Tandem concludit Janssenius (1) seipsum laudando, *qvod sine calumniâ & mendacio, ordinatè ac distinctè sine ambagibus responderit*; sed cogitare debuisset illud Salomonis: *laudet te alienus & non os tuum; extraneus & non labia tua*; Proverb. 27. versu. 2. contrarium monstrat hic totus libellus, qvod Monachus calumnijs & mendaciis, inordinatè & confusè responderit. (2) Thrasonicè me provocando, *si tibi vires suppetunt, qvibus ea, qvæ hactenus contra te & errores tuos dixi, ullo pacto infringi posse arbitreris, descende in arenam & Virum te esse proba*; sed cogitare debuisset, illud qvod legitur 1 Reg. 20. v 11. *ne glorietur accinctus æqvè ut discinctus*. (3) Ad apostasiam me adhortando; *ne te moveat Conjux, neq; proles, neq; census, neq; delitiæ*; sciat autem me in delitijs non vivere, sed in laboribus, vigilijs & ærumnis varijs, qvæ sors est servorum Christi in hoc mundo; census & divitiæ me non movebunt, nullas enim possideo, proles & conjux multò minus, has enim in extremo die bonâ cum conscientiâ producam ad tribunal JesuChristi, qvid autem Monachi de concubinis, scortis & spurijs suis acturi sint, ipsi viderint. (4) Precando, *ut Dominus Spiritum suum mihi infundat ad amplectenda dogmata papalia*; sed Spiritum istum ad Papatû homines commoventem ego nolo, spiritû

scili-

ſcilicet tenebrarum & vertiginis, mendaciorum & Idololatriæ; cuſtodiat me Deus â Spiritu hoc maligno propter Chriſtum Filium, Salvatorem noſtrum.

533] Concludo igitur hanc Apologiam, & de eâ judicium univerſæ Eccleſiæ Chriſti committo; teſtor autem conſcientiam meam, qvod in iſtâ Janſſenij defenſione nihil invenire potuerim, qvod vel ad ſpeciem Papatum commendare poſſit. Deus errantes omnes reducat, nos in veritate ſemel agnitâ conſervet, perfectoq́; Satanæ & Papatus odio impleat. Deo autem veritatis fideiq́; Authori & Propagatori pro hoc beneficio ſit laus & gratiarum actio ſeculis nullo fine terminandis.

PARS SECUNDA.

De Enchiridio Controversiarum.

Nicolai Janssenij

In qvo fidem Pontificiam ex solis Scripturarum testimonijs demonstrare laborat.

PROOEMIUM.

534] NOvum Laomedontis opus Janssenius aggreditur, & Appendicis loco *Enchiridion qvoddam Controversiarum* annectit, in qvo promittit *demonstrationes omnium propemodum articulorum cum Novatoribus* (ita vocat eos, qvi Papatum detestantur) *controversorum, & qvidem ex solis Scripturarum testimonijs, prout antiqvæ Ecclesiæ traditiones easdem exponunt.* In hoc Enchiridio multa desiderantur.

535] 1. *Methodus*: qvi Systemata compendiosa conscribunt, certam methodum observent necesse est, eamq; vel naturæ vel Scripturæ, ita ut omnia capita recto ordine sese invicẽ conseqvantur, ac velut membra unius corporis continua serie sibi copulentur; desunt hæc omnia Enchiridio

Janſſeniano, nullam hic videas diſpoſitionem, nullam cohærentiam, de *Scripturæ imperfectione* orditur; hinc ad *caput Eccleſiæ* tranſit; poſtea *Judicem Controverſiarum* conſiderat; de *Antichriſto* dogma immiſcet; huic *Eccleſiæ unitatem, viſibilitatem & infallibilitatē* ſubnectit; poſtea *legem divinā* conſiderat, *& Sacramentorum doctrinam* proponit; mox *Purgatorium* adſtruit, *Sanctorum invocationem, reliqviarum & imaginum venerationem defendit*. Tandem de *Juſtificatione & Libero arbitrio* docet; *de bonis operibus* diſputat, *jejunia & indulgentias* adſtruit; mox de *Ceremoniis* agit; deniq; *de exorciſatione creaturarum & proceſſionibus* concludit. Vides hic Lector confuſum chaos, qvo ſuperiora inferioribus commiſcentur. Qvæcunq; occurrunt in Theologicis agunt vel de Deo, vel de Homine. Deus cognoſcitur vel ratione ſui eſſe, aut velle, aut operari; Eſſe notat vel ὀυσίαν vel hypoſtaſin; velle eſt aut legale aut evangelicum; operari eſt vel internum ſeu hypoſtaticum, vel externum, ut ſunt mundi creatio, creati conſervatio, gubernatio & ſimiles actiones. Homo autem conſideratur vel in ſtatu innocentiæ, vel miſeriæ, vel gratiæ, vel gloriæ tandem & ignominiæ. In ſtatu innocentiæ occurrunt imago Dei & juſtitia originalis; in ſtatu miſeriæ lapſus primorum hominum, peccatum originale, actuale, concupiſcentiæ &c. In ſtatu gratiæ æterna prædeſtinatio, temporalis redemptio, redemptorum vocatio, vocatorum juſtificatio, juſtificatorum renovatio & ſic conſeqventer. Hac vel ſimili aut meliore me-

thodo

thodo Janssenius uti, & secundum eam controversias tractare debuisset, sed confusi ingenij fœtus est confusus, effectusq; causam suam satis arguit.

536] 2. *Integritas*: promittit Janssenius sese acturum *de omnibus propemodum articulis controversis*, qvorum tamen vix viginti novem producit. Aut eos intelligit articulos, qvi cum solis Lutheranis, aut eos, qvi etiam cum alijs Romanam Ecclesiam oppugnantibus sunt controversi. Si priores, paucissimos certè tractat; non enim agit *de Bibliorum lectione, de Scripturæ interpretatione, & authoritate, non de peccati originalis naturâ, de concupiscentiâ, de conceptione Mariæ, non de Christo Mediatore secundum unam naturam, de communicatione idiomatum, non de gratia Dei, de satisfactione Christi de merito congrui & condigni, de naturâ fidei, an sit fiducia, non de operibus infidelium, non de signis Ecclesiæ, non de prædestinatione, non de materia & formâ baptismi, non de consecratione Sacramentali, de vini & aqvæ mixtione, de concomitantia, de repositione, circumgestatione & adoratione panis Eucharistici, non de partibus pœnitentiæ, de contritione, de fide, de efficacia Sacramentorum, de charactere indelebili, non de septem ordinibus, de rasura, tonsura, non de potestate Magistratus, non de cœlibatu Sacerdotum, non de Limbo Patrum, non de pœnis infantium, qvi sine baptismo discesserunt, non de statu monastico &c.* De hisce & alijs plurimis magna nobis cum Papatu est controversia: imò *Heshusius sexcentas* recenset controversias nostrarum Ecclesiarum cùm Papatu, ex qvibus omnib9 tamen Janssenius vix viginti

novem produxit. Si verò posteriores intelligit (hoc est, articulos cōtroversos cum ijs omnibus, qvi Ecclesiam Romanam oppugnant) uti intelligere videtur, dum in genere contra novatores disputat, & qvædam Anabaptistarum dogmata tractat, vehementer qvoq; in defectu peccat; nullos enim *Weigelianorum* errores attingit, nullos *Photinianorum*, qvos si solidè refutasset, næ magnas à nobis gratias inijsset. *Calvinianorum* vix duos attingit, *Anabaptistarum* vix unum aut alterum, qvâ hæresin tamen videtur sibi ex professo refutandam proposuisse; habuisset verò hic latissimum disputandi campum, *de Scripturâ, de revelationibus, de Spiritu & literâ, de gradibus Academicis, Impletione Legis, cœnâ Domini, de homine interno & externo, de Regno Christi & Ecclesiâ, de stipendijs & vestitu Ministrorum verbi, de Magistratu, judiciis, bello, juramentis, libertate Christianâ, de mercaturâ, de conjugio, communione bonorum.* Hæc & plura capita controversa cum Anabaptistis si rectè examinasset, virum sese præstitisset. Sic contra Photinianos examinare debuisset dogma de Trinitate, de λόγου verâ Deitate & generatione; de Spiritus Sancti Deitate & Processione, de Imagine Dei, de Peccato Originali, de Christi merito & satisfactione, de naturâ fidei, an sit obedientia? de fide Patrum in Veteri Testamento, de natura Sacramentorum, Baptismo & Cœnâ, de Justificatione in qvo consistat, de potestate Magistratus, de vindictâ, de resurrectione mortuorum, &c. Omissis autem hisce & alijs plurimis, mutilatè disputat, &

vix

vix centeſimam controverſiarum partem attingit, cum tamen *omnes propemodum articulos cum Novatoribus controverſos* ſibi examinandos propoſuiſſet.

537] 3. *Candor*; promittit Janſſenius ſeſe *omnes articulos controverſos nudis Scripturæ verbis ac teſtimonijs probaturum* p. 371. oblitus autem ſuiipſius p. 373. ſcribit, *qvod Apoſtoli integram & totalem fidei normam non conſcripſerint, & qvosdam fidei articulos non attigerint.* Ita verò argumentor: qvicqvid Apoſtoli ſcribendo non attigerunt, & cujus normam integram non ſcripſerunt, de illo ex ſolis Scripturis demonſtratio peti non poteſt; atqvi, fatente Janſſenio, qvosdam Fidei articulos Apoſtoli ſcribendo non attigerunt, illorumq; normam integram non ſcripſerunt, ergò de qvibusdam articulis fidei ex ſolis Scripturis demonſtratio peti non poteſt. Concluſio contrariatur promiſſioni Janſſenianæ de omnibus articulis nudis Scripturæ teſtimonijs probandis; ſi non omnes in ſacris continentur, imò ſi qvidam non ſunt attacti ab Apoſtolis, qvomodo ergo omnes ex Scripturis demonſtrari poſſunt? promittit ergò Janſſenius in fronte id, qvod tamẽ ſe præſtare non poſſe alio in loco fatetur, ſcilicet ut Lectori fucum faciat, qvaſi ex ſolis Scripturis nobiſcum diſputaret, cum tamen Pontificij Scripturas rejiciant & graviſſimè accuſent imperfectionis, obſcuritatis, flexibilitatis, eamq; expoſitioni Pontificis ſubijciant, ut ſupra part. 1. cap. 1. & ſeq. cap. de Traditionibus probabitur. Eodem modo olim *Piſtorius* diſputabat *contra Menzerum*

promittens in exordio sese ex solis Scripturis de omnibus controversijs acturum, mox tamen Scripturam accusabat imperfectionis, obscuritatis, qvæ Judex controversiarum Theologicarum esse non posset, qvod artificium Janssenius iste à Pistorio didicit. Novus autem fucus est, dum scribit, sese ex solis Scripturis disputaturum, sed additâ limitatione, *eo sensu, qvem Ecclesia semper tenuit* p. 370. Qvid autem intelligis per *Ecclesiam?* Romanam Pontificiam scilicet, & in eâ principaliter Episcopos, illorumq; caput Pontificem. Ita fucatè nobiscum agitur; ex Scripturis promittunt Adversarij sese nobiscum acturos, sed subintelligunt limitationem, *sensu Pontificis Romani explicatu*. Ita argumentor; qvicunqve ex Scripturis disputat secundum mentem Pontificis intellectis contra eos, qvi Pontificis authoritatem negāt, illi principium petunt; hoc faciunt Pontificij & imprimis iste Janssenius, ergo principium petit: Major est certissima; explicatio enim Pontificis, de qva controvertitur, non potest præsupponi tanqvam certum aliqvod principium, ex qvo disputetur, cum tamē sit ipsa litis materia, de qvâ controvertitur.

538] 4. *Vera hypothesis*: Qvicunq; disputant ex certo aliqvo principio, de illo inter sese rectè conveniant, & veram de eo hypothesin, eamq; communem præsupponant, necesse est; Janssenius autem hypothesin talē præsupponit, qvæ neq; vera est, neq; communis Ecclesiæ Pontificiæ & Lutheranæ, scilicet *Scripturam esse intelligendam non aliter qvam Patres Ecclesiæ primitivæ eam intellexerunt*. Hic præsupponitur principij & nor-

mæ

mæ loco non Scriptura sed Scripturæ expositio â Patribus data; malè, nam (1) auditores Prophetarum & Apostolorum Scripturam rectè intelligere potuerunt, cum Patres nondum essent in rerum naturâ. Romani, Corinthij, Galatæ, Ephesij Paulum intellexerunt sine expositione Patrum, ergo & nos Scripturam sine illorum expositione amplecti debemus. (2) Primitivi qvidam Patres alios Patres ante sè non habuerunt, qvi Scripturam exposuissent, & tamen Scripturas intellexerunt & ex ijs disputarunt, qvomodo igitur nos adstringi possumus expositionibus Patrum? (3) Si Deus hodiernâ die nobiscum de cœlis loqveretur, qværitur, unde verum de sensu loqvelæ ipsius judicium esset petendum, an ex Patrum vel Pontificis expositione? minimè, sed ex verbis ipsius, qvibus utitur tanqvam medio, qvo voluntatem suam nobis revelat; eodem medio usus est nobiscum loqvens per Prophetas & Apostolos, ex verbis igitur, eorumq; cohærentiâ, toto contextu & collatione sensum Dei eruere debemus. (4) Legem Deus jussit populo prælegere & populum auscultare, ut *audientes discant* Deut. 31. v. 11. 12. Paulus jubet Ephesios ut *legentes intelligant prudentiam in mysterio Christi* Eph. 3. v. 3. 4. Hic non ad expositionem humanam, sed ad ipsa Dei loqventis verba adstringimur, ut audiendo discamus, & legendo intelligamus. (5) Si Deum in Scripturis loqventem non possemus intelligere, sed ad humanã expositioné recurrere, seqveretur Deũ illudere hominibus, ad qvas eqvi-

dem loqveretur, ita tamen ne loqvelam & sensum ipsius intelligerent, qvod conseqvens absurdum & impium est, ergo & antecedens. (6) Mirum est, qvod Pontifex in Decretis suis dilucidè possit intelligi, Deus autẽ in Scripturis loqvens ita obscurus sit, ut sine humanâ expositione intelligi neqveat. (7) Qvicunq; potuerunt errare non habentes immediatam Spiritus Sancti assistentiam, imò errarunt actu ipso, sæpius mutarunt suas opiniones, sibi contradicunt, qvorum scripta multa interiêre, falsa autem substituta sunt illorum nomine, imò qvorum scripta omnia ab uno perlegi non possunt, illorum expositio regula fidei & controversiarum decidendarum esse neqvit: tales autem sunt Patres ut supra part. 1. cap. 3. probatum est; ergo illorum expositio norma fidei & decidendarum controversiarum esse non potest.

539] Imò (1) Patres reijciuntur sæpe ab ipsis Pontificijs, testantur hoc Bellarminus, Maldonatus, Barradius, qvi sæpissimè discedunt ab expositione hujus & illius Patris, Patresq; Patribus sæpe opponunt & præponunt. (2) Qvid qvod Patrũ plurimorũ expositio fidem Lutheranã manifestè propugnat & Pontificijs adversatur. Probarunt hoc per omnes articulos gravissimi Theologi: *Chemnitius in Examine, Hunnius in Controversiis, Heilbrunnerus in Papatu Acatholico, Eckardus in Compendio Patrum, Perkinsus in ementito Catholicismo, Polanus in Symphoniâ Catholicâ, Pelargus in Jesuitismo novo, Himmmelius in disput. contra Helfr. Ulr. Hunn. secundum seriem omnium seculorum* & alij, (3) Et licet Bellarminus, atq; ex eo Janssenius hinc inde

Patrum

Patrum teſtimonia citent pro confirmatione dogmatum Papalium, ſolidè tamen reſponſum eſt jam diu ab alijs ad hæc teſtimonia; ſcilicet â noſtro Gerhardo in Locis, â Marco Antonio de Dominis in Lib. de Rep. Eccleſ. â Chamier in Panſtratia & alijs, qvem actum agere & prolixas reſponſiones ad Patrũ citata huc transſcribere nõ eſt neceſſarium. Si Pontificij poſſunt, citatos Authores evolvant, & reſponſiones ad loca Patrum datas, refutent, qvod ſi Janſſenius faceret, magnus nobis eſſet Apollo.

540] Qvanqvam verò obſtrictus non eſſem ad examen & reſponſionem iſtius Enchiridij Janſſeniani, cum ea ſatis â me ſint refutata, qvæ Admonitioni meæ Janſſenius oppoſuit: ne tamen videatur ſibi ſapere Monachus iſte, breviter Enchiridion ipſius examinare placet & ad dicta ex ſacris citata reſpondere: Faxit Deus ut fiat cum gloriâ nominis ſui & Eccleſiæ incremento.

Caput Primum.

De Traditionibus.

541] JAnſſenius hoc caput inſcribit *De Scriptura*, cum tamen in eo non agat de Scripturâ ſed *de Traditionibus*, qvas præter verbum ſcriptum recipiendas eſſe dictis aliqvot Scripturæ probat. Miror autem qvod cæteras omnes & qvidem maximè arduas controverſias de Scripturâ non propoſuerit: *de authoritate Scripturæ, unde dependeat, an officio Judicis & normæ fungi poſſit, an in articulis fidei ſatis ſit perſpicua,*

qvæ sit distinctio Librorum Scripturæ, an textus Hebræus & Græcus sint corrupti, an vulgata versio sit authentica, unde sensus Scripturæ dependeat, qvotuplicē habeat sensum; an soli Papæ competat jus interpretandi Scripturas, an Pontifex contra Scripturam possit disponere, an novos libros Scripturis possit ingerere; an Apostoli scripserint ex mandato divino; an Scriptura sit externum commonitorium? Hæc & alia plurima magni momenti Janssenius silendo præterit, & unicum caput de Traditionibus non Scriptis ac præter verbum Dei recipiendis proponit: dicta autem Scripturæ, qvæ citat, nullo modo hoc evincunt.

542] Joh. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, qvæ non potestis portare.* Cap 21. v. 25. *sunt & alia multa qvæ fecit Jesus, qvæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qvi scribendi sint, libros.* Resp. (1) hæc dicta tantùm hoc evincunt non omnia ab Evangelistis esse dicta & scripta, qvæ Christus dixit aut fecit. Omissa verò illa ad salutem conseqvendam scitu esse necessaria ex hisce locis non potest deduci, qvod tamen principaliter in qvæstionem venit. Actor. 1 v. 1. ait Lucas: *se scripsisse de omnibus qvæ cœpit Jesus facere & docere*, scilicet ad salutem necessarijs. (2) Omnia qvæ Christus dixit aut fecit, non eqvidem sunt scripta, qvoad speciem & omnia particularia, interim qvoad genus omnia sunt annotata; omnia enim dicta & facta Christi eundem habuerunt scopum; ita sufficit Christum pœnitentiam prædicasse, licet non omnia ejus extent formalia, sufficit ipsum sanasse cœcos, licet non omnes cœci nomi-

nominatim describantur. (3) Petimus probationem conseqventiæ, qvædam non sunt scripta ab Apostolis, ergò eadem sunt scripta in Traditionibus Ecclesiæ Romanæ; istæ Traditiones sunt κρινόμενον de qvo controvertitur, illarũ αὐθεντία & origo divina prius est probanda. (4) Joh. 16. v. 12. eqvidem Christus ait *multa habeo vobis dicere, qvæ non potestis portare*, sed immediatè addit; *cum autem venerit Spiritus ille veritatis deducet vos in omnem veritatem, non loqvetur de semetipso, sed qvæ audit, loqvetur, de meo accipiet & annunciabit vobis*. Cap. 14. v. 26. *ille vos docebit omnia*: non ergò loqvitur de dogmatibus qvibusdam novis Apostolis adhuc ignotis, sed de ijs, qvæ ipsis prædicaverat, qvæ tamen propter infirmitatem nondum poterant intelligere, Spiritus Sanctus autem in adventu miraculoso ipsis omnia in memoriam revocabat, ut poterant nosse gravissima illa mysteria, qvæ ante adventum istum capere non poterant. (5) Opponimus Pontificijs dicta Johan. 15. versu. 15. *Omnia, qvæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*. 1. Johan. 1. v. 3. 4. *hæc scribimus vobis ut gaudium vestrum sit perfectum*. Si autem Christus omnia nota fecit suis Discipulis qvæ â Patre acceperat, & Apostoli ita scripserunt, ut gaudium nostrum perfectum esse possit, utiq; nihil erit prætermissum, qvod ad salutem conseqvendam scitu erit necessarium.

543] Actor. 1. v. 3. *Per dies 40. apparens ijs & loqvens de regno Dei*. Respond. (1) Nulla est con-

consequentia, Christus cum Discipulis suis locutus est post resurrectionem, ergo nova quædam dogmata illis proposuit, quæ ipsi in literas non redegerunt, sed tantùm vivâ voce propagarunt, & Ecclesiæ Romanæ tradiderunt: unde, qva connexione, qvo medio Pontificij hanc consequentiam probabunt? (2) Summa illius Colloqvij fuit *de regno Dei*, id est, de regno gratiæ & gloriæ, explicuit eis omnia capita, qvæ ad regnum Dei pertinent, scilicet illud non esse terrenum, sed cœleste, ideo opus fuisse passione & morte Filij Dei, ut homines in hoc regnum possent transferri & ex faucibus Sathanæ liberari, se ideo resurrexisse & ad cœlos ascendere, ut regnum illud inchoaret & nobis præpararet; medium verò eò perveniendi esse verbi prædicationem; summa istorum Luc. 24. v. 46. seq. comprehenditur, dum Christus ait: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes initio facto Hierosolymis.*

544] 1 Cor. 11. v. 2. *Laudo vos fratres, qvod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Respond. (1) probetur iterum consequentia, Paulus hic qvædam tradidit, ergo ea postmodum non sunt scripta, sed vivâ tantùm voce propagata, & qvidem Romanensibus in custodiam tradita, ergo fuerunt qvædam ad salutem necessaria; tum temporis nondum omnia erant scripta, ergo nec alio tempore.

(2) Jans-

(2) Janssenius ait, *ea fuisse præcepta de modo orandi & sumendæ Eucharistiæ*; sed de modo orandi v. 3. 4. 5. 6. 7. illius capitis alijsq; in locis plurimis Apostolus tractat. Qvod attinet modum Eucharistiam administrandi, distingvendũ est inter substantialia & ceremonialia; illa sufficienter scripta sunt, cum Paulus institutionem Dominicam repetat versu. 23. seq. qvæ antea â Matthæo, Marco, Lucâ, erat descripta. Ceremonialia autem tantùm qvoad genus sunt necessaria, ut scilicet omnia fiant ordine & decenter; in specie autem Ceremoniæ relictæ sunt in Ecclesiæ libertate, neq; enim nos obligamur ad ceremonias Ecclesiæ Conrinthiacæ, qvas nec ipsi Pontificij observant. (3) Corinthij erant divites facti *in omni verbo & omni scientia* 1. Corinth. 1. versu. 5. qvod Apostolus scribere non potuisset, si qvædam dogmata ad salutem necessaria ipsis tunc communicasset.

545] 2. Thess. 2. versu. 15. *Itaq; state fratres, tenete traditiones qvas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Respond. supra cap. 5. num. 125. de Traditionibus hic locus fuit explicatus; hic unicum addo: Pontificij probent conseqventiam; Paulus qvædam vivâ voce tradidit Thessalonicensibus, ergo fuêre nova dogmata fidei ad Salutêm necessaria; ergo scripturis nunqvam sunt inserta, ergo in Traditionibus Ecclesiæ Romanæ certò inveniuntur.

546] 1. Tim. 6. v. 20. *ô Timothee depositum custodi.* 2. Tim. 1. v. 13. 14. *formam habe sanorum verborum, qvæ â me audivisti, bonum depositum custo-*

custodi per Spiritum Sanctum. Respond. (1) per καλὴν παρακαταθήκην intelligitur totum systema Christianæ doctrinæ, qvam Paulus Timotheo tradiderat; *retine formam sanorum verborum, qvæ a me audisti in fide & dilectione qvæ est in Christo Jesu*, 2. Timoth. 1. versu. 13. Paulus Timotheo omnia exposuerat, qvæ Moses & Prophetæ locuti sint Actor. 26. versu. 22. ipsumq; ad Scripturam remiserat, qvæ hominem ad salutem *perfectè* posset instruere 2 Timoth. 3. versu. 15. 16. Hæc omnia verò fuerunt ea ipsa doctrina, qvam Paulus in hoc loco depositum vocat. (2) Posito autem sed non concesso per depositum qvasdam traditiones esse intelligendas, qvomodo seqveretur, ergo fuerunt nova qvædam dogmata ad salutem necessaria, ergo nunqvam sunt in Scripturis proposita sed vivâ voce semper propagata, ergo certò in Ecclesiâ Romanâ asservantur, nisi hanc conseqventiam probabunt, ex hoc loco nihil evincetur.

547] 2. Timoth. 2. v. 2. *Qvæ audivisti a me per multos testes, commenda fidelibus hominibus, qvi erunt idonei & alios docere.* Respond. (1) Pontificijs incumbit probatio, ea qvæ Timotheus â Paulo audiverat, fuisse nova & occulta dogmata, in Scripturis nunqvam comprehensa, & vivâ vocè semper propagata in Ecclesiam Pontificiam usq;. (2) Ea ipsa qvæ Timotheus â Paulo audiverat fuerunt depositum illud Christianæ doctrinæ, hoc depositum Timotheus debebat viris idoneis commendare, non enim sufficit, ut Libri

bri biblici â Librarijs sæpius describantur, & in thecis diligenter asserventur , sed necesse est ut publicè proponantur, â corruptelis vindicentur & ad posteritatem propagentur; hoc autem fieri oportet per viros idoneos, hoc est per Ecclesiæ Ministros, qvibus Scripturæ publica interpretatio incumbit, his commendandum est depositum illud , ut sanctè asservetur & ad posteros propagetur.

548] 2. Joh. v. 12. 3. Joh. v. 13. *Multa habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum.* Resp. libenter concedimus, qvod Johannes in brevissimis illis Epistolis non omnia scripserit, verùm non est qvæstio de Epistolis Johannis, sed de toto codice veteris & novi Testamenti, an non in illo omnia ad salutem necessaria contineantur, nec enim seqvitur, qvædam in Epistolis Johannis non sunt scripta ergò nec in toto codice Bibliorum; deinde si maximè Johannes qvædam vivâ voce suis auditoribus tradidisset, qvomodo Pontificij probabunt ea fuisse dogmata ad salutem necessaria nullibi in sacris expressa, sed per manus Christianorum tradita, eaq; certo in Ecclesiâ Romanâ hodie inveniri ? ritus vel facta qvædam fuerunt singularia, qvæ Johannes ad colloqvium cum auditoribus suis reservabat.

549] Tandem qværit Janssenius *ubi doceatur Scripturam esse totalem fidei normam, & nihil credendum, qvod in ea non sit traditum* ? sed ad hoc ζήτημα supra sufficienter est responsum cap. 5. de Traditionibus n. 134. *De numero Sacramentorum,*

torum, n. 79. de Eucharistia fœminis porrigenda, de virginitate Mariæ & similibus partibus supra n. 135. fusiùs actum est.

Caput secundum.

De primatu Petri & Pontificis Romani.

550] OMissis gravissimis de Scripturâ Controversijs Janssenius transit ad primatum Petri, qvem ex Scripturis probare satagit, dicta verò citata partim supra sunt refutata. Ad verba Christi Luc. 22. v. 32. *Rogavi pro te ne fides tua deficeret supra* cap. 4. n. 107. sufficienter responsum est. Qvod attinet dictum Johan. 21. v. 16. *Pasce oves meas.* Respond. (1) Vox pascere tribuitur interdum Magistratui politico, ut 2. Sam. 5. v. 2. & 7. Apoc. 19. v. 15. & sic pascere idem est, qvod *regere.* Interdum verò tribuitur Apostolis & Ecclesiæ Ministris, ut Act. 20. v. 28. 1 Pet. 5. v. 1. 2. Eph. 4. v. 11. & ita significat *docere* & alias Ministerij partes obire, desumptâ comparatione ab officio Pastorũ, qvi oves suas ducunt, pascunt, mundant, defendunt, qværunt & reducunt. (2) Vox ista cùm de Apostolis & Ministris Ecclesiæ legitur, non significat principatum aut dominiũ, sed ministerium, Christus enim principatũ prohibuit Luc. 21. v. 25. 26. Petrus ipse monet Pastores *ne dominẽtur gregi*, 1 Pet. 5. v. 2. Imò Paulus qvi omniũ Ecclesiarũ curã habebat, 2 Cor. 11. v. 28. sese & cæteros Apostolos vocat *servos*, 2 Cor. 4. v. 5. (3) Non potest â Pontificijs ullus Scripturæ locus afferri, in qvo pascere

idem

idem sit ac regere, cur igitur hoc in loco regimen significaret? (4) In fontibus semel habetur ποιμαίνειν pascere & bis βόσκειν, hæc duo sunt æqvipollentia, per *pascere* utraq; vox vertitur, sed βόσκειν nullibi notat dominium vel regimen, verùm semper pasturam vel propriam vel metaphoricam, ergo & vox ποιμαίνειν eodem sensu erit exponenda. (5) Si pascere notat regimen monarchicum Papæ, seqvitur omnes Apostolos fuisse, & omnes Pastores adhuc esse Monarchas, qvod falsissimum. Apostoli *omnes gentes docebant* Matt. 28. v. 19. *omni creaturæ prædicabant* Mar. 16. v. 15. nec tamen omnes erant Monarchæ. (6) Si universalis pastura Petro fuisset commissa, utiq; totam Ecclesiam pavisset, sed hoc non fecit, nec facere potuit, verùm unà cum ipso cæteri Apostoli, *Petrus ad Judæos & Paulus ad gentes ablegabatur* Gal. 2. v. 9. Huc refer ea qvæ supra cap. undecimo de primatu Pontificis Romani prolixe sunt disputata. Trinam verò commendationem ovium Petro factam fuisse triplex solatium Petri propter trinam abnegationem Christi, ex Patribus monstrat Gerhardus in Harmon. Resurrect. p. 380. seq. ubi ad exceptiones Bellarmini qvoq; respondet.

551] Matth. 17. v. 27. *Dominus jussit tributum solvere pro se & Petro, da, inqvit, illis pro me & te; ergò Petrus omnibus Apostolis fuit prælatus.* Resp. si qvis per febrim somniaret hanc conseqventiam, commiseratione dignus esset; qvomodo, qva connexione, qvo medio hoc seqvitur, Petrus dedit tributum, ergo fuit Pontifex. (1) Inverto potius

argumentum; Petrus dedit tributum Magistratui, ergo non fuit Pontifex, qvia Pontifex sese & omnes clericos â potestate Magistratus exceptos esse dicit, & tributum dare recusat; aut si Petrus fuit Pontifex, ergo hodierni Pontifices Petro non succedunt, utpote qvi Magistratui sese subijcere nolunt. (2) *Maldonatus* in cap. 17. Matthæi p. 365. refert, Chrysostomum & Euthymium aliam dare causam, cur pro Petro & non pro cæteris Apostolis fuerit datum tributum, qvia illud â solis primogenitis fuit exactum, Petrum autem fuisse primogenitum. Janssenius ergò â Chrysostomo & Euthymio discedit contra propriam hypothesin, *ab expositionibus Patrum non esse recedendum*. (3) Longè alia est ratio, cur Christus tributum dederit pro se & Petro, habitabant illi ambo in Capernaum Matth. 8. v. 14. Mar. 2. v. 1. Luc. 4. v. 31. 38. adeoqve erant cives illius loci, qvod de cæteris Discipulis non legitur. (4) cæteri Apostoli non collegerunt primatum aliquem ex ista solutione tributi; aliàs Apostoli de primatu non certassent Matth. 18. v. 1. neqve Jacobus & Johannes de eo solliciti fuissent. Matth. 20. v. 21.

552] Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum, qvodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & qvodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Respond: (1) per usum clavium non intelligitur primatus in Ecclesiâ de potestate præcipiendi, puniendi, dispensandi, leges condendi, concilia congregandi, canones sanciendi, bona Ecclesiastica dispensandi &c. Sed potestas

ſtas peccata remittendi & retinendi qvâ cœlum aperitur pœnitentibus, impœnitentibus clauditur; iſtæ claves igitur non imperium ſed miniſterium notant, atq; ita Chriſtus ipſe explicat Matth. 18. v. 18. *qvæcunq; ligaveritis ſuper terram, etiam ligata erunt in cælo, & qvæ ſolveritis ſuper terram, etiam ſoluta erunt in cælo.* Et Joh. 20. v. 23. *qvorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & qvorum retinueritis, retenta ſunt.* (2) Poteſtas iſta non fuit data ſoli Petro, ſed toti Eccleſiæ, qvam Petrus repræſentabat, qvia nomine cæterorum Apoſtolorum ſolus reſpondebat, ideo Chriſtus ipſum ſolum nomine cæterorum alloqvebatur, & qvam poteſtatem hic Petro tribuit, eandem cæteris Apoſtolis omnibus dedit Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. qvi claves regni cœlorum qvoqve acceperunt & peccata remittendo ac retinendo ijsdem uſi ſunt. Imò tota Eccleſia, omnes Epiſcopi ac Miniſtri uſum clavium exercuerunt poſt Petri mortem, qvod fieri non potuiſſet, ſi ſoli Petro hæc poteſtas data fuiſſet.

553] Act. 15. *Petrus in Concilio primus loqvitur, & ſententiam ejus Jacobus ac omnes alij ſeqvuntur; imò* Act. 1. *cœtum Diſcipulorum colligit, ac qvaſi Concilium congregat.* Reſp: Concilium illud pro primatu Petri non militat, nam (1) in illâ controverſiâ de circumciſione non ad ſolum Petrum ſed ad omnes Apoſtolos provocatum eſt, qvi omnes tanqvam judices controverſiæ adfuerunt, votis communibus eam deciderunt, deciſionemq; ad Antiochenas miſerunt, hinc legitur v. 6. *conveneruntquè Apoſtoli & Seniores videre de*

verbo hoc: v. 22. 25. *placuit nobis collectis in unum*; v. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Si autem Petrus fuisset Pontifex, solus sententiam tulisset; solus eam executus fuisset. (2) Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 16. testatur, in isto Concilio interfuisse Apostolos tanqvam judices ad definiendum: Si autem Apostoli omnes tanqvam judices ad definiendum convenerunt, uni Petro illud non potest adscribi, qvod tamen fuisset necessarium, si Pontifex fuisset, Pontificis enim est summum judicium ferre de Controversijs, uti etiam decisiones exseqvi. (3) De Jacobo hoc posset dici probabilius, is enim v. 19. ait: *ego judico non inqvietari eos, qvi ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant.* Judicium illud Jacobi *ab omnibus* Apostolis fuit approbatum v. 29. nec tamen Pontificij exinde inferre volunt, Jacobum fuisse summum Pontificem. (4) Petrus primò non locutus est in illo Concilio, sed ante Petrum magna contentio fuit inter Discipulos; qvâ contentione finitâ, Petrus demum votum & sententiam suam protulit v. 7. & si maximè omnium primus fuisset inloqvendo, Pontificatus tamen ipsius exinde minimè deduci posset. Act. 1. Petrus non convocavit Discipulos, illi enim semper erant congregati & perseverabant unanimiter in oratione v. 14. In medio autem illorum Petrus exsurgens loqvebatur, nec tamen Apostolum eligebat, verùm omnes Discipuli duos Domino sistebant, super eos orabant, & sortem dabant v. 23. 24. seq.

554] Prærogativæ Petri, qvas Janssenius recen-

cenſet, Primatum Petri non evincunt. (1) *Nomen Petri Chriſtus mutavit*; at nomina Jacobi & Johannis etiam mutavit, eosq; Boanerges, id eſt, filios tonitru, vocare voluit, Mar. 3. v. 17. Chriſtus alterum Simonem Cananæum, Zelotem vocavit Luc. 6. v. 15. & Paulus antea dicebatur Saulus. (2) *Petrus ſemper primo loco ponitur ubi de Apoſtolis ſermo eſt*; falſum hoc eſt, nam Joh. 1. v. 40. 41. Andreas ipſi præponitur. Gal. 2. v. 9. Jacobus præponitur. 1. Cor. 3. v. 22. Paulus & Apollo præponuntur. Imò omnes Apoſtoli ipſi præponuntur, 1. Cor. 9. v. 5. (3) *Divinitas ipſi eſt ſpeciatim revelata* Matth. 16. at revelatio illa non fuit ſingularis per aliqvam viſionem aut apparitionem, verùm communis cum omnibus Diſcipulis per Spiritus Sancti illuminationem & Chriſti prædicationem. Etiamſi autem ſpecialiter ipſi fuiſſet revelata, Johanni tamen cœlitus talem qvoq; revelationem contigiſſe teſtatur Prochorus in cap. 1. Johan. qvi tamen ideo Pontifex non fuit. Imò Matth. 14. v. 33. ante hanc revelationem Petro factam Apoſtoli eandem Confeſſionem ediderunt, Chriſtum eſſe Filium Dei. (4) *Chriſtus Petro pedes primò abluit*; hoc ex hiſtoriâ probari non poteſt, imò Chryſoſtomus in Johannem, & qvi eum ſeqvuntur Theophylactus & Euthymius hoc negant, & â Judâ initium factum fuiſſe dicunt. Maldonatus qvoq; ſuper hunc locum curioſi lectoris eſſe ait, qværere qvem Apoſtolorum Chriſtus primò laverit. (5) *Mors ipſi prædicta eſt á Chriſto* Joh. 20. atqvi Chriſtus omnibus Diſcipulis prædixit perſecutionem & mortem Joh. 16. v. 2. (6) *omnium no-*

 mine

mine solitus fuit respondere; at ex eo non potestatis, sed ordinis tantùm primatus seqvitur; multi enim respondent nomine aliorum, in qvos tamen potestatem non habent. Imò Thomas & Philippus nomine cæterorũ Christum qvoq; alloqvun- Joh. 14 v. 5. & 8. (7) *solus fuit increpatus à Christo propter somnolentiam*; falsum hoc est: omnes enim excitat, ad vigilantiam & preces admonet Matth. 26. v. 41. 45. 46. (8) *Resurrectio ipsi speciatim annunciata est jussu Angeli* Mar. 16. at hoc non factum est primatus sed consolationis causa, Petrus enim præ cæteris graviter peccaverat, ergo præ cæteris solatio indigebat. (9) *Christus ipsi prius apparuit, qvàm cæteris Apostolis*; hoc etiam solatij causâ factum; qvia enim Christum ter abnegaverat, Christus apparitione suâ ipsum peculiariter solari voluit; imò Christus primo omnium Mariæ Magdalenæ apparuit Joh. 20. v. 14. qvæ tamen ex hac apparitione primatum Ecclesiasticum non adepta est. (10) *Primus prædicavit post adventum Spiritus Sancti*; Act. 2. v. 4. dicitur: repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqvi varijs lingvis, v. 6. audiebat multitudo illos loqventes, v. 11. audiebant eos loqventes magnalia Dei. v. 14. autem Petrus demum solus elevavit vocem suam; ergo Petrus tum demum solus locutus, cum cæteri omnes magnalia Dei prædicassent. (11) *Visitavit omnes Ecclesias* Act. 9. atqvi hoc fuit proprium Apostolatus non uni Ecclesiæ præesse, sed ire in mundum universum & prædicare Evangelium omnibus creaturis, Ecclesias ubiqve plantare atqve plantatas confirmare. (12) *Primus*

genti-

gentiles in Ecclesiam admisit Act. 10. atqvi Act. 9. v. 29. anteqvam Petrus Cornelium converteret, Paulus loqvebatur cum gentibus & disputabat cum Græcis. (13) *Paulus invisit Petrum tanqvam majorem* Gal. 1. In textu non legitur, qvod Petrum qvasi superiorem visitaverit, ut ab eo aliqvid disceret, vel ipsius potestati se subijceret; sed concessit Hierosolymã, ut Petrum videret, ipsumq; ut Collegam & Amicum salutaret, ac subseqventis amicitiæ initium faceret, atqve opera Domini, qvæ in conversione suâ accidissent, ipsi enarraret. Rectè autem Janssenius addit, *qvod istæ prærogativæ primatum Petri Ecclesiasticum non demonstrent,* p. 377.

555] Si verò prærogativis esset agendum, Apostolo Paulo primatus Ecclesiasticus esset tribuendus, in qvo prærogativæ longè excellentiores inveniuntur. Paulus vocatus est modo longè excellentiore qvam Petrus, magnâ etenim pompâ vocabatur, lumine cœlitus fulgente, & Christo jam exaltato ipsum alloqvente Act. 9. v. 3. seqq. Petrus autem â Christo exinanito vocabatur sine pompâ & majestate Matt. 4. v. 18. 19. Paulus abreptus fuit in Paradisum seu tertium cœlum, in qvo audivit verba ἄῤῥητα 2. Cor. 12. v. 1. seqq. de Petro autẽ hoc non legitur. Christus apparuit Paulo visibiliter post ascensionem Act. 23. v. 11. 1. Cor. 15. v. 8. De Petro autem hoc non legitur. Paulus erat universalis Apostolus omnium gentium, imò qvi καῖ' ἐξοχὴν Apostolus vocatur sine nominis adjectione; Petrus autem non item. De Paulo non legitur ipsum errasse in Apostolatu, Petrus

autem errabat simulando, cui erranti Paulus graviter resistebat Gal. 2. v. 11. Paulus plures Ecclesias plantavit, & plus laboravit qvàm cœteri omnes 1. Cor. 15. v. 10. plures etiam pro Christo & Evangelio ipsius plagas & calamitates sustinuit, 2. Cor. 11. v. 23. seq. de Petro autem hoc non legitur. Paulus ait. *ego curam ago OMNIUM ECCLESIARUM* 2. Cor. 11. v. 28. Petrus hoc nullibi dixit: si dixisset, proh qvantâ gloriatione, primatum ipsius Pontificij hic essent deducturi. Paulus fuit instructus notitiâ Philosophiæ & doctrinæ Pharisaicæ, adeoq; sapientior Petro Piscatore. Paulus plura edidit scripta qvam Petrus, Epistolam ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem; Petrus autem tantùm duas Epistolas nobis reliqvit. Ministerium Pauli longè erat difficilius qvam Petri, ille enim cum gentibus incredulis & obstinatis Philosophis disputabat, qvi Scripturam non recipiebant, sed solâ ratione humanâ agebant. Judæi autem, qvos Petrus convertebat, Messiam expectabant & multos fidei articulos credebant imò libros Mosis & Prophetarum pro fidei principio admittebant. *Bellarm.* lib. 1. de Pontifice Romano Cap 27. cogitur fateri, *Paulum in antiqvis imaginibus & diplomatibus Petro interdum fuisse præpositum, ita ut inde colligat, Apostolos illos vel fuisse pares inter se, vel ignorari uter alteri præstet, siqvidem Petrus major sit potestate, Paulus sapientiâ; Petro clavis potentiæ; Paulo clavis sapientiæ data sit.* Cum itaq; prærogativæ Pauli sint

ex-

excellentiores qvam Petri, Paulo potius qvàm Petro universalis Pontificatus adscribendus esset, præsertim qvum Bellarminus fateatur in loco citato Paulum non minus qvam Petrum Ecclesiam Romanam fundasse & gubernasse.

556] Restat dictum illud classicum Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; cujus examen hic instituere placet. Ad hunc locum in Admonitione meâ respondi (1) Christum esse veram Petram & fundamentum Ecclesiæ, 1. Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20. Esa. 28 v. 16. 1. Pet 2. v. 6. (2) Ecclesiam ædificatam esse non super Petrum, sed Petram, â qvâ Petrus denominabatur, id est, Christum, explicante sic *Augustino* lib. 13. de verbis Domini. (3) Petrus abnegavit Christum Matt. 26. v. 70. 72. 74. Corinthij reprehēsi sunt, qvod â Cepha Cephitas se vocarint, 1. Cor. 1. v, 12. hoc autem cum primatu Petri stare non posse. (4) Ex sacris non posse demonstrari Petrum 25. annis Romæ sedisse, & dominatum exercuisse, cum hoc sit contra mandatum Christi de abitione in universum mundum, & contra ipsius Petri cum Paulo conventionem, ubi Petrus Judæis prædicare promiserat. (5) posito Petrum Romæ fuisse, non tamen seqvi, ipsum sedem Pontificalem erexisse, & posteros suos ad dominatum politicum obligasse. Imò Pontifices si maximè succedunt in loco, non tamen in doctrinâ, exemplo Caiphæ, qvi Aaroni succedebat simili modo. Janssenius respondet p. 323. & seq.

557] *1. Remitto te*, ait, *ad libros Turrecrematæ, Cajetani, Bellarmini, Cani, Suaretzij &c.*

Resp: Theologi accuratiores hoc modo non disputant, nudis enim allegationibus authorum in probando fidei articulo Lectori non potest satisfieri, citanda essent argumenta & responsiones illorum authorum, qvod dum Janssenius non fecit, responsiones ad illorum argumenta â me non expectet: si hoc modo voluisset disputare, qvid opus habuisset librum conscribere, potuisset paucis pagellis in omnibus ad alios authores me remittere: imò hac respondendi formulâ possem libros benè multos in Papatu breviter refutare, remittendo lectorem nudis allegatis ad aliorum scripta & labores.

558] *Patres aliqvot citat, ex Bellarmino Tertullianum, Hieronymum, Ambrosium, Athanasium &c. qvi testantur per Petram ipsum Petrum* intelligi: ad ista verò testimonia sufficienter respondit *Gesnerus* in disputatione super hoc dictum, qvæ extat in Tomo 1. Witteberg. p. 613. seqq. Item *Chamier in Panstratia* Tom. 2. lib. 11. cap. 5. Nos alios Patres opponimus, qvi hoc dictum non de Petri personâ sed confessione exposuerunt. *Chrysostomus* Hom. 55. in Matth. *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atq; confessionem.* Item Tom. 3. Serm. de Pent: *super hanc Petram, non dixit, super Petrum. Non enim super hominem sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam. Qvid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei vivi. Petram vocavit Ecclesiam fluctus suscipientem & non titubantem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Qvid est super Petram? hoc est, super Confessionem, super sermones pietatis.*

Ibi-

Ibidem paulò antè: *Apostoli sunt fundamentum, quia in confeßionem ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc Petram fundabo Ecclesiam meam.* Ambrosius in Lucam lib. 6. c. 9. *Magna Christi gratia, qvi omnia propè vocabula sua discipulis donavit suis. Ego sum, inqvit, Lux mundi, & id tamen, qvo ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit, dicens: vos estis lux mundi &c.* Ibid. *Petra est Christus,* 1 Cor. 10. *Etiam Discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipse sit Petrus, qvod de Petrâ habebat soliditatem, constantiæ & fidei firmitatem. Enitere ergo, ut & tu petra sis. Super hanc petram ædificetur domus tua, ut nullis poßit neqvitiæ spiritalis everberari procellis. Petra tua fides est, fundamentum Ecclesiæ fides est.* Theophylactus in Matth. 16. *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, qvod super eum ædificavit Ecclesiam. Qvia enim confeßus erat eum Dei Filium Petrus, dixit, qvod hæc confeßio, qvam confeßus est, fundamentum erit futurum credentium; ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc jacturus sit fundamentum.*

559] *Augustinum*, ait Janssenius, *nunqvam improbaße eam expoßitionem de Petri persona, sed tantùm aliam de Petri confeßione prætulisse* lib 1. Retract. cap. 21. Resp: imò Augustinus improbavit, ita enim expreßè scribit Tract. 124. in Johannem p. 572. *Ecclesia fundata est super petram, unde & Petrus nomen accepit Non enim â Petro petra sed Petrus â Petra: sicut non Christus â Christiano, sed Christianus â Christo vocatur. Ideo qvippe ait Dominus: super hanc Petram ædifica*

ædificabo Ecclesiam meam: qvia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc ergo, inqvit, Petram, qvam Confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super qvod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum qvippe aliud nemo potest ponere præter id, qvod positum est, qvod Christus JEsus. Idem de verbis Domini Serm. 13. *Petra Principale nomen est, ideo Petrus â Petrâ, non Petra â Petro, qvomodo non â Christiano Christus, sed â Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inqvit, Petrus, & super hanc Petram qvam Confessus es, super hanc Petram qvam cognovisti, dicens; Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me, ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant, ego qvidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* In hisce verbis Augustinus non dubitativè sed assertivè loqvitur. Scribit eqvidem lib. 1. Retract: cap. 21. *Harum autem duarum sententiarũ, qvæ sit probabilior, eligat Lector*; in his verbis autẽ sententiam suam non mutat, neq; aliqvid profert in qvo Pontificij patrocinium qværere possent. Qvod si verò alicubi sententiam suam mutasset, exemplum hoc esset inconstantiæ Patrum qvi vel eâ de causâ canon & norma fidei esse non possunt.

560] Verum dicti illius sensum, Janssenius ait, esse hunc; *Tu es Cephas (ita enim vocabatur Petrus Joh. 1.) id est, Petra, in lingvâ Syriacâ; & super hanc Cepham, id est, Petram, ædificabo Ecclesiam meam; ubi Petrus & petra non permutatur sicut in græco & latino, verùm utrobiq; vox Cephas seu Petra in Syriaco*

riaco invenitur, qvo idiomate Christus usus est p. 327. Respondetur.

561] Concedimus Christum Syriaco idiomate usum esse, Apostoli autem Novum Testamentum non reliqverunt nobis conscriptum Syriaco sed græco idiomate, ergo ad græcum exemplar, tanqvam ad fontem infallibilem recurrimus. *Bellarm.* lib 2. de verbo Dei cap.4. ejusdem est sententiæ, qvando scribit; qvod si editio Syriaca ætate horum Patrum est posterior, ut ego qvidem mihi certò persuadeo, non potest ejus authoritas tanta esse, ut cum editione Græcâ aut latinâ meritò comparari possit. Ut interim illud omittam, qvod desunt etiam qvædam in illâ editione, qvæ eruditis & pijs non admodum placent. Ex communi igitur hypothesi non ad idioma Syriacum, sed ad Græcum in Novo Testamento recurrendum est.

562] Si verò textum Syriacum evolvamus, apparebit, Cepham utrobiq; qvidem usurpari à Christo (Tu es Cephas & super hanc Cepham) interim adjecto pronomine Proprium ab Appellativo manifestè distingvi. Qvando enim Christus ait, *Tu es Cephas*, addit Pronomen Masculinum הוּ, qvasi dicat, tu es ille Cephas; qvando verò ait; *& super hanc Cepham*, non utitur Pronomine masculino sed fœminino הָדָא hanc. Si ergo per Cepham in verbis posterioribus intellexisset ipsum Petrum necessariò usus [illegible]isset relativo masculino, ita ut cum antecedente conveniret: non autem utitur masculino sed fœminino; ergo in verbis

verbis posterioribus non intelligit per Cepham antecedens, hoc est Petrum ipsum, sed aliam Cepham. Discursum hunc & ejus connexionem intelligit qvilibet, qvi primis saltem labijs lingvam originalem degustavit.

563] Correspondet huic expositioni textus græcus & latinus: Græcus qvidem σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: non utrobiqve utitur voce Petrâ, sed primò Petrum propriè, deinde petram appellativè usurpat, prout etiam vulgata versio id exprimit. Et certè Christus Simonem nullibi vocavit *Petram* sed *Petrum* Luc. 6. v. 14. Matth. 10. v. 2. Mar. 3. v. 16. Imò si Petri personam in verbis posterioribus intellexisset, dixisset utiqve, *super hunc Petrum ædificabo Ecclesiam meam.* Vidit hoc ipsum Papa Romanus, convictus igitur in conscientiâ hoc dictum explicat de Christo, qvem confitebatur Petrus, non verò de personâ Petri, ut manifestè legitur, distinct. 19. Cap. 7. *Ita Dominus* Glossa, *& super hanc.* Imò *Becanus* videns hoc dictum non astruere posse primatum Petri, omisit illud in Manuali suo cap. 4. de Capite Ecclesiæ.

564] Janssenius excipit *rem in idem recidere; sive de personâ sive de confeßione Petri hoc intelligatur, cum fides Petri sit fundamentum Ecclesiæ, qvia ob meritum ejus fidei Petrus consecutus est, ut sit fundamentum Ecclesiæ* p. 328. Respond: (1) Fides non est persona Petri, nec persona est fides Petri, imò persona ista sine fide aliqvando substitit, qvomodo igitur in idem potest

ultrâ-

utraqve explicatio recidere? (2) Fides Petri duplici sensu dicitur vel notat fidem, *qvâ Petrus* credidit, & sic nullo modo est fundamentum Ecclesiæ, Ecclesia enim actui vel habitui credendi, qvo qvis credit, non superstruitur: vel notat fidem, *qvam Petrus* credidit, scilicet Christum esse Filium Dei viventis, & sic admittimus Petri fidem fuisse fundamentum Ecclesiæ. (3) Petrum ob meritum fidei suæ consecutum esse, ut sit fundamentum Ecclesiæ, qvo loco Scripturæ probatur? producantur libri, capita, versus, in qvibus asseritur Petrum meruisse fide suâ ut fundamentum esset Ecclesiæ. Cæteri Apostoli eandem fidem de Christo cum Petro habuerunt; imo omnes veri Christiani eandem cum Petro habent communem; cur igitur cæteri Apostoli non meruerunt? aut cur cæteri Christiani non merentur esse fundamentum Ecclesiæ? nempe somnia sunt & nugæ monachorum, qvæ de merito isto fidei Petrinæ proferuntur

565] 4. *Petrum Romæ certò sedisse ait, demonstrari ex traditionibus Ecclesiæ, ex Patribus & Historiis, imo ex prima Epistola Petri cap. 5. v. 13. salutat vos Ecclesia, qvæ est in Babylone collecta, ubi per Babylonem Romam, ait, intelligi, qvo nomine etiam in Apocalypsi describatur, propter abominanda flagitia & scelera Romæ gentilis* p. 330. Respondeo.

566] Non disputabimus jam, an Petrus circa finem vitæ suæ Romam venerit, ibidemq; â Nerone interfectus fuerit, sed principalis qvæstio est; an

an summum Romæ Episcopatum gesserit, cum dominio in reliqvas Ecclesias instar hodierni Pontificis, & qvidem per annos 25. continuos? hoc negamus seqventibus argumentis (1) Paulus scripsit Epistolam suam ad Romanos post natum Christum anno 55. Conversionis suæ 22. Claudij Imperatoris 13. sub finem Epistolæ autem nominatim salutat aliqvot Christianos, qvi tum temporis Romæ vivebant: si autem Petrus tum fuisset Romæ, ut Pontificij asserunt, qvi ipsum anno secundo Claudij eò devenisse communiter statuunt, qvomodo Paulus se potuisset continere, qvi ipsum tam magnum Christi Apostolum non cum reliqvis salutari petijsset, præsertim cum cæteros Collegas, amicos, hospites numero viginti qvinq; viros & fœminas nominatim salutandos petat. (2) Paulus Romæ captivus fuit detentus per biennium Act. 28. v. 30. Anno Christi 59. 60. Neronis 3. 4. Scripsit ibidem eo tempore Epistolas suas ad Galatas, Ephesios, 2. ad Timotheum, ad Philippenses, Colossenses, ad Philemonem. In Epistolis ad Philippenses, Colossenses & Philemonem socium subscriptionis adsciscit Timotheum; Petri verò nullam facit mentionem. In Epistolâ ad Philippenses salutat fideles nomine qvorundam Romanorum, *qvi erant ex Cæsaris familiâ* cap. 4. v. 22. Colossenses salutat nomine *Aristarchi & Marci consobrini Barnabæ, Item Jesu cognomine Justi, Epaphræ, Lucæ & Demæ*, Petri autem ne verbulo qvidem mentionem facit. In 2. ad Timotheum salutat *Timotheum nomine Eubuli, Pudentis Lini & Claudiæ* Cap. 4. v. 21. sed Petri nullam mentionem

nem facit, qvod nunqvam intermisisset, si Petrus eo tempore Romæ fuisset. (3) Paulus 2 Tim. 4. v. 10. 11. 16. scribit, *se in primâ suâ defensione ab omnibus fuisse desertum, excepto Lucâ*, qvod si Petrus tum Romæ fuisset, cum Paulus ad tribunal Cæsaris vocaretur, inhumaniter egisset, qvod Paulum in tanto periculo deseruisset, nec conversatione, nec consolatione ipsi adfuisset. (4) Paulus ad Galatas cap. 1. v. 18. scribit *sese anno post conversionem suam tertio Hierosolymam venisse & Petrum primò ibidem vidisse*: sed cap. 2. v. 1. testatur, *se post annos 14. Hierosolymam rediisse & Petrum ibidem denuò vidisse*. Annus verò iste erat qvinqvagesimus primus post natum Christum, & nonus Imperij Claudij; Petrus igitur anno Christi 51. adhuc in Judæa fuit. (5) Galat. 2. v. 8. Narrat Paulus, *qvod sibi concreditum sit Evangelium præputij, Petro autem circumcisionis*, hoc est, Paulus Gentibus, Petrus verò Judæis prædicavit Evangelium, exceptis paucis gentilibus, qvi in confinibus Judææ habitabant. In isto autem colloqvio Apostoli inter se convenêre & datis dextris confirmavêre, ut Jacobus, Petrus & Johannes posthæc inter Judæos, Paulus autem & Barnabas inter gentes Apostolatu fungerentur. Hisce promissis stetit Petrus procul dubio, qvi ad remotissimas gentes, qvales Romani fuerunt, stante hac promissione excurrere non poterat. Postea v. 11. Petrus Antiochiam venit, qvæ omnia si maximè facta fuissent uno anno, nempe Christi 51. & Petrus eodem adhuc anno Romam venisset, ac postea 25. annis ibidem sedisset, mors Petri incideret in Annum Christi 76. atqvi iste annus fuit

sextus Vespasiani, cum tamen Petrus ante Vespasianum sub Nerone sit interfectus.

567] Demonstratâ autem falsitate commenti de annis viginti qvinq;, qvibus Petrus Romæ dicitur sedisse, corruit veritas totius historiæ; si enim historici deprehenduntur manifestè errasse in annis 14 vel 15. qvis poterit nos certos reddere de reliqvis annis decem vel undecim. Posito autem Petrum ultimis vitæ annis Romam venisse, ibidemq; docuisse, ex eo tamen non seqvitur ipsũ summo Pontificatu functũ esse, docuit enim Hierosolymis, docuit Antiochiæ, & has Ecclesias plantavit, nec tamen Pontificij concludunt, ipsum Hierosolymis vel Antiochiæ summum Pontificatum gessisse. Qvomodo ergo id concludunt de Romanâ Ecclesiâ, qvæ demum post Antiochenam & Hierosolymitanam plantata fuit. Plura argumenta contra Romanum Petri Pontificatum vide apud *Aventinum* lib. 2. Annal.

568] Ubi igitur non est Antecessor ibi non potest seqvi successor, atqvi in Pontificatu Romano Petrus antecessor non fuit, ut modo probatum, ergo Pontifices frustra gloriantur se ipsius successores esse. Notetur autem qvàm ineptè Janssenius p. 333. probet *ex traditionibus à Pontifice confirmatis*, Papam esse Petri successorem; istæ enim traditiones æqve sunt incertæ ac Pontificis authoritas & confirmatio. Qværitur unde certum sit Papam esse Petri successorem, respondet Janssenius *ex Traditionibus*. Ulterius qværo, unde certum est, traditiones illas non fallere? respondet Janssenius *qvia Pontifices in decretis suis has confirmarunt*. Hac ratione

tione Pontifex traditiones, & traditiones Pontificē cōfirmant, qvi modus probandi puerilis est & ineptissimus. Si nos ita disputaremus, Lutherus docuit verū Evangelium, qvia articuli Smalcaldici hoc testantur, & ulterius authortatem istorū articulorum Smalcaldicorū probarem exinde, qvod Lutherus eosdem confirmarit, qvis non rideret circulare hoc probandi genus? idem judicium de hac probatione Janssenij esto.

569] *Per Babylonem 1 Pet. 5. v. 13. Romā intelligi*, ait Janssenius, sed (1) nullo argumento ex cōnexione & circumstantijs textus hoc probat; nuda assertio eâdē facilitate reijcitur qvâ producitur. (2) Romæ hanc Epistolam esse Scriptam ijsdem argumentis negamus, qvibus modò negavimus Petrū Romæ per 25. annos Pontificatū gessisse, series enim annorum & totius historiæ cohærentia hoc non admittit. (3) per Babylonē intelligimus propriè *urbē* scil. *Ægypti* qvæ hodie *Alcairum* vocatur, nulla enim subest causa cur Petrus nomen Romæ mutaverit. Janssenius putat hoc ideo factum esse, *ne si literæ interciperentur, Ecclesiam Christianā proderet*; sed hæc ratio est nullius momenti. Paulus enim in omnibus Epistolis Romæ scriptis nō veretur addere nomē urbis, imò familiarū qvarundā nominatim facit mentionē; si itaq; Paulus Romā & fideles ibidē toties nominans nō prodidit Ecclesiā Christianam, qvomodo solus Petrus eā de causâ verum nomē reticuisset? (4) Parū præsidij exinde habet Papatus, si maximè per Babylonē Roma intelligatur, illa enim Babylon est *habitaculum Dæmonioru & receptaculū immundorū Spirituū, imò immundarū*

ovium Apoc. 18. v. 2. *cujus exitium veniet unâ die, qvam Dominus judicabit* v. 8. Sed, inqvit, Romam Ethnicam hic intelligi. Falsum hoc: Roma Papistica intelligitur, nam (1) Roma Ethnica non habuit bestiam characterem doctrinæ hominibus præscribentem, nullus enim Imperator aut Sacerdos Ethnicus Romæ decreta Ecclesiastica condidit, eaq; toti mundo obtrusit, qvod tamen de hac Babylone legitur Apoc. 13. v. 16. 17. (2) Roma Ethnica non habuit mysterium revelandum, qvod de hac Babylone legitur Apoc. 17. v. 5. 6. 7. Ethnici enim non clam sed publicè Christum & ejus Evangelium odio proseqvebantur, ita ut patefactione odij illius opus non fuerit. (3) Roma Ethnica non potest dici *apostatica*, qvod de hac Babylone dicitur; illa enim nunqvam stetit in Christo, nunqvam recepit eum, ab eo igitur qvoq; non defecit. (4) Ethnica Roma non habuit poculum fornicationis, qvo omnes gentes potavit, nullus enim Romanorum Imperatorum suos Deos obtrusit omnibus gentibus, qvod tamen de hac Babylone dicitur Apoc. 14. v. 8. (5) Caput Babylonis est *bestia qvæ ascendit è terra, & cornua habet duo agno similia* Apoc. 13. v. 11. Vetus autem Romani Imperij status non per bicornem sed decicornem bestiam intelligitur, *habentem Capita septem & cornua decem* Apoc. 13. v. 1. ergo per hanc Babylonem Ethnici non intelliguntur. (6) Bestia bicornis *magna faciet signa, faciet ignem de cœlo descendere super terram* Apoc. 1[illegible]. v. 13. sed Imperatores Ethnici nulla edidere miracula (7) Babylon ista *gentibus propinabit idololatriam suam,*

Apoc.

Apoc. 14. v. 8. Cap. 17. v. 4. Cap. 18. v. 3. sed Ethnica Roma suam idololatriam inter gentes non propagavit, verum cum aliis Ethnicis â multis seculis eam exercuit. (8) *Ribera* in Comment. super Apoc. pag. 282. fluctuabundus scribit, per Babylonem intelligi Romam, qvalis sub Ethnicis Imperatoribus olim fuit, & qvalis in fine seculi futura est, postqvam â Romano Pontifice defecerit: fatetur nempe Ribera convictus in cõscientiâ, non veterem illam Ethnicam sed hodiernam Romam, qvalis in fine seculi futura est, intelligi, jam verò instat finis seculi. Ex qvibus omnibus apparet non Ethnicam sed Papisticam Romam esse intelligendam. Papam Romanum nec ratione vitæ nec doctrinæ Petro succedere fusius probavi *in Commentario Aug. Confess. Artic. ultimo* p. 236. usq; ad 240. qvæ hic non repetam, ne actum agere videar. Videantur plura de primatu Petri supra part. 1. cap. undecimo.

Caput Tertium.

De Judice Controversiarum.

570] PEtrum fuisse Judicem omnium controversiarum fidei Janssenius probat ex veteri Testamento Deut. 17. v. 8. 9. 10. seq. *de Pontificis potestate*. Num. 27. v. 20. 21. *de Josua*. 2 Chron. 19. v. 5. seqq. *de Josaphato*. Esa. 54. v. 17. *de judicante omnes lingvas*. Eccles. 12. v. 11. 12. *de verbis sapientum*, ex qvibus omnibus concludit Petrum summum omnium Controversiarum judicem fuisse. Respond.

571] Non jam disputabo de vero dictorum allegatorum sensu, sed tantùm dispiciam de scopo allegationis, qvomodo summum Petri judiciũ de omnibus controversijs fidei exinde probari possit. (1) In hisce locis Petri nominatim non fit mentio. (2) Neq; vaticinium aliqvod in ijs habetur de Petro. (3) Neq; Personæ in dictis citatis allegatæ fuerunt typi Petri, Pontifex enim summus Christum præfiguravit Hebr. 7. v. 24. c. 8. v. 1. seq. c. 9. v. 11. seq. (4) Neq; Petrus fuit Rex aut Monarcha qvidam terrestris sicut Josua & Josaphat. (5) Diversissima qvoq; ratio est veteris & novi Testamenti, in illo Synagoga Judæorum erat unius populi, in hoc Ecclesia Christiana est catholica & omnium gentium, adeoq; forma regiminis est diversa. Summatim, in dictis allegatis, nihil de Petro, nihil de novo Testamento, nihil de Pontificatu Romano, nihil de regimine Ecclesiæ in novo Testamento legitur. Sine judicio igitur Janssenius ista adscripsit, nullam addens conseqventiam seu evidentem probationem, qvod an non sit nugari & garrire potius, qvam Theologicè disputare, omnibus Christianis, imò ipsis doctioribus Pontificijs judicandum relinqvo.

572] Ex Novo Testamento tria citat dicta: Luc. 22. *rogavi pro te ne fides tua deficiat*; sed ad hoc dictum supra n. 107. est responsum. Matt. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum:* ad hoc dictum supra num. 552. qvoq; responsum est. Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audiverit sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Ad Ecclesiam*, ait, *judicium est referendum, omnes autem fideles congregari neqveunt,* *ergo*

ergo nomine Ecclesiæ intelligitur Prælatus summus vel Prælatorum congregatio. Respond. (1) In hoc loco non est sermo de controversijs in religione, verùm de causis privatis, *si peccaverit in te frater tuus*, ubi Christus loqvitur de fraternâ correctione & admonitione, qvam qvi non admittit, ad Ecclesiam deferatur, cujus judicium si spreverit, excommunicetur. (2) Si de controversijs fidei ibi agitur, conseqvens est, etiam privatis judicium de fide concessum esse & non soli Ecclesiæ, qvia frater peccans â fratre solo corrigi jubetur, qvam conseqventiam Pontificij aliàs non admittunt. (3) Scopus totius capitis ostendit, sermonem ibidem esse de privatis offensis, Petrus enim ita intelligit sermonem Christi, dum qværit; qvoties dimittere debeat fratri in se peccanti versu. 21 Eodem tendit Parabola Christi de servo neqvam, qvi nolebat conservo suo debitum remittere, versu. 30. & admonitio Christi, ut unusqvisq; fratri suo remittat offendicula v. 35. (4) Ad Ecclesiam remittit Christus, eamq; audiendam esse docet, sed non simpliciter, verùm qvatenus secundum Scripturã decidit; sic Christus jubet ut Apostoli doceant ea, qvæ præceperat ipsis Matth 28. v 20.

573] Ridiculam verò conseqventiam nectit Janssenius; *qvia Ecclesia tota non potest congregari, ideo intelligi debet summus Prælatus.* Nam (1) fuisset probandum, per Ecclesiam Petri personam esse intelligendam, de eo enim qværitur, an Petrus fuerit summus Prælatus & Judex Controversiarũ? (2) Scriptura ignorat summum in Ecclesiâ Præla-

tum, ut prolixè hactenus est probatum, qvomodo ergo per Ecclesiam talem Prælatum potest intelligere? (3) Hoc est contradictorium, unum summum prælatum esse Ecclesiam, Ecclesia enim est vox notans collectionem; unius autem hominis non potest dari collectio aut convocatio; perinde ac si qvis diceret, per Remp. intelligi unum Senatorem aut Consulem, cum Resp. constet ex Magistratu & subditis. (4) Nulla prorsus est consequentia, non omnes fideles in Ecclesia possunt convocari, ergo per Ecclesiam solus Pontifex intelligitur, datur enim tertium; ergo Presbyterium Ecclesiasticum, cui ab Ecclesiâ partes judicandi & decidendi sunt collatæ, potest convocari. (5) Bellarm. lib.3. de Eccles. cap. 17. circa finem scribit: *una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit Populus & regnum Dei.* (6) Distingvendum est inter potestatem & ipsius potestatis executionem; potestas ipsa judicandi est penes totam Ecclesiam, executio verò illius potestatis fieri potest per Prebyteros & Ministros; hi igitur nomine Ecclesiæ judicium administrent & controversias secundum scripturæ normam decidant.

574] Transit ergo Janssenius ad rationes; & primò qvidem ait; *Scriptura non potest hoc modo esse judex & controversias sopire, ut altera pars acqviescat & dicat, se â Scripturâ condemnari.* Resp. distingvendum est inter judicium coactivum & discretivum; Ecclesia non habet judicium coactivum, solius enim Dei est cogere conscientias & hæreses penitus exstirpare, qvæ manebunt ad diem extremum usq; 1 Cor. 11. v. 19. ejusmodi coactio

actio Ecclesiæ non est fundata in sacris; primitiva Ecclesia eam non exercuit, sed est proprium Antichristi. Discretivum verò judicium habet Ecclesia, cum ex verbo Dei controversiæ terminantur operâ Presbyterij. In tali actu tres qvasi judices concurrunt, Principalis, qvi est Spiritus Sanctus, instrumentalis seu Directivus Scriptura, Ministerialis & subordinatus, qvi sunt Pastores Ecclesiæ. Judicat ergo Spiritus Sanctus primariò, Scriptura directivè, Presbyterium ministerialiter; atq; ita Spiritus Sanctus ex Scripturâ per ministros judicium facit de controversijs. Judex verò iste cogit non externè, sed persuadet internè, movet corda efficaciter illorum, qvi non malitiosè resistunt Spiritui Sancto. *Qvi non credit jam judicatus est*, inqvit Salvator noster Joh. 12. v. 48.

575] Pergit; *ex ipsâ Scripturâ judicari neqvit de sensu Scripturæ, qvando est obscura.* Resp (1) Si Papa Romanus in Traditionibus suis & bullis tam clarè & distinctè loqvitur, ut sententiam ejus qvilibet possit intelligere, cur nō multò magis Spiritus Sanctus sententiam suam in Scripturis ita planam & perspicuam proponere posset, ut ab omnibus intelligeretur? (2) Si Scriptura verum & proprium sensum nobis communicare neqvit, Prophetæ cum Apostolis in concionibus & scriptis suis nunqvā intelligi potuerunt, qvia nihil aliud prædicavêre, præter id, id qvod in sacro codice comprehenditur. (3) Homo ad hominem ejusmodi literas potest transmittere, ex qvibus facilè percipit, qvid sentiat; qvomodo igitur Spiritus Sanctus in verbo suo Sancto, tanqvam Epistolâ

ad nos perſcriptâ, tam obſcurè loqvitur, ut â nobis intelligi neqveat? (4) Qvando Pontifex vel Ecclesia Romana Scripturam explicant, qværitur, unde iſtam explicationem deſumant, aut ex Scriptura, aut aliunde? ſi ex Scripturâ, utiq; ſeipſam explicare poteſt; ſi aliundè, aliud erit Evangelium, qvod, *ſi etiam Angelus prædicaret, anathema eſſet* Gal. 1. v. 8. (5) Si Scripturæ ſenſus ex ipsâ Scripturâ deſumi non poterit, falſum eſt Apoſtoli Pauli effatum; qvod ſcilicet *ſacræ literæ hominem poſſint erudire ad ſalutem* 2 Tim. 3. v. 15. nam qvomodo iſta nos erudiet, cujus ſententiam haud intelligere poſſimus? (6) Chryſoſtomus hom. 13. in Gen. Irenæus lib. 2. adverſ. Hæret. cap. 46. hoc libenter agnoverunt, & Scripturam ſemetipſam explicare, noſq́; verum ſenſum ex eâdem deſumere poſſe conceſſerunt. Manet itaq; Scriptura exactiſſima regula & infallibile fidei noſtræ fundamentum, qvod nec Pontificiorum malitia nec ullius hominis potentia unquam evertet aut deſtruet.

576] Inſtat; *Scripturam non eſſe Judicem, cum hæretici ad illam provocantes in graviſſimis articulis nihilominus diſſentiant.* Reſpond. (1) hac ratione nec jus civile regula Judicij forenſis eſſet, cum omnes litigantes ad leges provocare ſoleant. (2) Imò nec Patres regula fidei manent ſtante hoc argumento, ad illos enim non tantùm Pontificij, ſed etiam Calviniani alijq́; plures provocant. (3) Potuiſſet hoc obijci Chriſto & Apoſtolis, qvi ad Scripturas provocabant, idem fieri â Phariſæis, Sadducæis & alijs hæreticis. (4) Si hoc argumento Scriptura rejicitur tanqvã norma & judex, cur

ergo

ergo ipſi Pontificij ad eam provocant, & qvidem Janſſenius in multis Capitibus. (5) Semper diſtingvendum eſt inter legitimam Scripturæ allegationem & violentam ejus detorſionem; hæretici ad Scripturas provocando violenter illas detorqvẽt, qvod vera Eccleſia non facit; qvo in caſu hæretici Scripturas detorqventes Scripturis refutandi ſunt exemplo Chriſti, qvi Satanam Scripturâ abutentem Scripturis iterum convincebat Matth. 4. v. 4. 7. 10.

577] Ad locum 1 Joh. 4. v. 1. *Probate ſpiritus*, excipit, *qvod hæc Epiſtola ſit ſcripta ad ſolos Sacerdotes*, ſed Reſp. cap. 2. v. 12. 13 ſcribit ad adoleſcentes & pueros, qvi non fuerunt Sacerdotes, imò per totam Epiſtolam docet fidem & charitatem, qvæ non ad ſolos Sacerdotes, ſed omnes Chriſtianos pertinet, nec ſoli Sacerdotes ſed omnes veri Chriſtiani habent unctionẽ â Deo. c. 2. v. 20. Imò 2 Epiſt. v. 1. fœminis & liberis ſcribit, qvibus Sacerdotium non competit. *Probandos eſſe Spiritus privatis*, ait, *ſed Eccleſia mediante*: Qvid vero per Eccleſiam intelligat, paulo ante explicuit, ſcilicet Eccleſiam Romanam, & inprimis caput ipſius, ſcilicet Pontificem. At hoc eſt manifeſta textus depravatio, hæc neq; in textu leguntur, neq; per bonam conſeqventiam exinde eruuntur. Apoſtoli judicium privatum committunt cuilibet Chriſtiano, utpote qvi ad Eccleſiam pertinet tanqvam genuinum corporis Chriſti membrum, 1 Cor. 10. v. 15. cap. 11. v. 13 *vos ipſi judicate*, 1 Theſſ. 5. v. 21. *Omnia probate*, qvâ de re ſupra fuſius actum eſt.

Caput

Caput Qvartum.

De Antichristo.

578] OMnes eqvidem Hæretici ſunt Antichriſti 1 Joh. 2. v 18. interim tamen Scriptura vaticinatur de uno qvodã *Antichriſto magno*, qvem Romanum Pontificem eſſe ſupra Cap. XI. n. 326. fuſius eſt demonſtratum. Janſſenius negativam defendit & Antichriſtum *unum aliqvem hominem ſingularem (non verò Pontifices, qvorum multi fuerunt) eſſe*, contendit his argumentis.

579] Johan. 5. v. 43. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis; hic de unica perſona Chriſtus loqvitur.* Reſpond. (1) Chriſtus, per vocem *alius*, intelligit omnes Pſeudochriſtos, qvorum multos eſſe futuros prædictum eſt Matth. 24. v. 24. Tales fuerunt Theudas, Judas ex Galilæa & alij Act. 5. v. 36. 37. (2) Deſcribitur qvidem Antichriſtus tanqvam unus qvidam, verum ratione ſtatus & ordinis ſui 2 Theſſ. 2. v. 3. 4. interim ratione perſonarum in illo ſtatu & ordine multi dicuntur eſſe Antichriſti Matth. 24. v. 24 (3) In Synagogâ Judaicâ olim unus tantùm erat Pontifex Lev. 21. v 10. in Romano Imperio unus tantum eſt Cæſar, qvoad ſtatum & ordinem, interim ratione perſonarum multi fuerunt Pontifices & Cæſares, qvi ſibi invicem ſuccedunt, idem judicium eſto de Antichriſto. (4) Maldonatus in Comment. ſuper hunc locum ita ſcribit pag. 595. *Magis convenit ut non ſolum de Antichriſto, ſed de omnibus falſis Prophetis*

phetis generaliter interpretemur, qvi currebant, cum non mitterentur. Diſcat itaq; Janſſenius ex hoc Jeſuita verum hujus loci ſenſum. (5) Vox *alius* in Scripturis ſæpius denotat non unum, ſed plures Johan. 4. v. 37. 1 Cor. 12. v 8. 9. 10. Phil. 3 v. 4. qvo in ſenſu & hic ſumitur.

580] 2 Theſſ. 2. v. 3. 1 Joh. 2 v. 18. *Antichriſtus vocatur homo peccati & filius perditionis, ubi articulus ὁ notat unicam perſonam, qvod Græci facere ſolent.* Reſpond. Scriptura etiam ſolet loqvi, ut ſub nomine *homo* intelligat multos homines Matth 4. v. 4. *non ſolo pane vivit homo.* Matth. 12. v. 35. *bonus homo bona profert.* Mar. 2. v. 27. *Homo non eſt propter Sabbathum.* 1 Cor. 11. v. 28. *homo probet ſeipſum.* Hic per hominem non intelligitur ſingularis qvædam perſona, ſed plures, imò Matt. 12. v. 35 Mar. 2. v. 27. Luc. 4. v 4. 2 Tim. 3. v. 17. etiam præponitur articulus ὁ, & tamen non ſingularis perſona, ſed plures homines ibidem intelliguntur; ex voce igitur homo, & articulo præpoſito Janſſenius nihil evincit.

581] Dan 7. verſu. 11. 12. *de Antichriſto ſermonem eſſe* ait: ſed nihil amplius addit, non citat verſus capitum, non verba Prophetica, non nervum alicujus argumenti profert, multò minus applicat ad qvæſtionem, Antichriſtum tantùm unam & ſingularem eſſe perſonam. Qvid igitur faciam cum iſto Monacho? ſi bruta ita diſputarent, non eſſet mirum, cùm ratione careant.

582] Apoc. 13. & 17. *mentio fit decem Regum, qvi everſuri ſunt Romanum Imperium, & dominabuntur*

buntur in terrâ, qvando veniet Antichristus. Resp: nullius argumento inest nervus; qvomodo enim seqvitur, decem Reges evertent Romanum Imperium, ergo Antichristus est unica & singularis qvædam persona. Qvis divinando vel olfaciendo potest asseqvi, qvid velit Monachus iste, hisce citationibus, nihil probat, nihil concludit, nihil applicat.

582] *Dan. 7. v. 25. Apoc. 12. v. 14. legitur, qvod Antichristus sit regnaturus per annos tres cum dimidio.* Respond. Per tempus, duo tempora, & dimidium temporis non propriè intelligi tres annos cum dimidio fatentur Viega in Comm. super Apocalypſ. item Alcasar in Comment super hunc locum, qvi scribit, non in sensu proprio sed mystico hæc omnia esse intelligenda; contradicit igitur hisce Janssenius. Neq; desunt rationes, cur propriè anni tres cum dimidio non possint intelligi. (1) Tempore Apostolorum mysterium iniqvitatis Antichristianæ clam incipiebat 2 Theſſ. 2. v. 7. 1 Joh. 4. v. 3. & durabit usq; ad Christi adventum 2. Theſſ. 2. v. 8. Inter tempora verò Apostolorum & adventum Christi longè plures anni intercedunt qvam tres cum dimidio. (2) Intra angustum hoc temporis spatium Antichristus tam stupenda efficere non posset; Judæos enim ad sese pertrahet & templum Hierosolymis ædificabit, Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. At primum templum spatio septem 1 Reg. 6. v. 38. secundum templum spatio 46. annorum ædificatum est Joh. 2. v. 20. Qvomodo igitur Antichristus tã brevi temporis spatio novum templum ædificare, aut qvando, ædificato

dificato hoc templo, regnare poterit? imò qvomodo intra hos annos paucissimos omnes gentes & populos terræ seducere & debellare posset? (3) Antichristum proximè seqvetur adventus Christi 2 Thess. 2. v. 8. si ergo numerus annorũ Antichristi determinate posset sciri, seqveretur, tempus extremi judicij certò qvoq; sciri posse, qvod tamen est contra Christi effatum Matt. 24. v. 36. Mar. 13. v. 32. 1 Thess. 5. v. 2. 3. (4) Angelici igitur anni & dies intelliguntur secundum Scripturæ morem & stylum Ezech. 4. v. 6. Daniel. 9. v. 24. 25. In qvibus locis unicus dies annum supplet, atq; ita unus annũs Angelicus, tot continet annos communes, qvot dies communes aliàs annus communis continet. Anni itaq; tres Angelici cum dimidio dabunt annos communes 1260 vel 1277. si dies 365. communes pro anno vulgari supputentur. (5) Daniel. 7. v. 25. de Turca qvoq; legitur qvod totidem annis regnum ipsius sit duraturum; at verò regnũ Turcicum non per annos tres cum dimidio, sed longè plures duravit. Ergo necessario anni Angelici secundum Scripturæ stylum erunt intelligendi. Qvia verò ista vaticinia clausa & obsignata manebunt, usq; ad tempus definitum Dan. 12. v. 9. exacta determinatio principij & finis annorum regni Antichristiani vix dari poterit.

583] Jam novam aggreditur qvæstionem & *Pontificem Romanum Antichristum non esse*, demonstrat seqventibus argumentis. Apoc. 13. versu. 16. *Antichristus faciet omnes characterem in dextra manu aut in frontibus habere*, qvod Papa Romanus nõ facit; ergo nõ est Antichristus. Resp. Character iste

non

non est aliqvod visibile stygma frontibus aut manibus inustum vel impressum, sed est professio cultus bestiæ & obligatio ad illum cultum; qvia verò bestia illa est Antichristus Romanus, ideo character bestiæ nihil aliud est, qvam professio cultus Papistici & obligatio ad illum. Hunc characterem bestiæ in frontibus recipiunt, qvi sese obstringunt ad credendum omnia, qvæ Papa credit; in dextrâ autem, qvi ad fortem sedis Pontificiæ defensionem sese obligant. Character verò iste variis modis imprimitur, modò fit per chrisma & unctionem, modò per juramentum, modò per externam fidei professionem &c. sicut character fidelium, qvi est obligatio ad Christum, per varia media imprimitur, vel per Baptismum, vel per Cœnam, vel per crucem vel per confessionem fidei. Pontifex ergò Romanus dum omnes homines ad obedientiam traditionum suarum obligat, eo ipso characterem illis imprimit, qvod fit præcipue in clericis, monachis & religiosis cæteris unctis & rasis, qvi ad cœcam Pontificis obedientiam obligantur, unde in suâ Ordinatione *Characterem indelebilem* sibi imprimi fatentur. Qvæ Bellarm, lib.3, c.11. de Rom. Pontif. excipit contra nostrates, illa solidè refutata sunt à D. Matth. Hoe in Comment. super Apocal. cap. 13.

584] *Sedes Antichristi est Urbs Hierosolymitana* Apoc. 11. v. 8. *sed Pontifex sedet Romæ, ergo non est Antichristus.* Respond (1) Loco citato habitaculum Antichristi vocatur *civitas in qvâ Christus est crucifixus:* sed hic non est sermo de crucifixione

cor-

poris Christi naturalis, sed mystici, hoc est, Martyrum & veræ Ecclesiæ, ideoq; non vocatur Hierosolyma, sed *Sodoma & Ægyptus v. 8.* scilicet spiritualis. Hunc locum Johannes vocat *civitatem magnam*; ibid: qva appellatione Romam describit Apoc. 17. v. 18. qvam etiam vocat *civitatem magnã, habentem Imperium super Reges terræ.* Hanc vocat Sodomam & Ægyptum, scilicet spiritualem propter horrendam idololatriam & persecutiones; imò *matrem fornicationis & abominationum terræ* Apoc. 17. v. 5. *qvæ sit ebria sangvine Sanctorum & sangvine Martyrum Jesu* v. 6. Cùm itaq; Christus aliàs sibi applicet bona & mala, qvæ membris suis hoc est, Christianis exhibentur Matt. 25. v. 40. 45. ideoq; in allegato loco simili sensu de Christo dicitur, *qvod crucifixus sit*, scilicet in membris suis; non secus ac olim Saulus perseqvens Christianos ipsum Christum perseqvebatur Act. 9. v. 4. Sedes Antichristi est *Babylon* Apoc. 17. v. 5. *in qvâ sunt septem montes* v. 9. Hanc verò civitatem esse Romam ipsam fatetur Bellar. lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 2. & lib. 3. cap. 5.

585] Joh. 5 v. 43. *Si alius venerit in nomine suo; illum recipietis; ergo Antichristus erit Judæus & Messias illorum.* Respond. de hoc loco supra n. 579. actum est. Impletum verò est hoc vaticinium in Theuda & Juda Galilæo Act. 5. v. 36. 37. in Mose ex Ægypto, Barchobabo & aliis, de qvibus Socrates l. 7. c. 37 & Zwingerus in Theatro p. 902. Antichristum verò esse Judæum ex tribu Dan oriundum, ex nullo Scripturæ loco poterit probari, id qvod fatetur Bellar. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12.

586] *Antichristus deniq; adfirmabit se Deum esse & pro Deo coli volet, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanqvam sit Deus,* 2 Theſſ. 2. *Et extollet se super omne, qvod dicitur Deus, aut qvod colitur. Ibid. Et Deum Patrem suum non reputabit, nec qvemqvam Deorum curabit, qvia adversum universa consurget. Dan.* 11. *& negabit Jesum esse Christum,* 1 *Joh.* 2. *Qvæ omnia nullo modo conveniunt Pontifici Romano: nam ille cumprimis dicit se esse servum servorum Dei, culpas suas & peccata non minus qvam qvivis alius Christianus in Sacramentali confessione aperit, & se demississimè accusat.* Reſp. Imò hæc omnia implentur in Pontifice Romano; is enim in templo Dei ſedet tanqvam Deus, & oſtendit ſe tanqvam Deus, vocari ſe *Deum* patitur Diſtinct. 96 c. 7. *Satis evidenter: Vicarium Dei* lib. 1. Decret. titul. 7. de Tranſact. Epiſc. cap. *Qvantò Persona: Sponsum Ecclesiæ Christianæ.* Extravagant. Johan XXII. Tit. 5. de Sed. vacant. c. 1. *Si fratrum:* Qvæ omnia ſoli Chriſto competunt Joh. 3. v. 29. Eph. 5. v. 25. ſeq. Imperat tanqvam Deus, dum regnum ſuum extendit *super universum mundum* lib. 1. Decret. Tit. 6. de Elect. c 3 *ubi Periculum.* Ad jura & *leges non vult esse obligatus, neq; ulli hominum subditus* lib. 3. Decret. tit. 8. de Conc. Præbend cap. 4. *Proposuit,* Sexti lib. 1. Titul. 6. de Elect. cap. 17 *fundamenta.* Extollit ſe etiam ſuper omne, qvod Deus dicitur, ſcilicet ſuper Chriſtum, eripiendo calicem benedictum, contra inſtitutionem Matth. 26. v. 27. Conjugium & cibos prohibendo, contra Hebr. 13 v. 4. Coloſſ. 2. v. 16. 1 Tim. 4. v. 3. 4. *Super Angelos, qvibus mandat, supra omnẽ Magistratũ,* Diſtinct 96.

cap.

cap. 11. *Si Imperator.* 1 Decret. tit. 6. c. 34. *venerabilem.* Deum Patrum suorum (qvod Janssenius corrumpit substituendo *Patrem suum*) nõ reputat, id est, Deum Prophetarum & Apostolorum, qvem negligit, & ad Sanctos Mediatores & Intercessores confugit. Et qvamvis se verbis servum Christi appellet, operibus tamen pessimis hoc negat, qvod omnes hæretici facere solent; *qvi Christum oppugnant, & tamen in Apostolos Christi se transfigurant* 2 Cor. 11. v. 13. Qvo nomine Papa introducitur tanqvam *bestia habens qvidem cornua agni, sed loqvens ut Draco,* Apoc. 13. v. 11. Cæteri Pontificij longe plura argumenta adferre solent, ad qvæ (Janssenio ea non repetente) respondere hic non est opus. Confer supra Part. 1. Cap. XI. de *Primatu Pontificis Romani.*

Caput Qvintum.

De Fidei Unitate.

587] IN hoc Capite disputat contra Libertinos, *qvi docent, qvemvis in suâ religione salvari posse, unicamq; fidem salvificam esse* contendit aliqvot *Scripturæ testimonijs*, qvæ dum Ecclesiam Lutheranam non oppugnant, suo loco relinqvuntur. Conseqventiã verò ridiculã nectit, dũ argumentatur; *unica tantùm est fides, ergo qvi Missã, purgatorium, vota monastica, primatum Papæ & similia negat, is â vera fide discedit,* p. 394. Cum tamen adhuc sit in qvæstione, an fides missæ, purgatoriũ, votũ monasticum & primatus Papæ, sit vera fides? Si nos Lutherani argumentaremur; unica tantùm

est fides, ergo qvi ab Augustanâ Confessione discedit, is â verâ fide discedit, Pontificij utiq; opponerent, adhuc in qvæstione esse, an Augustana Confessio sit veræ fidei comprehensio: idem responsum Janssenius sibi habeat de fide Missæ, purgatorij &c. Principalis qvæstio non potest præsupponi tanqvam indubitata conclusio, si Janssenius Missam, purgatorium, vota monastica, primatum Papæ Libertinis solidè ex sacris probasset, & postea conclusisset, qvi ab hac doctrinâ discedit, illum â verâ fide discedere, rem laude dignam præstitisset.

588] Neq; silentio supprimendum est, qvod Janssenius *hæreticum definiat illum, qvi vel in unâ controversiâ ab Ecclesiâ Romanâ dissentiat* p. 394. malè; nam (1) fides Christianorum non fundata est super Ecclesiam Romanam, sed Scripturam 1 Cor. 4. v. 15. 1 Pet. 1. v. 23. qvo nomine ipsi Pontificij ad Scripturas provocare solent. (2) Per Ecclesiam Romanam Pontificij plerumq; intelligunt Papatum, ut Janssenius p. 382. fatetur, at illius authoritas tota dubia est, qvomodo igitur tanqvam fidei fundamentum potest præsupponi. (3) Seqveretur hac ratione Spiritum Sanctum sedi Romanæ esse alligatum, illumq; in aliis Ecclesiæ locis Scripturam declarando operari nec velle nec posse (4) Scriptura *nō est privatæ interpretationis* 2 Pet. 1. v. 20. cur ergo Pontifex pro lubitu Scripturam explicat? *non dominamur fidei vestræ*, inqvit Paulus, 2. Cor. 1 v. 24. qvare ergò Pontifex dominatur fidei Christianorum? (5) Scriptura non secundum vanas hominum glossas & opinionem, sed secun-

 dum

dum sui ipsius interpretationem est intelligenda; *si qvis loqvitur, loqvatur eloqvia Dei*, 1 Pet. 4. v. 11. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*, 1 Cor. 14. v. 32. (6) Si Ecclesia Romana veri qvid doceat atq; credat de Deo vel Christo, amplectendum est hoc non ideo, qvia Romana Ecclesia docet, sed qvia id, qvod docet, cum Scripturâ consentit, sicut contra falsa Ecclesiæ Romanæ dogmata reijciuntur, qvia Scripturæ contrariantur.

589] Nos Hæreticum definimus illum, qvi in fundamento fidei errat, illumq; errorem pertinaciter defendit, qvia verò Scriptura non ab Ecclesia sed Ecclesia â Scripturis fidem desumit Luc. 8. v 11. 1 Pet. 1. v. 23. Matt. 28. v. 19. 20. 1 Cor. 4. v. 15 Joh. 8. v. 47. ideo Hæreticus non aliter potest definiri, qvàm qvi errat in fidei fundamento, prout fides illa in Scripturis docetur: qvicunq; ergo ex Scripturâ hæreseos convinci neqvit, illum Romana Ecclesia frustra hæreticum proclamat. Videatur Libellus meus Gründtliche Antwort vnd Wiederlegung cap. 2. pag. 139. seq. ubi fusius de definitione Hæretici egi.

Caput Sextum.

De Ecclesiæ Visibilitate.

590] MIror Janssenium hanc gravissimam Controversiam tam jejunè ac frigidè tractare. Sententia nostrarum Ecclesiarum est: sicut Luna unica geminum habet statum, in plenilunio est conspicua, in novilunio fit occulta, sic vera Ecclesia di-

versis statibus est subjecta, interdum fulget publico exercitio, interdum latet & publico exercitio caret. Cum Pontificij qværunt, ubi vera Ecclesia fuerit ante Lutherum? respondemus, eam fuisse invisibilem, hoc est, veræ Ecclesiæ membra latuisse, publico fidei exercitio conspicua non fuisse, propter persecutionem & Tyrannidem papalem. Pontificij ad hæc excipiunt; *Ecclesiam non posse abscondi; eam semper esse visibilē.* Janssenius aliqvot profert argumenta, qvæ paucis examinabimus.

591] *Num. 20. v. 1. Ecclesia fuit educta in desertum tanqvam cœtus visibilis,* 1 Reg 8. v. 14. *Salomo benedixit populo Israelitico cœtui visibili.* Matth 18. v. 1 . *Christus jubet, dic Ecclesiæ, ergo Ecclesia est cœtus visibilis.* Respond. Ista omnia nihil aliud evincunt, qvàm Ecclesiam Israeliticam tempore Mosis, & Salomonis fuisse visibilem, an verò semper in Veteri & Novo Testamento Ecclesia vera sit visibilis, an nunqvam possit premi persecutionibus, an non interdum publico careat exercitio, an non membra veræ Ecclesiæ interdum lateant? exinde non potest demonstrari. Matth. 18. v. 17. Christus loqvitur de tali Ecclesiâ, qvam adire & audire qvis potest. Tempore Christi patientis ejusmodi Ecclesia non erat, fideles enim paucissimi erant, qvi publico exercitio carebant, & januis clausis postmodum latebant. Dicta igitur citata sempiternam Ecclesiæ visibilitatem non evincunt.

592] Esa. 2. versu 2. Dan. 2. versu. 35. Zach. 8. versu. 3. Matth. 5. versu. 14. *Ecclesia vocatur mons Domini elevatus, mons magnus, mons Domini, civitas supra montem posita.* Respond. Ecclesia

qvan-

qvando â Prophetis vocatur mons, describitur qvalis futura sit tempore Novi Testamenti, respectu magnitudinis & claritatis per Universalem Evangelij prædicationem, cui vaticinio eventus qvoq; respondit; sed qvod Ecclesia Novi Testamenti perpetuò talis futura & permansura sit, ex his locis demonstrari non potest; sicut enim montes â nubibus & nebulis interdum obteguntur, ita etiam Ecclesia â nubibus hæreticorum & persecutorum sæpius fuit obscurata. Matth. 5. v. 14. Christus non loqvitur de Ecclesiâ, sed de vitâ Apostolorum, qvæ omnibus debebat esse conspicua, præcedit enim; *vos estis Sal terræ, vos estis lux mundi*, & si qvis ea verba ad Ecclesiam vellet accommodare, nihil aliud seqveretur, qvàm qvod studium bonorum operum (de qvo ibi loqvitur) omnibus notum esse deberet. Adde qvod ex similibus & allegorijs argumenta primaria & demonstrationes desumi non possint,

593] Concessi ego, Ecclesiam esse congregationẽ fidelium, in qva rectè docetur Evangeliũ & Sacramenta rectè administrantur, sed inde nõ seqvitur, ut Janssenius putat, *Ecclesiam semper esse visibilem*; hæc enim est definitio Ecclesiæ visibilis tantùm. Sicut autẽ nõ seqvitur, pleniluniũ est, qvando Luna Soli opposita plenis radijs coruscat, ergo semper ita coruscat; hæc enim definitio non est Lunæ simpliciter, sed tantùm plenilunij: ita qvoq; non seqvitur, definitionem Ecclesiæ visibilis Ecclesiæ semper competere. Nulla igitur est contradictio, ut Janssenius somniat, cũ Ecclesiã visibilẽ per verã doctrinam & legitimã Sacramentorũ usurpationem

nem definimus, & cum Ecclesiam interdum invisibilem fieri docemus. Miror autem Janssenium in tam prolixâ controversiâ paucissima argumenta jejunè tractata adferre, cùm tamen Bellarminus, Stapletonus, Huntlæus, Becanus & alij tot argumentis & distinctionibus hanc controversiam tractent. Tantamne rem tam negligenter agere!

594] Ecclesiam verò interdum invisibilem fieri & sine publico exercitio latere posse, probamus (1) tempore Aaronis totus populus vitulum aureum venerabatur, qvibusdam Levitis interim latentibus & Domino adhærentibus, donec â Mose provocarentur Ex. 32. v. 1. 3. 26. 27. (2) Tempore Judicum Israelitæ tradebantur in manus Madean septem annis, â qvo pressi in antris, speluncis & montibus habitabant, adversarijs interim totam regionem vastantibus Jud. 6 v. 1. 2. 5. (3) Tempore Eliæ altaria erant destructa, Prophetæ occidebantur, Baal publicè colebatur, septem millia verò latitabant, qvi genua sua coram Baale nō incurvaverant, qvos superesse nemo hominū, nec ipse Elias sciebat, 1 Reg. 19. v. 10. 18. (4) Tempore Regis Oseæ peccabant Israelitæ coram Domino, & ambulabant juxta ritus gentium, ædificantes sibi statuas & lucos, colentes immunditias, abijcientes pactum Domini, adorantes militiam cœli, 2. Reg. 17. v. 7. 10 12. 16. 17. Deo tamen Ecclesiam suam clàm conservante, de qvo nullum est dubium, nisi velimus concedere totam Ecclesiam interijsse. (5) Tempore Maccabæorum Israelitæ fugiebant cum filijs suis in montes relinqven-

qventes omnia in civitate, ac in deserto commorantes, Antiocho interim publicum cultum contaminante, 1 Maccab. 2. v. 28. seq (6) Tempore adventus Christi publicus cultus erat corruptus superstitionibus Pharisaicis, latitantibus interim qvibusdam fidelibus Zachariâ, Elisabethâ, Simeone & Hannâ Luc. 2. v. 25. 36. (7) Tempore Christi patientis, cum Judas ipsum tradidisset, Petrus abnegasset, Discipuli omnes aufugissent, nemo Christum publicè profitebatur Matth. 26. v. 47. 56. 70. 71. 72. seq. (8) Tempore decem persecutionum Christiani se abscondebant in rupibus & speluncis, Tyrannis interim sævientibus, & publicum cultum prorsus abolentibus, ita ut multi putarent, neminem Christianorum adhuc superesse. (9) Tempore Arrianorum tota Ecclesia opprimebatur istâ hæresi, qvasi qvodam diluvio, Deo interim suos fideles mirabiliter custodiente. (10) Ultimo tempore tota terra seqvetur bestiam, Apoc. 13. v. 3. 4. ita ut filius hominis veniens vix fidem in terrâ reperturus sit Luc. 18. v. 8. Nihilominus mors Domini annunciabitur usq; ad adventum Christi, 1 Cor. 11. v. 26.

595] Imò ipsi Pontificij suis hypothesibus Ecclesiam invisibilem fieri posse concedunt, cum docent, *Ecclesiam tempore Christi patientis in solâ Mariâ conservatam fuisse*, qvod facit Johannes de Turrecremata teste Bellarmino lib. 3. de Eccl. c. 17. *Credentes nihilominus posse permanere constantes, licet de ijs taceatur, & Apostolos Christum non fuisse confessos, interim fidem in cordibus retinuisse* Gregor. de Valent. Tom. 3. Comm. in Thom. colum.

 173.

173. 174. Imò *tempore Jeremiæ fuisse aliqvam Ecclesiam ex occultâ Ecclesiâ demonstrat* Tannerus Diopt. lib. 2. qvæst. 2. cap. 8. p. 288. qvi etiam fatetur *vera Christi membra esse incognita*, lib. 2. qvæst. 2. cap. 7. pag. 263. *Tempore Xysti pauci Christiani propter pericula imminentia fidem suam confessi sunt*, teste Platina de vitis Pontificum p. 26. *In medio Turcarum Christiani esse possunt, qvi publicè Christum non confitentur*, ut fatentur Badenses rat. 5. pag. 272. & *tempore Antichristi* (qvem Pontificij adhuc futurum esse somniant) *publicus cultus prorsus cessabit*, scribente Bellarmino lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 7. Qvid hoc est aliud, qvam fateri, veram Christi Ecclesiam interdum latere, & invisibilem fieri posse?

596] Notetur circa finem, qvod Janssenius pag. 396. doceat, *prædicationem verbi & Sacramentorum administrationem, esse notas Ecclesiæ visibilis*, qvod tamen Bellarminus negat splendidis argumentis lib. 4. de Eccles. cap. 4. Ita novitius iste Scriptor contradicit magnis Ecclesiæ Romanæ Columnis. Ita argumentor: Verbi prædicatio & Sacramentorum usus non sunt signa Ecclesiæ, asserente Bellarmino: Verbi prædicatio & Sacramentorum usus sunt signa Ecclesiæ, asserente Janssenio: ergo qvædam signa Ecclesiæ, non sunt signa Ecclesiæ. Tandem Janssenius citat Cent. 1. Magd. cap. 4. qvod multis sententijs probent, *Ecclesiam necessariò semper esse visibilem*: sed injuriam facit Centuriatoribus; illi de Ecclesiâ visibili loqventes, proprietates Ecclesiæ visibilis exponunt, interim Ecclesiam necessariò semper visibilem esse non docent;

docent, qvin potius dicunt, p. 177. *esse exiguum cœtum, gregem pusillum, qvi ad Ecclesiam pertineat, hunc odio haberi, excommunicari, vexari, trucidari à filiis hujus mundi, prout Christus prædixit* Matth. 5. v. 10. Joh. 16. v. 20. seqq.

Caput Septimum.

De Ecclesiæ Infallibilitate.

597] Ecclesiam *non posse errare, nec in rebus absolutè necessariis ad salutem, nec in aliis, qvæ credenda vel facienda proponuntur, sive habeantur in Scripturis, sive non,* Janssenius satis audacter asserit. *Per Ecclesiam*, ait, *intelligi tum fidelium in genere, tum Episcoporum seu Prælatorum in specie congregationem, per dogmata autem intelligi, tam ea, qvæ sunt extra Scripturam, hoc est Traditiones, qvàm ea, qvæ sunt in Scripturis.* In hac verò assertione nimis audaci multipliciter errat.

598] Primò enim distingvendi sunt errores: qvidam sunt fundamentales de fide, qvidam minus principales circa fidem; illi fundamentum fidei & æternam salutem tollunt, hi minus. (2) Ecclesia consideratur duplici respectu, vel qvatenus ductum Spiritus Sancti in Scripturis loqventis seqvitur, vel qvatenus Scripturam negligit. (3) Distingvendum est inter Ecclesiam Catholicam, qvæ continet universum cætũ omniũ in toto mundo fidelium hinc inde dispersorũ, & Particularem in uno loco, qvalis Romana est. (4) Prælati & Episcopi sunt tantùm unus Ecclesiæ status, plura enim

mem

membra præter illos ad Ecclesiam constituendam reqviruntur. Hisce præmissis dicimus, Ecclesiam Universalem, qvando seqvitur ductum Spiritus Sancti in Scripturis, non posse errare nec in fundamentalibus, nec in minus principalibus, cùm autem negligit illum ductum eam omninò posse errare in minus principalibus. Particularem verò Ecclesiam, si recedat à Scripturis, dicimus errare posse, etiam in fundamentalibus, adeoq; ipsos Episcopos, qvi tantùm unicus sunt Ecclesiæ status.

599] Ordinati Doctores & Episcopi omnes possunt errare (1) sunt homines erroribus obnoxij Psal. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4. Hebr. 5. v. 2. (2) Scientia illorum est imperfecta, multa ignorant, Psal. 25. v. 7. ex parte intelligunt, 1 Cor. 13. v. 9. 10. (3) Actu ipso sæpius errarunt; tempore Eliæ, 1. Reg 19. v. 14. Esaiæ, cap. 56. v. 10. 11. Michæ, 1 Reg. 22. v. 6. seq. Sic errarunt Jer. 2. v. 8. cap. 5. v. 31. cap. 6. v. 13. 14. cap. 8. v. 8. 10. 11. cap. 10. v. 21. cap. 23. v. 11. 13. 14. 15. cap. 50. v. 6. Ez. 7. v. 26. cap. 22. v. 26. Os. 9. v. 7. Mich 3. v. 5. 6. 7. Zoph. 3. v. 4. Mal. 2. v. 8. Sic errarunt Pharisæi Matth. 15. v. 14. cap. 23. v. 17. Imò Pontifex ipse erravit tempore passionis Christi Marc. 14. v. 63. 64.

600] Particularis Ecclesia qvoq; errare potest (1) qvia admonetur de cavendis erroribus Matt. 7. v. 15. cap. 16. v. 6. cap. 24. v. 23. Act. 20. v. 28. 29. Rom. 11. v. 20. 2 Cor. 11. v. 3. Phil. 3. v. 2. qvibus admonitionibus non esset opus, si Ecclesia errare non posset. (2) Qvia prædicti sunt tales errores Matth. 24. v. 11. Luc. 18. v. 8. 2 Thess. 2. v. 3. 1 Tim. 4. v. 1. 2 Tim. 3. v. 1. 2. cap. 4. v. 3. 4. 2 Pet. 2. v. 1. 2.

cap.

cap.3. v.3. Jud. v.18. Apoc.9. v.3. cap.13. v.3.7.8. 16. (3) Quia actu ipso sæpius erravit, Apostoli Joh.20. v.9. Act.1. v.6. cap.10. v.20. cap.15. v.1. Ecclesia Corinthiaca, Galatarum, Colossensium, Ecclesiæ item Asiaticæ, ut supra n.9. dictum est, ubi etiam Ecclesiam Romanam errare posse n.10. satis demonstravimus.

601] Universalis autem Ecclesia in fundamentalibus tota non errat, ob factas promissiones & adsistentiam Spiritus Sancti Matth. 16. v.18. cap. 24. v.24. cap.28. v. ult. Eph.4. v.12.13. 1 Cor.11. v. 26. propter has promissiones firmiter credimus, Deum sibi semper conservare Ecclesiam aliqvam, qvæ fundamentum fidei illibatum retineat, in secundarijs autem & minus principalibus errare potest, si â Scripturis recedit, exemplo Israelitarum, primorum Christianorum, Patrum posteriorum, ipsâq; experientiâ teste. Hisce præmissis ad dicta Scripturæ â Janssenio allegata facilimè potest responderi.

602] Esa.59. v.21. *Spiritus meus, qvi est in te, & verba mea qvæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodò & usq; in sempiternum.* Resp. (1) Deus jubet in illo loco, qvid ab Ecclesiâ fieri debeat, non verò prædicit, qvid Ecclesia factura sit. Sic Deus in Decalogo jubet facienda, interim non seqvitur, ergo homines id faciunt, & omnia legis præcepta implent. (2) Posito autem qvod Deus hoc loco promittat adsistentiam Spiritus Sancti, non tamen intelligitur absoluta immunitas ab omni errore, sed perpetua Ecclesiæ conservatio, qvod semper futu-

futuri sint qvidam fideles, fundamentum fidei illibatum retinentes. (3) De omnibus & singulis fidelibus hoc potest dici, qvod Spiritus Dei sit in ipsis, & verba Dei sint in ore illorum posita, ne recedant, interim non seqvitur, eos simpliciter non errare posse, cùm experientia contrarium qvotidiè testetur. (4) Concedimus libenter Ecclesiā non posse errare, tum qvando â verbo Dei non recedit, sed Spiritum Sanctum in Scripturis loqventem seqvitur; qvod si non facit, errat.

603] Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 1 Tim. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis.* Resp. (1) Aliud est Ecclesiæ duratio, aliud est errandi impossibilitas: in locis citatis non hæc, sed illa duratio scilicet intelligitur, qvam non negamus, sed credimus; mortem Domini annunciatum iri donec veniat, 1 Cor. 11. v. 26. nec portas inferorum posse Ecclesiæ prævalere. (2) Distingvendum est inter Ecclesiam Catholicam & particulares, Ecclesia Catholica super petram fundata est, & domus Dei rectè dicitur, particulares autem Ecclesiæ sæpius errant, adeoq; de petrâ deijciuntur, ut n. 9. probatum est. Illa ipsa Ecclesia Ephesina, de qvâ hic Paulus loqvitur, scribens ad Timotheum Ecclesiæ illius Episcopum graviter erravit, â verâ fide defecit, atq; columna veritatis esse desijt, ergo hoc dictum absolutè non potest intelligi. (3) Propositio semper est limitanda, Ecclesia est columna & fundamentum veritatis, scilicet qvamdiu seqvitur ductum Spiritus Sancti & Scripturæ.

Rece-

Recedens autem ab hoc ductu in errores fundamentales & minus principales facilè delabitur, exemplo Ecclesiæ Judaicæ, qvæ erat domus Dei Esa. 1. versu. 21. focus & caminus Altissimi cap. 31. versu. 9 adeoq; columna veritatis, nihilominus gravissimè erravit, qvoties â doctrinâ legis & Prophetarum recessit, ergo non absolutè sed cum conditione hæc omnia intelligenda sunt. Confer ea, qvæ supra n. 106. de hoc dicto fuêre allata.

604] Joh. 16 v 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Joh. 14. v. 16 *Alium Paracletum dabo vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Matth 28. v. ult *Ecce ego vobiscum sum, usq; ad consummationem seculi.* Respond. ad hæc dicta supra part. 1. cap. 3 num. 8. 9. & cap. 4. num 103. 105. sufficienter responsum est. Hæc dicta nihil aliud evincunt, qvam qvod Deus semper sibi conservaverit aliqvam Ecclesiam in terris, qvæ fundamentalia fidei sarta tectaq; retineat, sed exinde non seqvitur, qvamvis Ecclesiam particularem, & in specie Romanam non posse errare, Christus enim, qvi hanc suam præsentiam & Spiritus sui adsistentiam Ecclesiæ promisit, eidem minatus est pœnas propter contemptum verbi, *auferet ab indignis regnum suum, & dabit genti facienti fructus ejus* Matth. 21 v. 43. *movebit candelabrum suum de loco* Apoc. 2. v. 5.

605] Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ, si hanc non audiverit &c.* sed ad hoc dictum supra Cap. 6. n. 591. responsum est. Ecclesia est audienda non absolutè, qvicqvid etiam speculatur aut judicat; sed conditionatè, secundum legem & testimo-

nium

nium Esa. 8, v.20. normam verbi Gal. 6. v. 16. ità ut maneat in sermone Christi Joh. 8. v.31.

606] Os 2. v.19. *Desponsabo te mihi fide in sempiternum.* Eph. 1. v. 22. cap. 4. v. 15. cap. 5. v. 23. *Christus est Caput Ecclesiæ, sicut vir est caput mulieris, ergo Ecclesia habet Spiritum Christi & errare non potest.* Respond. (1) Ecclesiæ Galatarum, Ephesina, Corinthiaca & aliæ particulares habebant etiam Spiritum Christi, huic erant desponsatæ per fidē, & tamen graviter errabant, ergo absolutè de qvavis Ecclesiâ particulari id non est intelligendum. (2) Imò de qvovis fideli Christiano hoc potest dici, qvod anima ipsius Christo per fidem sit desponsata & â Spiritu Christi gubernetur, nec tamen exinde seqvitur, neminem fidelem ideo errare posse. (3) Si absolutè hoc intelligendum, seqvitur, nec Ecclesiam, nec ullum fidelem in vitâ peccare posse. Desponsavit enim sibi Christus Ecclesiam, & tanqvam caput Spiritu suo Sancto eandem regit; qvia verò Ecclesia & singuli fideles peccatis sunt obnoxij, ergo istæ promissiones absolutè non debent intelligi. (4) Limitamus igitur, Ecclesiam non posse errare, qvamdiu seqvitur ductum Capitis sui Christi & audit Spiritum Sanctum in Scripturis loqventem. Exempli causa; Apostoli non poterant errare, seqventes hunc ductum, imaginantes autem sibi regnum Christi terrenum, Petro non recto pede incedente Gal. 2. v. 14. errabant graviter, id qvod omnibus Episcopis & Ecclesijs particularibus fieri potest, Christus enim Ecclesiam suam gubernat non coactivè, sed discretivè seu persuadendo, ita ut homo ex

malitiâ resistere possit, ut exempla plurima testantur.

607] *Credimus Ecclesiam Sanctam, ergo Ecclesia in doctrinâ non errat.* Respond. (1) Sic possem argumentari, Ecclesia est Sancta, ergo etiam in vitâ non peccat. (2) Imò de Ecclesijs Ephesinâ, Corinthiacà & alijs hoc potuit dici, qvod sanctæ fuerint, & tamen errârint, ergo de qvavis Ecclesiâ Particulari hoc non poterit intelligi. (3) Ecclesiæ sanctitas non propriè consistit in dogmatum professione, sed illa sanctitas dependet à Christo, agno illo Sancto & immaculato, qvi suam nobis justitiam & sanctitatem imputat Eph. 2. v. 4. 6. qvi nos in sanctitate vocat 2 Tim. 1. v. 9. & in veritate verbi sanctificat Joh. 17. v. 17. Sanctus est Deus qvi Ecclesiam colligit, sanctum verbum qvo colligitur, sancta objecta circa qvæ occupatur. (4) Distingvendum est inter sanctitatem inchoatam & consummatam, in Ecclesia non absoluta & consummata datur Sanctitas, qvam speramus in alterâ vitâ, sed inchoata tantùm, hic enim primitias Spiritus Sancti accipimus, caro concupiscit adversus Spiritum, ex parte intelligimus, multæ originalis labis maculæ nobis adhærent: cum hac inchoata sanctitate stare potest, Ecclesiam in minus principalibus errare posse, exemplo Sanctorum, qvi sæpius errant Psal. 32. v. 6. Prov. 20. v. 9. 1 Joh. 1. v. 8. Jacob. 3. v. 2. (5) In genere de Catholicâ Ecclesiâ hoc est intelligendum, Deum sibi semper asservare aliqvam in terris Ecclesiam, qvæ sit sancta, at verò de Romanâ Ecclesiâ, vel aliâ qvavis particulari non potest dici, qvod semper sit san-

cta, nunqvam erret, aut peccet, talis Ecclesia potest errare, nihilominus Ecclesia Catholica sancta manet; licet enim Galatia, Ephesina, Corinthiaca erraverit, Ecclesia tamen Christiana proptera nô desijt esse sancta, nec Christus desijt esse veritas & sapientia, interim ad certam Ecclesiam in certo loco, ut pote Romanam, sese nunqvam alligavit. Qvæ Janssenius de Synodo Dordrechtanâ annectit ad nos non pertinent.

Caput Octavum.

De Legibus Ecclesiæ Conscientiam obligantibus.

608] JAnssenius format statum Controversiæ, *an Ecclesia seu Magistratus Ecclesiasticus & Civilis possit Leges condere, obligantes conscientiam in ÿs, qvæ non habeantur expressè in Scripturis, modò non sint contra Scripturam, & postmodum de Pontifice affirmat.* Errat autem multipliciter (1) Ecclesia non est Pontifex, una enim Persona non est Ecclesia, ut supra n. 573. probatum est. (2) Magistratus Ecclesiasticus est Phrasis in sacris non usitata. Christus Apostolos vocando non constituit eos Ecclesiæ Magistratum, imò manifestè distingvit Magistratum Politicum & Ministerium Ecclesiasticum, qva de re supra Part. 1, Cap. XI n. 298. satis actum est. (3) Ecclesia non est Ministerium, vel etiam Episcopi aut prælati; qvi tantùm unum Ecclesiæ statum constituunt, frustra igitur permutantur, ac pro uno eodemq; habentur. (4) Qværitur de Legibus in Scripturâ non expressis, postmodum verò adducit

exem-

exemplum de audiendâ Missa, eo ipso igitur fatetur doctrinam de Missis audiendis in Scripturis fundatam non esse.

609] Notandum verò est, qvid sit propriè obligatio, & qvot obligationis modi. Obligatio est præscriptio taliũ Legum qvæ obstringunt hominem ad obediendum sub metu Dei offensionis & sub culpâ mortali. Estq; vel generalis vel specialis. Illa est cum lex non per se, sed mediante generali aliqvo præcepto obligat; hæc est, qvæ ratione sui & immediatè conscientiam obstringit. Talis obstrictio specialis est vel directa, cum legis transgressio in ipsum Deum fertur, vel indirecta, cũ generali ordinationi divinæ qvis resistit, scandalum præbens, bonum ordinem perturbans.

610] Hisce præsuppositis dicimus, qvod Leges Ecclesiasticæ obligent conscientiam Christianorum generaliter & indirectè (1) Qvia contemptus istarum Legũ esset contemptus Magistratus, contra præceptum Pauli Rom. 13. v. 2. 4. (2) Esset contemptus Ministerij Ecclesiastici. (3) Turbaret honestatem & ordinem in Ecclesiâ contra præceptum Pauli 1 Cor. 14. v. 40. Specialiter autem & directè ejusmodi Leges non obligant, nam (1) solius Dei est conscientias immediatè & directè obligare Jac. 4. v. 12. (2) Apostoli hanc potestatem sibi nõ arrogarunt immediatè conscientiam obligandi, noluerunt enim *laqveos inijcere* 1 Cor. 7 v. 35. noluerũt *dominari fidei* auditorũ 2 Cor. 1. v 24. (3) Seqveretur exinde servitus cõscientiarum, qvæ sublata est, Act. 15. v. 10. 1 Cor. 7. v. 23. 24. Gal. 5 v. 1.

611] Facilis igitur est responsio ad dicta â

Janſſenio allegata. *Miniſtri verbi ſunt audiendi; Præpoſitis eſt obediendum* Luc. 10. Hebr. 13. ſcilicet in iis, qvæ ex verbo ſcripto docent, & ſic conſcientias directè & immediatè obligant, ſi autem præter verbum ſcriptum qvid afferant, ad honeſtatem & ordinem Eccleſiæ faciens, indirectè tantùm & generaliter conſcientias obligat propter ordinis conſervationem & ſcandali evitationem. Ad dictum Matth. 16. v. 19. qvæ ligaveritis ſuper terram, ſupra n. 552. reſponſum eſt. Act. 15. Apoſtoli obligavêre conſcientiam præcepto de ſcortatione vitandâ, qvia in verbo Dei hoc nobis injunctum eſt: abſtinentiam verò â ſangvine & ſuffocato nō abſolutè, ſed hypotheticè in caſu ſcandali neceſſariam conſtituerunt. Addo qvod ab Apoſtolico officio ad officium Pontificis Romani nulla prorſus ſit conſeqventia. Dicta verò Rom. 13. & 2. Pet. 1. de poteſtate Eccleſiaſticâ loqvi, Janſſenius nudè affirmat, non demonſtrat. Tenendum igitur eſt medium inter ſervitutem Antichriſtianam, & inter licentiam Epicuræam & Cyclopicam. Dum negamus directè & immediatè conſcientias obligari, non confirmamus licentiam effrænem. Dum affirmamus indirectè & mediatè conſcientias obligari non ſtabilimus ſervitutem conſcientiarum, ſed obſeqvium ſuademus, non propter authoritatem Epiſcoporum, ac ſi per ſe ligare poſſent conſcientias, ſed propter evitationem ſcandali & alios fines ſalutares, qvi obſervationem legum ſeqvuntur.

Caput

Caput Nonum.

De Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis.

612] PONtificij triplicem numerant potestatem Ecclesiasticam, primam vocant *ordinis*, qvæ consistit in verbi prædicatione & Sacramentorum administratione. Secundam vocant *Jurisdictionis interioris*, qvæ cõsistit in jure clavium, peccata remittendi & retinendi. Tertiam vocant *externam*, qvæ consistit in Synodorum indictione, Legum Ecclesiasticarum sanctione, Pastorum vocatione & depositione. De potestate ordinis & interioris jurisdictionis non est qvæstio, hæc enim soli Ministerio, non Magistratui Politico competit; de exteriore Jurisdictione autem qværitur num illa ad Magistratum Christianum spectet, num ille religionem & res Ecclesiasticas curare debeat? In hac qvæstione decidendâ qvidam errant in defectu, qvi Magistratum â curâ Religionis prorsus removent; qvidam verò in excessu, qvi seposito Ministerio hanc potestatem soli Magistratui assignant. Nos mediam tenemus sententiam, & aliqvam religionis curam ad Magistratum pertinere asserimus propter seqventes rationes.

613] (1) Qvia custodia Legis Magistratui est demandata Deut. 17. v. 18. *Postqvam Rex sederit in solio regni sui describet sibi hanc legem in volumine & habebit secum legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum & custodire verba & Ceremonias ejus.* Jos. 1. v. 7. *Confortare & esto* robu-

robustus, ut custodias & facias omnem Legem, qvam præcepit Moses, ne declines ab eâ ad dextram, vel ad sinistram &c. non recedet volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, qvæ scripta sint in eo. Psal. 2. v. 10. 11. 12. *Nunc Reges intelligite, erudimini, qvi judicatis terram. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore, osculamini Filium &c.* Psal. 24. v. 7. *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales.* (2) Qvia prædicta est talis cura Magistratus Esa 49. v. 23. *Et erunt Reges nutricii tui & Reginæ nutrices tuæ.* Cap. 60. v. 16. *Mammillâ Regum lactaberis.* Psal. 47. v. 10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Psal. 72. v. 12. *Rex lætabitur in Deo.* (3) Qvia est finis precum pro Magistratu, ut in pietate vivamus 1 Timoth. 2. v. 1. 2. *Orate pro Regibus & omnibus, qvi in sublimitate constituti sunt, ut qvietam & tranqvillam vitam agamus in omni pietate.* (4) Appellationes & Encomia hoc evincunt; dicuntur *Dii* Ex. 21. v. 6. *Pastores* Esa. 44. v. 28. Jer. 49. v. 19. *Patres* 1. Sam. 12. v. 15. (5) Exempla non desunt probata, Josua curavit Israelitas circumcidi cap. 5. Legem promulgavit populo cap. 8. fœdus renovavit cum Deo cap. 14. David disposuit omnia officia templi 1 Chron. 24. v. 28. seqq. Reduxit arcam 2. Sam. 6. Salomo templum Deo dedicavit 1. Reg. 8. Hiskias cultum corruptum repurgavit, Sacerdotibus solaria constituit, in templo gazophylacium poni præcepit 2 Chron. 31. Josias Religionem collapsam reparavit 2. Reg. 23. Joas religionem restauravit, cultum Dei renovando,

do, Idola demoliendo, officia constituendo 2. Chron. 24.

614] Consistit autem cura & potestas Magistratus circa res Ecclesiasticas in seqventibus. (1) Magistratus ipse veram religionem cognoscat, hoc enim reqvirit Dei mandatum Deut. 17. v. 18. seqq. Pij magistratus exemplum Psal. 119. 2. Paral. 34. & judicium discretivum, qvod cuivis privato, multo magis Magistratui, competit, 1. Cor. 2. v. 10. cap. 10. v. 15. cap. 11. v. 13. 1. Thess. 5. v. 21. 1. Joh 4. v. 1. (2) Ecclesiæ Ministros idoneos constituat, est enim non tantùm membrum, sed etiam nutritius Ecclesiæ, exemplo Salomonis 2. Paral. 8. v. 13. 14. Josaphati, 2. Paral. 17. v. 7. 8. cap. 19. v. 8. seqq. Hiskiæ, 2. Paral. 29. v. 5. 21. Josiæ, 2. Paral. 35. v. 2. (3) Ordinem inter Ministros instituat, exemplo Mosis Exod. 28. & Davidis 1. Chron. 24. & 25. cap. (4) De honestis stipendijs Ministerio prospiciat exemplo Josephi Gen. 47. 2 Par. 31. v. 3. 4. (5) Scholas erigat & sustentet, Scholæ enim sunt Reip. fundamentum, & Ecclesiæ seminarium. (6) Hæreticos coerceat inqvirendo, admonendo, & pertinaces expellendo, exemplo Constantini apud Eusebium lib. 1. Cap. 11. (7) Scholas & Ecclesias visitet vel ipsus vel per idoneos Inspectores, exemplo Samuelis, 1. Sam. 7. v. 16. & Josaphati, 2. Paral. 17. v. 7. (8) Synodos convocando exemplo Davidis, 1. Paral. 13. v. 1. cap. 23. v. 1. Salomonis, 1. Reg. 8. v. 1. Jehu, 2. Reg. 10. v. 19. Ezechiæ 2. Par. 29. v. 4. Josiæ, 2. Reg. 23. v. 1. Sic in Novo Testamento Constantinus Magnus Concilium Nicenum contra Arrium, a

Theodosius Major Constantinopolitanum adversus Macedonium, Theodosius Junior Ephesinum contra Nestorium, Marcianus Chalcedonense contra Eutychen convocarunt. (9) Leges Ecclesiasticas in ritibus, disciplina & similibus præscribendo: sic Josua curabat circumcidendos cap.5. legem promulgabat. c. 8. fœdus cum Deo renovabat cap.24. Sic David arcam reducebat, 1 Chron. 13. v. 3. Officia Levitis distribuebat, 1 Par.24. Salomo templum dedicabat, 1 Reg.8. Rex Ninivitarum jejunium indicebat Jon.3. v.7. conscio tamen & consulto Ministerio. (10) Cultum Idololatricum aboleat, ut Assa, 1 Reg.15. v.12. Josaphat 2 Chron.17. v. 6. Ezechias 2 Reg. 18. v. 4. Josias 2 Reg.23. v.2. seq. (11) Bona Ecclesiastica dispenset exemplo Regis Assæ, 1 Reg. 15. v. 15. Ezechiæ 2 Paral.31. v.10.11.12. Josiæ, 2 Reg. 22. v. 4. 2 Paral.34. v.8. seq. Et qvamvis primum in Novo Testamento Magistratus bona Ecclesiastica non dispensavit Act.6. v.3. nondum enim Christianæ Religioni erat addictus, progressu temporis tamen in Concilio Chalcedonensi cura & dispensatio istorum bonorum ab Episcopis in Magistratum devoluta est.

615] Janssenius verò in negativam partem qvæstionis descendit. Ex veteri Testamento adducit. *Tribum Levi, cui Sacerdotium Deus demandavit* Num. 1. v. 48. seq. *Usiam, qvi punitus est attrectando officium Sacerdotale* 2 Chron. 26. v. 18. 19. *Summum Pontificem*, Deut. 17. v.8. seqq. Num. 27. v. 18. seqq. *Phineam transfigentem Principem* Num. 25. v. 7. 8. *Labia Sacerdotis custodient legem* Mal. 2.

v. 7.

v.7. Ex Novo Testamento: *Pasce oves meas* Joh. 21. v.17. *Christus posuit Pastores ad ædificandum corpus Christi* Eph. 4. v. 11. 12. *Aaron fuit vocatus* Hebr. 5. v. 4. *Missio præcedat prædicationem* Rom. 10. v. 15. Matth. 16. v. 19. *Claves Ministerio sunt commissæ.* Ex hisce concludit, curam religionis & Ecclesiæ ad Magistratum Politicum prorsus non pertinere.

616] Respond. Non est qvæstio de verbi prædicatione & Sacramentorum administratione, qvorsum pertinent exempla tribus Levi, Aaronis & dicta Mal. 2. Joh. 21. Hebr. 5. Matth. 16. Rom. 10. Eph. 4. Soli enim Ministri Ecclesiæ debent prædicare, baptizare, cœnam administrare, peccata remittere & retinere, gregem pascere, corpus Christi ædificare, hæc ad Magistratum non pertinent. Dicta igitur allegata nihil ad rem faciunt. Usias à Deo punitus est 2 Chron. 26. v. 18. 19. seqq. cum ex fastu contra Sacerdotis interdictum in aliam vocationem irrumperet. & incensum adolere vellet, qvod solis Sacerdotibus erat injunctum. Exemplum Phineæ huc prorsus non pertinet, cum illud factum fuerit heroicum & extraordinarium, de qvo supra n. 368. actum est. Non itaq; opus fuisset, tot dicta & exempla corradere, qvæ tamen ad statum qvæstionis non pertinent. Nulla verò est conseqventia, Principibus non dixit Christus pascite oves meas, prædicate Evangelium, ergo illi Ecclesiam & Religionem simpliciter curare non debent. Si non dictũ est illis, pascite, dictum tamen est, custodite legẽ, verba & ceremonias, servite Domino, osculamini Filium, elevate portas, nutrite & lactate Eccle-

ſiam. Omnem verò Religionis & Eccleſiæ curam illis denegare velle, qvi tamen eam cuſtodire, lactare, propagare, defendere debent, eſt cum rectâ ratione inſanire.

617] Obiicit Janſſenius, *ex Novo Teſtamento nullam demonſtrationem adeſſe noſtræ ſententiæ, illa enim loca Rom. 13. v. 1. ſeq. 2. Pet. 1. v. 13. de poteſtate politicâ ſolùm loqvi, Neronem non fuiſſe Pontificem, nec Herodem Sacerdotem p. 412.* Reſpond. (1) Notetur manifeſta & craſſa contradictio Monachi; ſupra p. 404. 406. hæc dicta citabat pro confirmatione poteſtatis Eccleſiaſticæ, hic verò de poteſtate Eccleſiaſticâ eſſe intelligenda negat, & ad ſolam Politicam reſtringit, qvod eſt inconſtantiæ & levitatis argumentum. (2) Cæſares & Reges non dicimus decere officium Sacerdotale; interior jurisdictio ſoli manet Miniſterio, exterior autem ſimul pertinet ad Magiſtratum; Miniſteriũ adminiſtrat cultum, Magiſtratus externè diſponit cira illum cultum Miniſter Eccleſiæ cuſtodit legem ore Mal. 2. v. 7. Magiſtratus manu 2. Chron. 23. v. 11. Sicut ergo Magiſtratus diſponit rem medicam in aliqva Repub. nec tamen ipſe medicinâ exercet, ſic etiam circa cultum Dei & res Eccleſiaſticas poteſt diſponere licet easdem non adminiſtret.

618] Excipit Ianſſenius ad duas noſtratium Objectiones, qvarum una eſt de Moſe, altera de Salomone, qvi ambo habuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam. *Moſen*, ait, *fuiſſe Prophetam extraordinariâ poteſtate præditum, interim fuiſſe etiam Sacerdotem (1) qvia vocatur Sacerdos Pſal 99. v. 6. (2) Qvia obtulit holocauſtum Lev. 8. v. 16. ſeq. (3) Qvia Elea-*

Eleazar consecravit in Pontificem & vestimenta Sacerdotalia ipsi induit. Resp. (1) Mosen vocari Sacerdotem Psal. 99. v. 6, Janssenius probat ex Biblijs Gallicis, Italicis & Hollandicis; qvasi verò Spiritus Sanctus ijsdem lingvis fuisset locutus, aut in ijsdem Bibliorum fontes nobis reliqvisset. In Hebræo Moses & Aaron vocantur כֹּהֲנִים Cohanim, qvæ vox est generalis non semper significans Sacerdotē, sed etiam Principē aut qvemvis Virum primariū. Sic 2 Sam. 8. v. 18 legitur, qvod filij Davidis fuerint *Cohanim* seu *Sacerdotes*, ut vulgatus habet interpres, Sacerdotes autē propriè sic dicti non poterant esse, non enim erant ex tribu Levi; alibi dicitur, *qvod Regi fuerint ad manū*, *1. Paral. 18. v. 17*. Et si maximè conceditur Mosen fuisse Sacerdotē fit tamē hoc generali ratione, qvatenꝰ orando & pro Israelitis intercedendo officium aliqvod Sacerdotale fecit, in Sacerdotem verò propriè electus & unctus non fuit. (2) Sacrificiū Mosis qvod attinet Lev. 9. v. 16. seqq. Illud fuit extraordinarium in inauguratione & consecratione Aaronis & filiorū ejus. Prophetæ enim sæpius obtulerunt sacrificia, ut patet exemplo Eliæ. 1. Reg. 18. v. 36. seq. nec tamē fuerunt Sacerdotes populi; imò Janssenius p. 413. fatetur, *qvod Moses fuerit præditus potestate extraordinariâ, tanqvā Propheta summus*. (3) Induit vestimenta Sacerdotalia Eleazaro, & ipsum consecravit Num. 20. v. 25, seq. sed hinc non magis seqvitur Mosen fuisse Sacerdotē qvā Israelitas cæteros omnes Sacerdotes fuisse, qvia Levitis ad Tabernaculū adductis manus imponebant Nū. 8. v. 10. Imò Epistola ad Hebræos cū Sacerdotiū Veteris

Testa-

Testamenti confert cũ Sacerdotio Christi, nõ facit mentionẽ Sacerdotij Mosaici, sed Aaronici cui opponitur Sacerdotium Melchisedechi Hebr. 7.

619.] Ad exemplum Salomonis Pontificem Abjathar removentis, & Sadoc substituentis, 1. Reg. 2. v. 26. seq. resp. (1) *Salomo Sacerdotẽ non creavit, sed Sadoc successit (2) Salomo hoc fecit instinctu Dei extraordinario, ut impleretur verbum Domini 1 Reg. 2. v. 27. (3) Salomo eum non dignitate Pontificiâ sed tantùm exercitio privavit. (4) Sadoc fuit Princeps inter Aaronitas & jus habuit ad dignitatem Pontificalem p. 415.* Resp. (1) nemo nostrum dicit, qvod Salomo Sadoc creaverit, hoc est consecraverit Sacerdotem, sed qvod ipsum ad Sacerdotium Regiâ authoritate vocaverit, & officio per vocationem legitimam præfecerit, illa igitur exceptio nos non ferit. (2) Salomonem hoc fecisse instinctu Dei extraordinario, non potest probari; illa enim jurisdictio & superioritas pertinebat ad jus regium, qvam hic Salomo exercuit, sic juxta præcepta David Levitæ supputabantur & certa ministeria illis ordinabantur, 1 Chron. 25. Josaphat mittebat Levitas & Sacerdotes, qvi docerent populum Juda & reformationem cultus instituerent 2 Chron 17. v. 8. seq. Ezechias præcepit Levitis, ut hymnos canerent & sacrificia Deo offerrent, 2 Chron. 29. v. 30. Joas arguit negligentiam Pontificis Jojadæ & Sacerdotum 2 Chron. 24. v. 6. Josias cultum Dei reformavit per Sacerdotes 2 Chron 34. v. 3. seqq. idem fecit Judas Maccabæus 1 Maccab. 4. v. 41. 42. seq. ergo pertinebat hoc ad officiũ Regis & Iudicis, neq; opus erat instinctu extraordinario. Ianssenius

ſenius qvidem obijcit, *factum hoc eſſe, ut impleretur verbum Domini* 1 Reg. 2. v. 27. Sed hæc formula ſæpius uſurpatur etiam de illis, qvæ non fiunt extraordinario inſtinctu, ut patet ex Matth. 27. v. 35. Mar. 14. v. 39. Iohan. 19. v. 24. Deus etiam verbum ſuum per ordinariam Magiſtratus executionem implere ſolet. (3) Qvod verò Salomo Abjathar tantùm exercitio non dignitate privârit, id nihil derogat juriſdictioni ipſius, nam qvi Pontificem exercitio officij ſui poteſt privare, is in Pontificem aliqvam Iuriſdictionem & ſuperioritatem habeat neceſſe eſt. Qvamvis 1 Reg. 2. v. 27. expreſsè dicatur, *qvod Salomon ejecerit Abjathar, ut non eſſet Sacerdos Domini,* hoc eſt â Sacerdotio ipſum removit. (4) Zadocum habuiſſe jus ad dignitatem Sacerdotalem non nego, interim non potuit illam dignitatem ſibi rapere niſi vocatus & confirmatus â Magiſtratu, qvod ſufficit.

610] Cætera, qvæ excipit, nullius ſunt momenti; inqvit *Salomonem 1 Reg. 2. v. 35. Joſaphatum, Ezechiam, Joſiam ac cæteros Reges tanqvam Prophetas egiſſe, ſi qvid ordinârunt qvod ad cultum Dei pertinuit,* ſed unde hoc demonſtratur? ergone omnes Reges fuerunt Prophetæ, ubi Ioſias aut Ioſaphat vocantur Prophetæ, ubi Salomo & Ezechias? *Moſes,* inqvit, *moriturus, verbum legis non Joſuæ ſed Levitis commendat* Deut. 31. Reſp. Subordinata hæc ſunt, commendare legem Ioſuæ, qvod fecit Deus Ioſ. 1. v. 7. 8. & Levitis, qvod fecit Moſes Deut. 31. v. 25. illi, ut Patrono Eccleſiæ, his ut Miniſtris Eccleſiæ. De Conciliorum convocatione & præſidio ſupra num. 118. ſeqq. actum eſt.

Caput

Caput Decimum.

De Legis Impletione.

621] LEgem à nobis in hac vitâ impleri non posse, multis demonstramus argumentis. (1) Scriptura hoc negat Ioh. 7. v. 19. *Moses dedit vobis Legem & nemo inter vos servat legem.* Act. 7. v. 53. *Accepistis legem in dispositione Angelorum & non custodistis.* Act. 13. v. 38. *notum sit vobis Viri fratres, qvia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, ab omnibus qvibus non potuistis in lege Mosis justificari.* Actor. 15. v. 10. *qvid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, qvod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus?* Rom. 8. v. 3. 7. *Qvod impossibile erat Legi, in qvo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, Sapientia carnis inimica est Deo, Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Gal. 3. v. 21. *Si data esset Lex, qva posset vivificare, verè ex Lege esset justitia.* (2) Natura legis hoc non admittit, qvæ reqvirit internam & perfectam obedientiam Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ & ex tota fortitudine tua,* Iac. 2. v. 10. *Qvicunq; totam Legem servaverit, offendat autem in unâ, factus est omnium reus. Hinc maledictus omnis, qvi non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Deut. 27. v. 26. (3) Omnes Sancti contrarium confitentur, *nullus apud te per se innocens est* Ex. 34. v. 7. *Non est homo, qvi non peccet* 1. Reg. 8. v. 7. *Si voluerit*

luerit Deus contendere cum homine, non poterit ei respondere unum pro mille Iob. 9. v. 3. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me* Psal. 19. v. 13. *Confitebor injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno* Psal. 32. v. 5. 6. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Psal. 130. v. 3. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* Psal. 143. v. 2. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Proverb. 20. v. 9. *Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ* Esa. 64. v. 6. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus & recessimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis* Dan 9. v. 5. *Tibi Domine justitia nobis autem confusio faciei*, ibid. v. 7. *Scimus quod Lex, sit Spiritualis, ego autem Carnalis sum, venundatus sub peccato. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*, Rom. 7. v. 14. 18 *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, 1. Ioh. 1. v. 8. (4) Qvia Lex salvare & justificare non potest, *in lege nemo justificatur apud Deum* Gal. 3. v. 11. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo* Rom. 3. v 20. qvod fieri oporteret, si eam impleremus. (5) Qvia Christus in mundum venit eo fine, ut legem pro nobis impleret Gal. 2. v. 21. *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Roman. 8. versu. 3. 4 *Qvod impossibile erat legi in qvo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justifiatio Le-*

gis

gis impleretur in nobis, qvi non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Matth. 5. v. 17. *Non veni solvere legem, sed implere.* Dicta Patrum disertè negantium Legem â nobis posse impleri, collegit D. Gerhardus, qvi etiam refutavit Bellarmini exceptiones ad nostra argumenta, Tom. 3. p. 241. 279. seq.

622] Hisce præmissis facilis est responsio ad dicta & exempla â Ianssenio allata. *Abraham, Gen. 17. v. 1. Josuæ cap. 11. v. 15. Hiob. cap. 1. v. 1. Davidis Psal. 118. v. 10. 3 Reg. 11. v. 4. 6. Ezechiel 4. Reg. 20. v. 3. Zachariæ & Elisabethæ* Luc. 1. v. 6. Respond: Augustinus Pelagio respondens in Libro de Perfectione justitiæ contra Cœlestinum ad hæc omnia diu respondit. Breviter: Perfectio alia est absoluta, alia conditionata: illa præstat integrè summum obedientiæ gradum, ut lex reqvirit, ut ab Adamo ante lapsum & â Christo fiebat: sed hæc est inchoatio obedientiæ secudum legem in renatis sincerè Deum timentibus: illa in renatis nõ invenitur, nisi per imputationem Meriti Christi, *nam in Christo Jesu sumus perfecti* Coloss. 1. v. 28. *In Christo estis repleti, qvi est Caput omnis principatus & potestatis* Coloss. 2. v. 10. *Una oblatione, consummavit sempiternum sanctificatos* Hebr. 10. v. 14. Hæc autem in renatis invenitur; *Jam non sum perfectus, seqvor autem, si qvomodo comprehendam, in qvo & comprehensus sum â Christo Jesu,* Phil. 3. v. 12. Dicitur autem perfecta propter sinceritatem, cum qvis animo serio, non hypocritico ac simulato studet Deo obedire Psal. 119. v. 34. interim summum perfectionis gradum non asse-

qvi-

qvitur, cùm Sancti illi, qvi ita perfecti dicuntur, peccata ſimul confiteantur & remiſſionem illorum qværant, exemplo Davidis, qvi erat Vir ſecundum cor Dei, qvæterqvam in negotio Uriæ, *1. Reg 15. v. 5.* ideo petit remiſſionem peccatorum Pſal. 19. v 13 Pſal. 130. v. 2. 3. Pſal. 143. v. 2. qvâ omnes Sancti indigent Pſal. 32. v. 6. Sic Ezechias in veritate & corde perfecto ambulavit coram Domino Eſa. 38. v. 3. peccavit tamen theſauros Babylonijs oſtendendo cap. 39. v. 2. ſeq. qvo nomine â Propheta reprehenditur.

623] *Deus jubet mandata ſua ſervare, Deut. 10. Eccl. 15. Si autem legem tulit, qvam nemo poteſt implere, qvovis Tyranno erit crudelior.* Reſpond. Deus poſt lapſum non eo fine legem repetijt, qvaſi homines eam perfectè implere & vitam æternam promereri poſſent, ſed ut ex lege cognoſceremus peccatum Rom. 3. v. 20. ut lex nos ad Chriſtum deduceret Gal. 3. v. 11. ſeqq. & ut haberemus normam bonorum operum, ſecundum qvam ambulare debemus, Adde qvod Deus non tantùm oſtendit morbum legem repetendo, ſed etiam Medicum nos ad Chriſtum deducendo. Ad dicta Matth. 11 *Onus meum leve eſt*, & 1. Joh. 5. *mandata ejus gravia non ſunt*, ſupra n. 193. eſt reſponſum His addenda eſt illa noſtratium Theologorum limitatio, qvi docent; præcepta Dei poſſibilia eſſe (1) reſpectu integritatis concreatæ (2) reſpectu gratiæ per Chriſtum partæ (3) reſpectu vitæ futuræ.

Caput Undecimum.

De Consilijs Evangelicis.

624] JAnssenius vocat *Consilia Evangelica*, qvæ ad perfectionem Evangelicam faciunt, & eo nomine â Christo Legi divinæ sunt superaddita. Tria verò illorum numerat, Votũ Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, qvæ aliqvot Scripturæ dictis probat.

625] Matth. 16. v. 24. *Qvi vult venire post me, abneget seipsum & tollat crucem suam, ac seqvatur me.* Resp. qvomodo hinc seqvitur, ergo votum obedientiæ Romano Pontifici aut Generali Ordinis est faciendum? Christus præcipit, ut homo se abneget, id est, ut in rebus fidei & vitæ non judicium, nõ voluntatem, nõ amorem, non honorem, nõ utilitatem propriã respiciat, sed ut Christum (scilicet in doctrinâ & vitâ præeuntem) seqvatur: hic nihil audis de regulis ordinis alicujus, de præceptis Generalium, de obedientiâ Romano Pontifici præstandâ. Edoceant nos Monachi, qvomodo seqvatur, debemus Christum seqvi, ergo votum Obedientiæ Romano Pontifici (qvem Antichristum esse supra demonstravimus) est faciendum, præsertim in ijs, qvæ pugnant cum obedientiâ præceptorum Dei, ut æqvivocationes, Regicidia & similia; si autem Christus obedientiam intelligit præceptis divinis debitam, ea sine voto nobis præstanda incumbit. Qvid de votis sit sentiendum, & qvidem de exemplo Rechabitarum Num. 6. Jerem. 35. prolixè declaratum est in

in Commentario meo ſuper Auguſt: Confeſſ: Cap. de Votis Monaſticis, qvorſum Janſſenium remitto.

626] Matth.19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, qvæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Reſpond. hoc dictum ſupra num. 421. ſeqq. prolixè explicatum eſt. Breviter: hic Juvenis in Schola Phariſæorum educatus turgebat opinione perfectionis, unde gloriabatur, ſe omnia mandata ſervaſſe â juventute v. 20. Sicut verò Chriſtus aliàs tractabat illos, qvi inflati erant opinione juſtitiæ propriæ Luc. 10 v. 8. ſeqq. Mar. 12. v. 34. ita & hunc Juvenem per indirectum ad agnitionem erroris deducit, proponendo illi notam, qvâ ſe probare poterat, qvam procul abeſſet â verâ impletione mandatorum Dei. Convincit igitur illum Chriſtus, qvod nec Deum nec homines perfectè diligeret, cum nollet propter hoc ſpeciale mandatum omnia deſerere & pauperibus diſtribuere. Imò ſi Chriſtus hiſce verbis præſcripſiſſet conſilium perfectionis, ſeqveretur (1) qvod approbaſſet gloriationem iſtius Juvenis, de Lege impletâ, qvod tamen eſt falſum & abſurdum (2) Qvod Juvenis non peccaſſet, huic mandato non obtemperando (conſilium enim in arbitrio hominis poſitum eſſe docet Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 7.) qvod etiam falſum (3) omnia vendere & pauperibus dare, eſſe ſuperiorem charitate, qvod etiam falſum eſt, contrarium enim docet Paulus, *ſi omnia diſtribuam pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil ſum*, 1. Cor. 13. verſu. 3. qvæ

conseqventia cum omnia sint falsa & absurda, seqvitur & ipsum antecedens (scilicet consilium perfectionis hic dari,) falsum & absurdum esse.

627] Act.4. v.32. *Nemo aliqvid suum esse dicebat, eorum qva possidebat, sed erant illis omnia communia, qvod Lutherani hactenus non fecerunt.* Respond. (1) cur nec Pontificij hoc fecerunt? cur Pontifex, cur Cardinales, Episcopi, Abbates & cæteri Prælati non relinqvunt bona sua, eaq; pauperibus Christianis faciunt communia? (2) Communio ista bonorum fuit suscepta ab Apostolis, non ex voto paupertatis, aut sub opinione perfectionis vel operis supererogationis, sed propter pericula persecutionum: in tali casu autem Christiani rectè bona sua pauperibus faciunt communia, Eleemosynas largiendo, esurientes cibando, nudos vestiendo, Exules recipiendo. (3) Factum hoc fuit temporale, non perpetuum, Apostoli enim tale præceptum alijs non dederunt, ut patet, 2 Cor. 8 v. 13. 14. cap. 9. v. 7. 1 Cor. 16. v. 2. 1 Tim. 6. v. 17. 18. qvibus in locis non bonorum communio & spontanea paupertas, sed bonorum possessio & beneficentia erga pauperes commendatur. Miror verò audaciam Janssenij scribentis *peccatum Anania & Sapphira non fuisse mendacium sed voti facti violationem* Act. 5. cum tamen Petrus expressè dicat, *cur Satan implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto v.3. non hominibus sed Deo mentitus es v. 4.* voti autem alicujus ab Anania facti nulla prorsus ibidem fit mentio. Porrò pugnare vota hæc paupertatis cum Scripturâ patet, Deut. 15. v. 4. Eph. 4. v. 28. Vovere

pau-

paupertatem & poſſidere Principũ divitias(qvod Monachi, in primis Jeſuitæ faciunt) eſt Deum illudere.

628] Matth. 19. v. 11.12. *Qvidam Evnuchi ſeipſos caſtrant propter regnum cœlorum, qvi poteſt capere, capiat. Hic votum continentiæ confirmatur.* Reſpond. Seſe caſtrare, idem eſt, ac cœlibatum eligere, qvod Pontificij concedunt. Caſtrare ſe autem propter regnum cœlorum, non ſignificat ſatisfactionem pro peccatis & meritum vitæ æternæ, ſed exponente Paulo, 1 Cor. 7. v 32. *qvi ſine uxore eſt, ſollicitus eſt qvæ Domini ſunt, qvomodo placeat Domino* v. 33. *qvi autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, qvæ ſunt mundi, qvomodo placeat uxori*, hoc eſt, qvia conjugium multa habet avocamenta, ideo cœlibatus commodior eſt ad pietatis exercitia in perſonis, qvæ dono continentiæ inſtructæ ſunt. Qvi autem dono continentiæ ſpeciali non eſt inſtructus, illi Paulus præſcripſit regulam, 1 Cor. 7. v. 2. 9. *propter fornicationem qvilibet habeat uxorem ſuam; melius eſt nubere, qvàm uri.* Hinc Chriſtus ait in hoc loco, *qvi poteſt capere, capiat*, id eſt, qvi hoc dono continentiæ â Deo exornatus eſt, utatur eodem religiosè ad pietatis exercitia & Eccleſiæ ædificationem; *non omnes verò capiunt hoc verbum*, addit Chriſtus, id eſt, non omnes hoc dono inſtructi ſunt, iterum exponente Paulo 1 Cor 7. v. 7. *volo omnes eſſe ſicut meipſum, ſed unusqvisq; proprium donum habet â Deo, alius qvidem ſic, alius verò ſic:* ubi donum continentiæ inter ſingularia, non communia & generalia dona refertur.

629] 1. Cor. 7. v. 25. *De Virginibus præceptum*

non habeo, consilium autem do. Hic consilium dat Paulus de cœlibatu. Respond. (1) In græco non habetur βȣλὴ consilium sed γνώμη sententia, frustra igitur ex hoc loco consilia adstruuntur. (2) Pontificij statuunt, consilia esse supra præcepta Dei, Apostolus autem hanc suam sententiam de virginitate non audet nominare præceptum Dei, multo minus erit consilium Dei. (3) Pontificij referunt consilia ad Deum, Paulus autem ait non Dei sed suam esse hanc de virginitate sententiam. (4) Si hæc doctrina esset consilium perfectionis, seqveretur Moniales in Papatu perfectiores & meliores esse Patriarchis, qvi in conjugio vixerunt & liberos progenuerunt, qvod falsum & impium (5) Si maximè per consilium γνώμη exponatur, non tamen seqvitur esse consilium perfectionis superaddens impletionem mandatorum Dei, sed ubi præceptum Dei non certi aliqvid definit de conjugio vel cœlibatu, ibi Paulus hoc dat consilium, hoc est, sententiam suā aperit, qvid facto opus sit. Consilium ergo perfectionis ex hoc loco non potuit stabiliri.

630] 1 Tim. 5. v. 11. 12. *Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, qvia primam fidem irritam fecerunt: Hic per fidem primam votum cælibatus intelligitur.* Resp. Hoc dictum de voto cælibatus non loqvitur; nam (1) Paulus 1. Cor. 7. v. 35. docet, *Se nolle laqveum alicui injicere* per doctrinam de cælibatu; votum autem cælibatus laqveum inijcit conscientijs, dum vovere coguntur

tur ea, qvæ servare non possunt, dum abstinent â conjugio divinitus mandato, â pravis autē concupiscentijs & libidinosâ pollutione abstinere nō possunt.(2)Paulus regulam incontinentibus præscribit, nō ut voto qvodam libidines supprimant sed ut nubant 1 Tim. 5. v. 14. *cùm nubere sit melius qvàm uri* 1 Cor. 7. v. 9. In hoc igitur loco votum cælibatus docere non potest, nisi velimus dicere Paulum contraria docuisse. (3) Paulus 1. Tim. 5. v. 14. juniores viduas á professione viduitatis rejicit, ac viduam sexaginta annis minorem recipi prohibet versu. 9. at qvomodo ista cum voto Papistico congruunt? qvo non vetulæ sed juvenculæ & puellæ sese obstringunt. (4) Si Paulus in hoc dicto per fidem intellexisset votum cælibatus, *secundam* potius qvàm *primam* fidem vocâsset; in Baptismo enim Christo damus primam fidem, hanc seqvitur fides altera cùm qvis officium publicum vel certum aliqvod vitæ genus eligit, fidemq; promittit, se piè ac fideliter officio suo functurum. Per primam fidem Apostolus intelligit fidem DEO datam in Baptismi susceptione: qvod ut rectè intelligatur, sciendum est in primitivâ Ecclesiâ fuisse viduas pauperiores, qvæ carebant parentibus, liberis alijsq; propinqvis, â qvibꝰ potuissent sustentari, hæ nō habebant œconomiam, nec labore manuum suarum vivebant, verùm sustentabantur eleemosynis Ecclesiæ: suam autem vicissim operam Ecclesiæ navabant gratitudinis ergo, pauperes peregrinos & afflictos curando, ut videre licet ex Actor. 6. v. 1. 1 Tim. 5. versu. 10. Hæ viduæ qvàm diu vivebant in isto

collegio & sumptibus Ecclesiæ sustentabantur, in conjugio & œconomiâ vivere non poterant, eâ enim de causâ pecunijs Ecclesiæ alebantur, qvod maritorum auxilio, alijsq; vivendi subsidijs essent destitutæ. Paulus ergo loqvens de hisce viduis, qvod *primam fidem irritam faciant*, intelligit fidem per Baptismum Christo datam: nam (1) v. 11 dicitur, qvod istæ viduæ *contra Christum luxurientur*, hoc est abijciebant timorem Dei, pietatem ac fidem in Christum, & vel ad gentiles vel ad Pseudo-apostolos transibant, qvi mulierculas captivas ducebant 2. Tim. 3. v. 6. Cum enim viduæ istæ animadverterent se dono continentiæ instructas nō esse, & simul metuerent, ne inter Christianos levitatis & inconstantiæ arguerentur, à Christianismo prorsus deficiebant & in isto defectu matrimonium inibant. Præterea negligebant officia ministerij sui & *otiosæ circumibant domos, erant nugaces, futiles, curiosæ, loqventes non decentia* v. 13. *adversarijs dabant occasionem doctrinam Evangelicam blasphemandi* v. 14 *imò post Satanam retrò convertebantur* v. 15. In hisce verbis Paulus describit defectum istarum viduarum à Christo tum per Apostasiam, tum per gravissima peccata, qvæ hominem ex regno Christi in regnum satanæ detrudunt: qvid hoc verò aliud est, qvàm primam fidem Christo in Baptismo datam irritam facere, ac post Satanam cui in baptismo contradiximus, retrò abire? (2) Phrasis, *fidem irritam facere*, hoc etiam confirmat; Paulus enim in suis epistolis hâc phrasi utitur, cum defectum â fide verâ & justificante describit. Sic 1 Tim. 1. v. 19. *circa fidem naufragium*,

gium fecerunt, cap. 6. v. 20. *circa fidem exciderunt*, 2 Tim. 2. v. 18. *à veritate exciderunt & fidem qvorundam subverterunt*, cap. 3. v. 8. *reprobi sunt circa fidem* 1. Tim. 6. v. 10. *erraverunt à fide*. In hisce locis Paulus loqvitur de fidei salvificæ amissione, tum per apostasian & abnegationem tum per peccata contra conscientiam; qvomodo etiam hæ viduæ fidem suam primam irritam faciebant & â Christo ad Satanam retrò ibant. In Baptismo enim Christo despondebantur per fidem Os. 2. v. 19. Ezech. 16. v. 8. & fœdus gratiæ cum DEO inibant; frangentes autem hanc fidem, dicebantur lascivire contra Christum & fidem suam irritam facere. Qvæ Bellarminus excipit contra nostram explicationem, jam diu solidè sunt refutata à D. Gerhardo Tom. 7. de Conj. §. 514. Patres qvoq; plurimos per Primam fidem, baptismum intellexisse, probat Chemnitius Parte 3. Exam. Conc. Trident. cap. 9. de Cælibatu.

631] Janssenius excipit ad doctrinam Pauli, *melius est nubere qvam uri*; *per τὸ uri non intelligi qvi tentantur stimulis carnis, verùm qvi incontinenter vivunt, & fornicatione, mollitie & alijs peccatis sese polluunt*. Respond. nuda hæc est assertio sine probatione; Monachi actum internum, qvi in æstu concupiscentiæ consistit, non habent pro fornicatione, sed externum saltem, hoc est, carnalem concubitum, cum tamen Christus etiam *externū adspectum alienæ Conjugis cum illicito desiderio conjunctum vocet adulterium*, Matth. 5. v. 28. Ustionem verò idem esse ac consensum in peccatum, Janssenius

nius nudè asserit, non probat. Ustio notat flammas & desiderium illicitum, qvibus homo adhuc resistit, qvæ si prorumpant in actum illicitum, non sunt amplius ustiones, sed fornicatio vel adulterium; ustionibus Paulus remedium dicit esse conjugium, sed fornicationibus & adulterijs nimis serò medicina paratur, hisce aliam Paulus sententiam pronunciavit, 1. Cor. 6. v. 9. *Fornicarij non possidebunt regnum Dei.* Addit Janssenius *hoc consilium dari, non illis, qvi jam voverunt continentiam, sed solutis ac liberis,* sed ubi qvæso votorum istorum fit mentio? falsa est hypothesis qvam Janssenius præsupponit. Citat 1. Tim. 5. v. 14. *volo Juniores viduas nubere*; atqvi supra de hisce viduis docuit, *qvod vota fecerint*, qvomodo ergo post vota non est nubendum, cum tamen istæ viduæ post vota facta (ex hypothesi Jansenij) nubere debeant. Ita sese confundit Monachus iste & turpi contradictione implicat.

632] Vota autem continentiæ, qvæ fiunt in Papatu sine discrimine, in nostris Ecclesijs reijciuntur propter gravissimas causas (1) Qvia continentia est donum Dei singulare non omnibus datum Sap. 8. v. 21. 1 Cor. 7. v. 7. Matt. 19. v. 11. ergo sine exploratione viriū eam nemo potest vovere, displicet enim Deo infidelis & stulta promissio Eccles. 5. v. 3. 4. (2) Paulus docet melius esse nubere, qvam uri, 1. Cor. 7. v. 9. Pontificij autem non jubent nubere, sed vovere illos, qvi ustiones sentiunt. (3) Paulus svadens virginitatem in certo casu, laqveum tamen conscientijs non vult inijcere.

çere. 1.Cor.7.v.35. Pontificij autem votis adimunt libertatem nubendi, adeoq; laqveum conscientijs inijciunt. (4) Paulus in cœlibatu reqvirit cordis firmitatem & voluntatis potestatem, 1.Cor.7.v.37. Pontificij hanc firmitatem & potestatem non attendunt, sed ad vota præstanda qvemvis sine discrimine cogunt. (5) Juniores viduas Paulus jubet nubere, 1.Tim.5.v.14. Pontificij autem juvenculas continentiam jubent vovere.

633] Concludit Janssenius hoc Caput scurrili & impudico discursu, dum ait: *Adversarÿ se ipsi faciunt adulteros, molles, vel incestos, qvando temperare sibi nullo modo possunt id temporis, qvo vel peregrè proficiscuntur, vel uxores eorũ ex morbo decumbunt, vel ex partu ineptæ sunt Viris admittẽdis*: Scurrã hic potius audis & Lenonem, hircumq; impurissimum qvam castum Clericum, qvis Janssenium ad hæc secreta admisit? scilicet impurus sermo impuri cordis est nuncius. Abhorrent aures castæ ab isto pudendo turpiloqvio. Audiat Scurra iste, qvid *Schererus in* Postillâ super 2. post Epiphan. Conc. 4. p. 139. de castitate Monachorum scribat: Also werden auch vnsere vnzüchtige/leichtfertige/vnd Ehebrechrische Pfaffen vnd Münche/ welche den gemeinen Mann/ biß in die Helle hinab Ergern/ jhre Straffe hie zeitlich vnd dort ewig finden/ vnnd wehe dem Heli/ das ist dem Bischoff dem Ordinario, dem Prælaten, der nicht allein solche ergerliche Priester nicht ernstlich straffe/

son-

sondern mit seinem eignen bösen Exempel in solchen schendtlichen Bubenleben stercket. Dom. 17. Post Trinit. Conc. 1. p 610. scribit; Es ist auch nicht fein/daß an etlichen Orten auff den Hochzeiten/den ersten Ortt an der Fra wen Taffel die Pfaffen Huren (arrige aures Jansseni) einnehmen/ vnnd sich den Burge meisterin/ Richterin vnnd andern ehrlichen Frawen vorsetzen. Solche Schlepsäcke vnd Hellen Roße gehören vnter keine Ehelich vnnd Ehrliche Gespielschafft/ solten sich auch auff keiner Ehrlichen Hochzeit blicken lassen/pfui hinauß mit jhnen/sie sind keine Ehren werth Hæc *Schererus*, lumen illud Eccle siæ Pontificiæ, cujus Postillam *Alphonsus Carrillius Provincialis Austriæ Præpositus* approbavit, testa tur. Qvid ergo vides Jansseni festucam in conju gio Lutheranorum, sed trabem in scortatione Mo nachorum non animadvertis? De Conjugio Spi ritus sanctus nõ nisi casté loqvitur; sed hircus ist scurrilis impura hæc, & scandalosa effutire non veretur magnà cum offensione castarum aurium & cordium. Verè in isto Janssenio impletur illud Pauli; *omnia qvidem munda mundis: coinqvinati autem & infidelibus nihil est mundum, sed inqvinata sunt eorum & mens & conscientia*, Tit. 1. v. 15.

Caput Duodecimum,

De Sacramentis.

634] JAnssenius p. 427. diversas Lutheranorum hac de re sententias recenset. *In Apolog. August. Confess. Art. 13.* ait *tria numerari Bapti*

Baptismum, Cœnam, & Absolutionem. Respon. Sacramenta propriissimè dicta sunt tantùm duo, prout supra n.79. probavimus. Pœnitentia autem diciturSacramentum in hoc loco, voceSacramenti in latâ significatione usurpatâ, qvando scilicet fit respectus ad finem, qvem cum reliqvis Sacramentis habet communem, scil. confirmationem de remissione peccatorum. Ita enim loqvitur Apolog. *SiSacramenta vocamus ritus, qvi habent mandatum Dei, & qvibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, qvæ sint propriè Sacramenta, scilicet Baptismus, Cœna Domini & Absolutio.* Seqvitur etiam paulò post; *si omnes res annumerari Sacramentis debent, qvæ habent mandatum Dei, & qvibus additæ sunt promissiones, cur non addimus Orationem, qvæ verissimè potest dici Sacramentum, habet enim mandatum Dei & promissiones plurimas*; qvia ergo Apologia ex eo fundamento (scilicet mandato & promissione Dei) Absolutioné Sacramentum vocat, eo ipso patet, qvod strictè Sacramentum non intelligat. *Melanchtonem* ait, *modo tria, modo qvatuor, & fortasse qvinq; numerare*; sed loca ex Melanchtone non citat; qvapropter Janssenij *fortasse* per *non fortasse* refutatur. *Sleidanum*, inqvit, *lib.2 scribere, qvod biennio post Lutheri mortem Theologi qvidam Lipsiæ septemSacramenta receperint.* Sed Sleidan. lib. 2. hac de re ne verbulum habet; adde qvod res biennio post mortem Lutheri gestas non lib. 2 sed lib.19. describat, qvo in libro tamen hac de re nihil invenitur.

635] Ipsi Pontificij gravissimè dissentiunt in Sacramentorum numero. Cassander lib.9. Consult.

ſult. Art. 13. ſcribit; *apud Authores paulò vetuſtiores numerantur Sacramenta propriè dicta nunc duo, nunc tria, Baptiſmus, Eucbariſtia, Confirmatio. Neq; temerè qvemqvam reperies ante Petrum Lombardum, qvi certum aliqvem ac definitum Sacramentorum numerum ſtatueret.* Bellarm. lib. 1. de Sacr. Matr. cap. 5. fatetur, Durandum ſcribere, matrimonium non niſi æqvivocè Sacramentum dici poſſe. Idem cap. 6. recenſet de Cano, qvòd conjugium propriè dictum Sacramentum eſſe, non admittat. Gregor. de Valent. in Libro de num. Sacram. cap. 3, & 7. ſcribit, Catholicos qvosdam negare Matrimonium, qvosdam Confirmationem, qvosdam Unctionem eſſe univocè Sacramentum. Idem cap. 3. fatetur, Alenſem ſcripſiſſe. qvod confirmatio nec ab Apoſtolis, nec â Chriſto ſit inſtituta. Imò Maldonat: in cap. 6. Marci fatetur, qvosdam Catholicos docere, qvod ibidem de Sacramento extremæ Unctionis non agatur.

636] Audiamus ergo qvomodo Janſſenius demonſtret ſeptenarium numerum Sacramentorum. Citat aliqvot dicta, ubi mentio fit (de Baptiſmo & Euchariſtiâ non loqvimur) *impoſitionis manuum Act. 8. Abſolutionis Joh. 20. Unctionis Jac. 5. Ordinationis 1. Tim. 4. 1. Tim. 5. Matrimonij* Eph. 5. & ex nudâ allegatione concludit ea eſſe Sacramenta. Mirabilis argumentandi modus. Hac ratione omnia ea erunt Sacramenta, qvorum fit mentio in ſacris, ita Oratio, Jejunium, Eleemoſynæ, Patientia, verbi auditus, fides, & qvid non? eſſent Sacramenta. Cæteri Pontificij vel ex reqviſi-

qviſitis, vel ex definitione Sacramentorum argumentantur, ſed iſte nugator, adducit nudas citationes, ubi alicujus rei fit mentio, concludendo feſtinat, *ergo eſt Sacramentum.* Mirum eſt, qvod non ſeptem ſigilla Apoc 5. ſeptem tubas Apoc. 8. ſeptem candelabra Apoc. 2. ſeptem panes in deſerto Matth. 15. & ſeptem Lucernas in Tabernaculo Exod. 37. ex Bellarm. lib. 1. de Sacram. in genere adduxerit, vel morem militum, qvi jurantes vel blaſphemantes ſeptem Sacramenta nominant. Ita enim Schererus in Poſtilla ſcribit ſuper Evang. Dom. 7. poſt Trinit: pag. 405. Man pfleget zu ſchelten vnnd zu fluchen bey dem/ was an jhm ſelbſt Heilig vñ Warhafft iſt/ als bey vnſers HErrn Marter/ Wunden/ Creutz/ Leyden/ Angſt/ etc Alſo pflegen auch die Teutſchen zu fluchen vnnd zu ſchelten bey den Sacramenten/ vnnd nicht nur ſchlecht bey den Sacramenten/ ſondern bey ſieben Sacramenten/ ja bey ſieben Tauſendt/ oder ſiebenhundert Tauſendt Sacramenten. Bey wenigern als ſieben Sacramenten hat noch bißhero keiner gefluchet oder geſcholten/ warumb? dann man niemals weniger Sacrament geglaubet hat als ſieben Da ein andere Zahl der Sacramenten geweſen were/ hette man ohn allen zweiffel dabey gefluchet vnnd ſich an dieſelbe Zahl gewöhnet/ nun aber allweg die Zahl (Sieben) außgetruckt wird/ oder doch ein Zahl/ darinnen daß ſieben offters begriffen wirdt/ iſt es ein offendtlich Weltkündig Zeugniß vnnd anzei-

anzeigung / daß wir Teutschen von Anfang vnsers Christenthumbs keinmahl weniger Sacrament als sieben geglaubet haben / vnd daß die Zahl von zwey / drey / oder vier Sacramenten ein newe vnerhörte Lehr / ja so seltzam / vngebreuchig vnd vngewöhnlich / daß auch noch heutiges Tags mitten in Sachsen kein Landsknecht bey zweyen oder dreyen Sacramenten fluche / wie es den Viesierlich vnd Lächerlich lautet / wann einer im Zorn seinen Nechsten schenden vñ schmähen wolte vnd spreche: Daß dich Gottes zwey Sacrament / oder daß dich Gottes drey / vier / oder sechs Sacrament schende etc. Es klinget vnd klappet nicht in Ohren / darumb daß die Lehr von zwey oder drey / vier / fünff / oder sechs Sacrament bey allen Völckern gantz frembd vnd vnbekandt ist. Hiemit aber wil ich daß liederliche fluchen / schweren vnnd schelten nit gut geheissen haben / sondern allein auß diesem bösen gemeinen Gebrauch beweisen / was man je vnd allweg von sieben Sacramenten gehalten. ô egregiam probationem! subtilitates istæ sunt plus qvam Saraphicæ.

637] Reqvisita Sacramentorum essentialia, supra n. 78. enumerata, si hic applicemus, facilè evincemus, qvinq; illa Pontificiorum Sacramenta propriè Sacramenta non esse. *Conjugium* Eph. 5. v. 32. non dicitur Sacramentum sed μυστήριον, qvæ vox rem qvamvis arcanam denotat, interim non omne mysterium statim est Sacramentum;

adhæc

adhæc non Conjugium ipsum, sed comparatio arctissimæ copulationis Christi & Ecclesiæ cum Conjugio dicitur mysterium. Sacramentum autem non est, (1) qvia deest externum & visibile elementum (2) Non est sigillum justitiæ fidei, nam & gentes in conjugio vixerunt. (3) Est commune Veteri & Novo Testamento. (4) Ipsi Pontificij Clericos ordinatos â Conjugio arcent, qvomodo ergo est Sacramentum? (5) Hac ratione Magistratus qvoq; esset Sacramentum, cum sit divina ordinatio non minus, qvam Conjugium. *Confirmatio* non est Sacramentum, (1) qvia deest mandatum divinum de Unctione Chrismatis (2) Deest promissio gratiæ, qvod Deus velit Spiritum Sanctum hoc Chrismate largiri. (3) Deest probatum exemplum, qvod Apostoli post Baptismum Christianos unxerint, & ad pugnam contra Satanam armârint. Act. 8. v. 17. per impositionem manuum Apostolorum dona Spiritus Sancti miraculosa fuêre collata, interim nô legimus, qvod Chrismate mediante hoc factum fuerit, aut qvod Apostoli nobis mandatum de imitatione reliqverint; Imò hoc ritu Apostoli etiam usi sunt ad morbos tollendos, Mar. 6. v. 13. *Extrema Unctio* non potest esse Sacramentum (1) qvia deest Christi institutio. (2) Non habet promissionem gratiæ annexæ. Jac. 5. v. 14. fuit medium, qvo sanitas corporis ægroti restituebatur, qvod patet ex verbis, *Dominus elevabit eum*. Pontificij autem tantùm moribundos ungunt, unde extrema unctio appellatur, imò non Unctioni sed precibus Sanctorum restitutio valetudinis expressè adscribitur. Adde

qvod Apostoli hac unctione non semper usi sint, interdum enim verbo Act. 3. v. 7. interdum nudâ impositione manuum Mar. 16. v. 18. interdum umbrâ, sudariis Act. 5. v. 15. cap. 19. v. 12. ægrotos sanarunt. *Ordinatio* non est Sacramentum (1) qvia Christus immediatè non instituit. (2) Qvia promissionem gratiæ annexæ non habet. (3) Non habet externum Symbolum, manuum enim impositio communis est absolutioni & confirmationi. (4) Fuit etiam in Veteri Testamento. (5) Non habet partem cœlestem. 1 Tim 4. non intelligitur gratia remissionis peccatorum, sed gratia Ministerii, qvod in ordinatione demandatur. *Pœnitentia* non est Sacramentum (1) Qvia deest externum Elementum. (2) Fuit etiam in Veteri Testamento. (3) Qvia habet se ad fidem velut totum ad partem, Sacramenta autem ad fidem se habent, velut instrumenta, ita ut fides per illa in nobis confirmetur. Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta solidè refutavit noster Gerhardus in L. C. qvem vide.

Caput Decimum tertium.

De Baptismo Infantium.

638] CUm nos Pædobaptismum in Ecclesiis nostris non negemus, argumenta, qvæ Janssenius hic recenset, nos non tangunt. Crassissimus autem error est, qvē asserit, *Baptismũ Johannis differre â Baptismo Christi, nec in illo peccata fuisse remissa p. 432.* Utriusq; Baptismi author fuit idē, Deus enim jussit Johannem baptiza-

baptizare Luc.3.v.2. Matt. 21.v.25. Joh.1.v.33 Finis fuit idem; Johannes enim prædicavit Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum Luc. 3. v. 3. Mar.1.v.4. Imò in Baptiſmo Johannis ex aqvâ & Spiritu homines renaſcebantur Joh.3. v.5. Adde qvod Petrus, Philippus & alij Diſcipuli â Johanne fuerint baptizati, nec tamen â Chriſto rebaptizati ſint. Imò Petrus provocat ad ſuum baptiſmum, qvod ſalutem conferat, 1 Pet.3. v.21.

639] Falſum verò eſt, qvod Diſcipuli eos rebaptizarint, qvi â Johanne baptizati fuerint Nam locus ille Act. 19. v. 2. 3. 4. 5. longè alium habet ſenſum. Apud Græcos duæ voculæ μὲν & δὲ ſeſe invicem conſeqvuntur & ſibi neceſſariò correſpondent; jam verò v. 4 vocula μὲν invenitur, cui v.5. vox δὲ correſpondet; ſenſus igitur eſt talis; v. 4. Paulus dixit : *Johannes qvidem baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ, dicens populo, ut in eum, qvi venturus erat poſt ipſum, crederent, hoc eſt, in Chriſtum Jeſum. His igitur auditis, baptizati ſunt in nomine Jeſu*; hoc eſt, cum Auditores Johannis concionem ejus de fide in Meſſiam futurum audiviſſent, baptizati ſunt ſcilicet ab eodem Johanne. Abſolutâ autem hac oratione Paulus imponebat manus Epheſijs, ut Spiritum Sanctum, id eſt, dona miraculoſa acciperent, atq; ita verſus ſextus tertio correſpondet, verſibus 4. & 5. qvaſi in parentheſi incluſis. Probat hanc explicationem totus contextus. Paulus qværit v. 2. *an Epheſij Spiritum Sanctum*, hoc eſt, dona miraculoſa

Spiritus Sancti *acceperint*? respondent illi, *sese nondum audivisse, an sit Spiritus Sanctus*, scilicet ratione donorum miraculosorum, alias Spiritum Sanctum esse, satis audiverant ex concionibus Apostolicis. Cum itaq; dona ista miraculosa nondum accepissent, *Paulus manus ipsis imposuit, qvo facto, Spiritus Sanctus venit super eos, ut loqverentur lingvis & propbetarent* v. 6. Qvæ autem v. 4. & 5. recensentur, non sunt facta sed verba Pauli, in qvibus totam rationem & ordinem Baptismi Johannis describit. Similis ferè locus est Act. 8. v. 14. 15. 16. 17. *Cum audissent Apostoli, qvi erant in Jerosolymis, qvod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Qvi cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in qvenqvam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Caput Decimumqvartum,

De Fide Infantium.

640] INfãtes baptizatos credere asserim9 in Ecclesiis nostris propter rationes seqvẽtes. (1) Scriptura expressé illis fidẽ tribuit Mat. 18. v. 6. Mar. 9. v. 42. (2) Habent fidei proprietates, laudant Deum Psal. 8. v. 3. Matth. 21. v. 17. Sperant in Deum Psal. 22. v. 10. Psal. 71. v. 6. timent Deum Psal. 115. v. 13. cognoscunt Patrem, 1 Joh. 2. v. 14. (3) Placent Deo, Christus enim jubet infantes sibi afferri, manus illis imposuit ijsq; bene-

benedixit Matth. 19. v. 13. 14. 15. Mar. 10. v. 13. 14. Luc. 18. v. 15. 16. sine fide autem Deo placere est impossibile Hebr. 11. v. 6. (4) Si non credunt, utiq; non salvantur Joh. 3. v. 18. 36, Mar. 16. v. 16. Act. 4. v. 12. at conseqvens est falsum, illorum enim est regnum cœlorum Matth. 19. v. 14. Mar. 10. v. 14. induunt Christum Gal. 3. v. 27. regenerantur Tit. 3. v. 5. ergo & antecedens. (5) Infantes circumcisi fidem habuerunt, Rom. 4. v. 11. 12. Abraham enim & infantes unū idemq; Circumcisionis Sacramentum acceperunt, ergo etiam infantes baptizati credunt, cum Baptismus in locum Circumcisionis successerit Col. 2. v. 11. 12.

641] Neq; alicujus momenti est, qvod Bellarm. obijcit lib. 1. cap. 11. de Baptismo, *infantes illos fuisse pueros grandiores*, de qvibus Christus ait, qvod credant, nam (1) vocantur τὰ βρέφη seu Lactantes Luc. 18. v. 15. 16. qvorum Christus dicebat esse regnum Cœlorum. (2) Ejusmodi infantes erant, qvos Christus in ulnas suscipiebat Matt. 19. v. 14. Luc. 18. v. 15. hoc est, parvuli. (3) Portabantur isti infantes ad Christum, adeoq; pedibus suis adhuc ipsum adire non poterant Luc. 18. v. 15. (4) Licet paulò adultiores fuissent, interim tamen certùm est, qvod nullum sit discrimen inter juniores & paulò adultiores in hoc casu, cum utriq; mysteria fidei Christianæ non capiant propter defectum judicij. (5) Tales erant infantes, qvos Christus velut exemplum simplicitatis & humilitatis Apostolis proponebat Matth. 18. v. 2. 3. at qvò adultiores eò pejores sunt infantes, malitia

enim cum ætate creſcit. Ex qvibus omnibus patet infantes illos adhuc juniores & tenuiores fuiſſe.

642] Demonſtratâ ergo fide infantium baptizatorum, qværitur, qvalis illa ſit, an ſit actualis vel habitualis? Janſſenius ait, *eſſe fidem habitualem*, addit rationem, *qvia non poſſunt habere fidem actualem* pag. 434. Jnepta autem hæc eſt probatio, hoc enim qværitur, an non habeant fidem actualem? perinde eſt, ac ſi qvis diceret: Pontificios habere falſam doctrinam, qvia non habent veram, cum tamen hocipſum ſit in qvæſtione, an veram vel falſam doctrinam habeant? Adducit *Hebr. 11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Rom. 3, arbitramur hominem juſtificari per fidem*; ſed qvomodo exinde ſeqvitur, ergo infantes habent fidem habitualem? hoc eſt nugari, non diſputare. Nos infantibus eqvidem talem fidem non tribuimus ſimpliciter, qvalem habent adulti, ut ſcilicet ſciant, ſe credere, ut verbum poſſint audire, myſteria ponderare &c. Interim tamen certum eſt Spiritum Sanctum operari in parvulis, cum fides illorum ſit efficax, & dum accipiunt Regnum cœlorum. Jlla fides per qvam juſtificamur & regnum cœlorum acccipimus, non eſt fides otioſa, omni planè actu & ἐνεργείᾳ deſtituta, ſed viva: atqvi fides infantium baptizatorum eſt talis, per qvam juſtificantur, ergo nō eſt fides otioſa, omni actu & ἐνεργείᾳ deſtituta, ſed viva & efficax. Talis verò fides eſt apprehenſio Chriſti fiducialis, ergo Spiritus Sanctus in cordibus infantium talem fiducialem Chriſti apprehenſionem excitat, licet

hoc

hoc fiat modo nobis incognito; & sicut non valet consequentia, nescimus quomodo infantes Deum cognoscant, timeant, laudent, ergo hoc non faciunt, contrarium enim supra est probatum, ita qvoq; â nostrâ ignorantiâ ad rei negationem consequentia non valet. Breviter; res fidei certa est in infantibus, modus autem nobis est incognitus, ab ignorantiâ modi autem ad negationem rei nulla est consequentia.

643] *Parvulos credere fide alienâ* Janssenius qvoq; annectit p. 434. *seu actu alieno, illius scilicet, qui nomine infantis respondet, Credo*: sed male, nam (1) Scriptura de infantibus disertè dicit, qvod ipsi credant, ut n. 517. 640. probatum. (2) Fide alienâ nemo justificatur Habac. 2. v. 4 Rom. 1. v. 17. Gal. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38. Infantes autem justificantur illâ fide, qvam habent, ergo illa fides aliena esse neqvit. (3) Pontificij nolunt concedere, nos alienâ justitiâ, scilicet Christi, justos esse, sed propriâ infusâ, cur ergo hic disputant, infantes non propriâ, sed alienâ fide credere? (4) Sicut alienâ manducatione homo non saturatur, sed propriâ, ita etiam non alienâ, sed propriâ fide infantes salvantur. Patrini autem vel Propatres respondentes, *Credo*, nomine infantis, declarant publicâ voce qvisnam sit effectus baptismi jam instantis, in cujus nomen infans baptizetur, & cui in Baptismo sese obstringat, cui per preces ipsi infantem offerant, scilicet sacrosanctæ Trinitati. Imò si infans verè nõ crederet, Propatres nomine infantis nõ possent dicere, *Credo*, aliàs inanis

esset ceremonia & nuda gesticulatio, qvæ Deo placere non posset. Imò si infans baptizaretur sine susceptoribus dicentibus nomine infantis, *credo*, nihilominus infans rectè baptizaretur & rectè crederet, aliena igitur susceptorum fides infantē ipsum non ingreditur.

644] 1. Cor. 12. v. 9. *Alteri fides in eodem Spiritu datur, ergo, concludit, infantibus fidem habitualem ex opere operato dari in baptismo*: sed qvo medio, qvâ connexione, qvâ conseqventiâ. Dona ibidem varia Spiritus Sancti recensentur, qvæ distribuit, prout vult, inter qvæ etiam fides numeratur. Citat Augustinum Epist. 57. ad Dardanum scribentem: *injuriam fieri humanis sensibus, si parvulis fides actualis tribuatur*, sed Augustini verba ita se habent: *Nescire autem divina parvulos, qvi nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, qvando id loqvendo suademus, ubi omnes vires officiumq; sermonis facilimè superat evidentia veritatis.* Monachus igitur iste est falsarius, qvi mentem & verba Augustini corrumpit, cum non de fide actuali, sed de scientiâ rerum divinarum & humanarum ibidem loqvatur. Imò idem Augustinus in loco citato pro nostrâ sententiâ confirmandâ rectè scribit; *Dicimus in baptizatis parvulis, qvamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt, qvamvis sit in eis, qvemadmodum nesciunt & mentem suam.* Adde qvod fides non tantum Infantium, sed etiam adultorum nō semper præsertim in morientibus, sensibus percipi possit: sic peccatum Originale infantibus recens

natis

natis inhærens, sensibus non percipitur, nec tamen ideo infantibus potest denegari. Imò nemo sensibus percipit, qvomodo infantes Deum cognoscant, timeant, laudent, & tamē hoc de infantibus supra n. 517. & 640. probatum est. Lutherum citat scribentem in qvodam libro contra Anabaptistas Anno 1528. edito, *nihil interesse, an infantes credant, nec ne*: sed nec Tomum, nec Caput, nec paginam citat. In Tomo 4. Jenens. Germ. qvi continet libros anno 1528. scriptos, liber qvidam de Anabaptismo invenitur, in qvo Lutherus disputat contra Donatistas, qvi olim Baptismum fundabant in sanctitate hominum, qvi tamen fundatur super mandatum & institutionem Christi p. 417. Et qvia Anabaptistæ adultos baptizare nolunt, nisi credentes, refutat illorum errorem qvod hac ratione nemo hominum possit baptizari, cum fides illorum nobis non sit certo explorata, nisi soli Deo cordium Scrutatori, p. 412. qvo in loco non de parvulis, qvibus fidem omninò tribuit p. 413. sed de adultis loqvitur, ut totus contextus Scripti illius demonstrat. Ab exemplo Johannis Baptistæ ad fidem omnium parvulorum non simpliciter argumentamur, ut Janssenius fingit, sed veluti Johanes infans sine loqvelâ & ratiocinatione credidit, ita non repugnat infantes credere, etiamsi non loqvantur aut ratiocinentur, qvod argumentum Lutherus ibid. fol. 413. urget

Caput Decimum qvintum.

De Præsentiâ Corporis & Sangvinis Christi in Cœnâ.

645] CONtra Calvinianos disputat p.435.seq. qvæ suo loco relinqvuntur: panem verò Eucharisticum in Corpus Christi transsubstantiari seqventibus probare conatur argumentis. (1) *Per pronomen Hoc (hoc est corpus meum) intelligitur res contenta sub specie panis, qvæ antea panis fuit, verbis autem prolatis fit corpus Christi. Sicut enim Gen.1 prolato verbo, fiat Lux, facta est lux, & sicut pingens dicit, hæc est linea, fit linea, ita etiã hic prolatis verbis, panis transmutatur in corpus p.437.* Respond. discursus iste petit principium; hoc enim est de qvo qværitur, an panis transmutetur in corpus Christi? an substantia panis aboleatur? an verba illa, hoc est corpus meum, habeant vim transmutandi? hoc est ipsum thema controversum, an corpus fiat ex pane, sicut lux ex nihilo facta est? Vocula, Hoc, non solum panem, nec solum corpus notat: non solum panem, τȣ̃το enim & ἄρτος non conveniunt. Non solum corpus, esset enim propositio identica, ergo notat totum complexum; ipsa propositio est demonstrativa, in qva subjectum notat totum complexum, prædicatum autem exprimit dignius, cujus propositionis fundamentum est unio & conjunctio. Tales propositiones occurrunt multæ, Matt.16.v.16. *Tu es Christus Filius Dei.* Vocula *Tu* notat totam personam, prædicatum exprimit di-

vinam naturam, veluti dignius. *Hoc est Spiritus Sanctus,* poterat Johannes dicere, videns columbam Luc.3. v 22. ubi subjectum notat totum complexum, prædicatum exprimit dignius. Ioh.20. v. 23. Christus sufflans dicit: *accipite Spiritum Sanctum;* hoc erat Spiritus Sanctus, qvod Christus donabat Discipulis: *hoc* notat totum complexum, sed prædicatum exprimit dignius. Imò ipsi Pontificij non conveniunt, qvid per pronomen, *hoc,* in verbis Cœnæ intelligatur, ut fatetur Bellarminus lib.1. de Eucharist: cap.11. qvi duas dicit esse celebriores sententias, (ergo plures erunt minus celebres) qvarum una, particulam hoc, ad corpus, altera ad communionem substantiæ, qvæ est sub illis speciebus, referat. Prius itaq; inter sese de veritate transigant.

646] (2) *Verba Cœnæ aut inferunt mutationem veram, aut metaphoricam, aut nullam; non metaphoricam seu tropicam &c. nullam esse factam dici neqvit cum Lutheranis, nam tunc sensus esset, hic panis triticeus verè & propriè est corpus meum, qvod tamen absurdum, pag. 438.* Respond. aliud est mutatio, aliud est Sacramentalis unio; etiamsi panis ille non amittat substantiam suam & in Corpus Christi mutetur, unitur tamen cum corpore Christi, & sic rectè potest dici, qvod hoc sit corpus Christi. Humanitas Christi non mutatur in divinitatem, & tamen Matth. 16. v. 16. rectè dixit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Sic infuso vino in poculum, poculum non mutatur in vinum & tamen rectè dicitur, porrecto poculo, hoc est vinum. Valeret igitur conseqventia Janssenij, panē

ipsum

ipsum esse corpus Christi, si particula *hoc* ad solum panem pertineret, cum tamen totum complexum significet, ut modò dictum.

647](6) *In omni propositione demonstrativâ demonstratur una res cæteris exclusis, atqvi hæc propositio (hoc est corpus meum) est demonstrativa, ergo una tantùm res demonstratur cæteris exclusis, adeoq; panis non amplius adesse potest, cum, si panis adesset, falsa propositio esset.* Respond. propositio illa, Tu es Christus Filius Dei vivi, est demonstrativa, unica tantùm res in prædicato exprimitur & demonstratur, interim altera res (humana) non negatur vel excluditur; ita in hac propositione (hoc est corpus meum) demonstratur seu prædicatur una res, Corpus Christi, interim panis non excluditur aut negatur. Janssenius adfert exemplum *de vino & oleo unitis in dolio*, ubi si vinum solùm prædicetur, oleum negari oporteat; sed simile hoc est dissimile; hic enim tria unita producuntur, dolium, vinum, oleum, in nostrâ autem propositione duo tantùm sunt unita, panis & corpus Christi. Si dolium mero vino repletum esset, & qvis ostenso dolio diceret, hoc est vinum, prædicaret & demonstraret vinum, interim non negaret dolium, ita in propositione, hoc est corpus meum, demonstratur & prædicatur corpus, interim panis non negatur.

648](4) Luc. 22 v. 20. *dicit Christus: hic calix est Novum Testamentum in meo sangvine, qvi pro vobis effundetur ἐκχυνόμενον, notat ergo in calice contineri sangvinem in cruce effundendum.* Respond. Mona-

Monachus laborat ignorantiâ Grammaticæ, ἐκχυνόμενον non eſt futurum ſed participium præſens â verbo ἐκχύνω, non igitur notat effundendum ſangvinem, ſed talem qvi effunditur, perinde ſicut διδόμενον notat corpus non tradendum ſed qvod traditur; hinc Pagninus rectè vertit non *fundetur*, ſed *funditur*. Imò vox illa ἐκχυνόμενον non pertinet in iſto textu propriè ad ſangvinem non enim dicitur ἐκχυνομένῳ ſcilicet αἵματι, qvæ vox præceſſerat, ſed ἐκχυνόμενον refertur ad præcedens ποτήριον, qvod vel pueris patet, qvi lingvâ Græcam mediocriter intelligunt. Calix ergo dicitur effundi qvia Sacramentaliter ſibi unitum habet ſangvinem qvi pro nobis effuſus eſt. Qvicqvid enim non convenit alicui ſubjecto ratione eſſentiæ vel inhærentiæ, illud ratione cujusdam unionis vel uniti intelligatur neceſſe eſt: ſed effundi nō convenit calici nec ratione eſſentiæ nec inhærētiæ, ergo ratione uniti ſui ſcilicet ſangvinis id intelligatur neceſſe eſt. Imò in Euchariſtia ſangvis Chriſti qvoq; effunditur; funditur enim qvādo bibitur, inqvit Theophylactus; hinc Eſtius Pontificius celebris, effuſionem hanc, in annotat. ſuis ſuper hunc locum, ad calicem qvoq; retulit.

649] (5) Qværit Janſſenius *qvid ſit in calice, eo temporis intervallo, qvo nemo ex calice bibit* ? Reſp. vinum conſecratum; ait, *aut ante aut in ſumptione demum adeſt ſangvis Chriſti; ſi ante ſumptionem, cur*

non

non adoratur? si in sumptione per fidem, ergo Lutherani Calvinizant p. 440. Respond: sicut Baptismus est actio continua, ita ut affundendo aqvam in nomine SS. Trinitatis rectè administremus Sacramentum, ita etiam Cœna est actio continua, ita ut edendo & bibendo rectè usurpemus Cœnam. Sicut verò aqva Baptismi ante usum non est Baptismus, ita etiam panis & vinum ante usum nō sunt Cœna; Sacramentum enim extra usum nō habet rationem Sacramenti. Et sicut ineptum esset dicere, esse integrum Baptismum in illo instanti, qvo Minister ait, ego te baptizo, ad primum vel secundum verbum, vel emissionem primæ & secundæ guttulæ ex manu baptizantis; ita ineptum est dicere, Sacramentum cœnæ esse integrum, anteqvam tota actio ad finē perducatur. Ubi non est institutio Christi, ibi non est Sacramentum; sed extra usum panis & calicis, hoc est, extra commestionem & bibitionem non est institutio Christi; igitur extra illum usum non est Eucharistia. Non autem seqvitur Lutheranos ideo Calvinizare, error enim Calvinianorum is est, qvod corpus Christi in cælis, absens solà fide in terris manducetur, qvod dogma dum improbamus, non Calvinizamus.

650] In nostris Ecclesijs reijcimus transsubstantiationem (1) Qvia Scriptura hanc ignorat; licet enim Christus dicat, hoc est corpus meum, non minus tamen panis in corpus Christi mutatur, qvam Verbum in Carnem est mutatum, cum tamen Scriptura dicat; *Verbum Caro factum est* Joh. 1. v. 14 (2) Paulus loqvens de Cœnâ 1 Cor. 11. v. 26. 27. 28. panem semper vocat panem, qvod non

non fecisset, si amplius panis non esset. (3) Paulus 1 Cor. 10. v. 16. panem vocat *Communicationem Corporis Christi*, in omni autem Communicatione duo sint necesse est, unum, qvod est alterius communicatio, & illud alterum, cujus est communicatio, hinc seqvitur, panem, qvi est communicatio, simul adesse cum corpore, qvod communicatur. (4) Accidentia panis post consecrationẽ permanentia ostendunt panem ipsum qvoq; remanere, panis interdum arescit, vinum acescit, qvæ de corpore Christi non possunt dici. (5) Seqveretur ex hac transsubstantiatione Christum habere duo corpora, unum ex virgine Mariâ assumptum, alterum, ex pane factũ, &, ut ita loqvar, transsubstantiatum, id qvod est absurdum. (6) De transsubstantiatione altum in Ecclesiâ primitivâ fuit silentium usq; ad annũ 1200. ubi Papa Innocentius III. in Lateranensi Concilio hoc novũ dogma invenit, & nomẽ ipsi antea prorsus inauditũ imposuit.

Caput Decimum sextum.

De Utraq; Specie in Cœnâ Dominicâ.

651] INitium hujus Capitis Janssenius facit ab accusatione Lutheri, *qvod in hac sententiâ mirus vertumnus fuerit*, sed nullum adducit locum, ex qvo Lutherus alicujus inconstantiæ posset convinci. Supra Cap. 15. accusabat Lutherũ qvod trecenties nonagies suam sententiã in hac doctrinâ mutarit, sed ne unicũ mutationis locum (taceo trecentos & plures) adducit. Sugillat D. Nicolaũ Hunniũ docentẽ in Brevi Institutione, fidem

fidem nostram non Lutheri sed Dei verbo inniti, primis annis Lutherum diversimode docuisse, postea autem constanter utrâq; speciem defendisse. Reponit (1) *qvod Lutherus fuerit ex eorum numero, qvi semper discant & nunqvam ad veritatem perveniant, 2.Tim.3.* (2) *Primis annis Spiritus Sanctus ipsum utiq; illustrasset, si Evangelista & tertius Elias fuisset.* (3) *Eum non tantùm primis annis, sed decem annis â defectione suam sententiam subinde mutasse.*

652] Respond. (1) Si Lutherus usq; ad ultimam mortis horam diversimode docuisset, sane in numerum illorum referri posset, qvi semper discunt & nunqvam ad veritatem perveniunt, qvia verò primis tantùm, non autem seqventibus annis id factum est, Pauli reprehensio ad Lutherum non pertinet. (2) Apostoli ipsi primis annis non perfectè illuminabantur, passionem & resurrectionem Christi nolebant credere, de regno Christi terreno erroneam habebant opinionem in ipsâ die Ascensionis; qvid mirum igitur si Luthero idem accidit, qvi non in momēto sed successivè illuminatus fuit. (3) Decem â primâ reformatione annis, ait, Lutherum sententiam suam sæpius mutasse, sed nullo exemplo id probat. Contrarium potius patet Lutherum constanter utrâq; speciē docuisse, Anno 1520. *in libro de Captiv. Babylon.* anno 1528. *in institutione Pastor.* Tom. 4. Jē. Germ. f. 341. ubi damnat Communicationem sub una, tanqvam contrariā Christi institutioni. Anno 1530. *In Judicio suo de qvibusdam Articulis fidei Controversis*, Tom. 5. Jenens. Germ. f. 111. ubi ait, *communicationem sub utrâq; nemo hominum mutare*

debe-

debere. Eodem anno *in Epistola ad Philippum* negat communionem sub utrâq; specie esse adiaphorum. Anno 1527. *in consolatione ad Hallenses* Tom. 3. Jenens. Germ. f. 386. Multis argumentis probat usum utriusq; speciei esse necessarium. (4) Lutherus fatetur, se esse ex numero illorum, qvi scribendo proficiunt, *in Præfat. Tom. 1.* suos Antilogistas graviter refutat, *in Præfat. Artic. Smalcald.* Tom. 6. Jenens. Germ. & Tom. 7. fol. 247. Videatur de hisce Lutheri antilogijs *Zeamannus contra Ungersdorfium part. 2* cap. 17. qvi solidè ad omnia respondet. (5) Frustra ex Luthero Adversarij nos oppugnant, cum Scripta Lutheri non sint regula fidei nostræ, sed unicū Dei verbum, ex qvo fides & salus animarū nostrarum dependet.

653.] Ad dicta & rationes nunc transit Ioh. 6. *Ego sum panis vitæ, &c. ubi unius tantum speciei fit mentio.* Resp. (1) hic non agitur de manducatione Sacramentali, hæc enim nondū erat instituta, sed spirituali, qvæ fit per fidem v. 35. 47. illa potest fieri ad judicium, 1 Cor. 11. v. 29. hæc fit semper ad vitam Joh. 6. v. 51. 57. sine illâ possumus salvari, sine hac verò minus Joh. 6. v. 53. (2) Cornelius Janssenius in Comment. Evang. c. 59. uti etiam Cajetanus in part. 3. Thom. qv. 80. fatentur, non de Sacramentali sed spirituali manducatione hunc locum esse intelligendum, qvæ fiat per fidem. (3) Vini hic eqvidem non fit mentio, at panis naturalis etiam nulla fit mentio, seqveretur ergò cœnam totam etiam sine pane posse manducari. v. 35. Christus eqvidem sese vocat panem vitæ, panem verò intelligit non naturalem sed mysticum, qvo

cibatur anima ad vitam æternam.(4) Posito qvod vini aut potus hic nulla fiat mentio (si maximè de cœna loqvatur) sufficit tamen, qvod Christus in institutione Cœnæ mandatum de bibitione calicis dedisset Matt. 26. v. 27. adeoq; per panem hic tota cœna posset intelligi, prout Luc. 14. v. 1. legitur, Christum in convivio qvodam panem manducasse, ubi potus non excluditur. (5) Bibitio sangvinis Christi in hoc capite etiam commendatur. Dixit eis Jesus: *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Qvi manducat meã carnem, & bibit meũ sangvinem, habet vitam æternã, & ego resuscitabo eum in novissimo die, caro enim mea verè est cibus, & sangvis meus verè est potus, qvi manducat meam carnem & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo* Joh. 6. v. 53. 54 55. 56.

654] Luc. 24. v. 30. *Christus instituit cœnam sub unâ, panem Discipulis tantùm frangendo.* Resp. (1) Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 24. dubiè loqvitur de hoc loco, neq; audet concludere, an Cœna Dominica vel vulgaris fuerit. Imò *Cornelius Jans.* in Harmon. super hunc locũ, non admittit fuisse Cœnam, qvâ in sententiâ etiam *Barradius est*, in Concordantijs Evangelicis, qvomodo igitur fratres Cadmæi inter sese conveniunt? (2) Christus non dixit hoc est corpus meum; unde ergò isti Discipuli potuerunt, aut Monachi adhuc scire possunt, cœnam Dominicã hic fuisse celebratam? (3) Nuda verba, *accepit panem, gratias egit & fregit, nihil probant*, nam Matt. 14. v. 19 Joh. 6. v. 11, Mar. 8. v. 6. hæc verba etiam de Christo leguntur, ibi tamen non

Cœna

Cœna Dominica, sed vulgaris describitur. (4) Isti duo Discipuli fuerunt Sacerdotes ex numero 70. Discipulorũ qvomodo ergo sub unâ tantùm Cœnam sumpserunt? (5) Seqveretur Christum celebrasse Missam sub unâ tantùm sine vino, qvod Pontificij aliàs non admittunt (6) Paulus de Cœnâ loqvens non provocat ad hunc locum, sed ad institutionem primam Hierosolymis factã eamq; Ecclesiæ commendat, 1 Cor. 11. v. 23 (7) Discipuli Christum agnoscebant in fractione panis, hoc enim Christus habebat in more positum, ut peractâ gratiarum actione panem frangeret & distribueret Matth. 14. v. 19. Joh. 6. v. 11. Calumnia verò est, qvod Janssenius scribit; *fateri Philippum Melancht. in Apologiâ August. Confess. hunc locum ad Eucharistiã pertinere.* Verba Philippi ita se habent: *allegant loca, ubi fit mentio panis, uti apud lucam scriptum est, qvod in fractione panis Christum agnoverint Discipuli, citant & alios locos de fractione panis; qvanqvam autem non valde pugnamus, qvo minus aliqvi de Sacramento accipiant, tamen panis appellatione reliqvum significatur.* Hic Philippus non ait, hunc locũ ad Eucharistiam pertinere, sed dicit, *esse qvosdam, qvi allegent tales locos & qvidem hunc ipsum*; interim ait, *se non valdè pugnare qvo minus aliqvi de Sacramento accipiant.* Hic Philippus recenset, qvid fiat â qvibusdam, non verò approbat hoc ita fieri. Et si Janssenius ex Philippi testimonio vellet hunc locum de Cœna Domini intelligere, seqveretur, ex testimonio Philippi, per panem qvoq; reliqvum, id est, poculum, seu totam Cœnam intelligi, qvod tamen Pontificij admittere nolunt.

655] Act. 2. v. 42. *Erant perseverantes in fractione panis*. Respond. (1) Si absq; vino Cœnam administrarunt Apostoli, seqvitur Sacerdotes posse sub unâ Missam celebrare, qvod Pontificijs est absurdum; sicut enim Pontificij concludunt, panis tantùm fit mentio, ergo panem tantùm distribuerunt, ita rectè etiam seqveretur, ergò panem tantùm consecrarunt. (2) Per panem potest intelligi tota Cœna, more Scripturis usitato Mar. 7. v. 2. Luc. 14. v. 1. Esa. 58. v. 7. ubi potus â pane non excluditur; sic petimus in oratione Dominicâ, panem nostrum qvotidianum da nobis hodie, ubi potum & alia ad vitam pertinentia non excludimus. (3) Si Pontificij ad exemplum provocant, miramur, cur ad hoc dubium, & non potius ad dilucidum Christi exemplum provocent, Cœnam sub utraq; instituentis? qvod ipsum Paulus facit, 1. Cor. 11. (4) Qvidam ex Patribus, ut Chrysostomus & Oecumenius in Comm. super hæc loca, vulgares epulas intelligunt, qvod etiam facit *Lyranus*, imò *Lorichius* in Comm. super Actor. 2. testatur, qvod multi hunc locum utroq; modo exponant, de Cœnâ Dominicâ & de epulis vulgaribus. Transigant ergò Pontificij prius inter se, an de Cœnâ Dominicâ hic locus sit intelligendus, & postmodum ex eo certa forment argumenta.

656] 1 Cor. 11. *Hoc facite, qvotiescunq; biberitis in mei commemorationem, ita explicat: Christum intellexisse, non semper sumetur calix, sed qvotiescunq; sumetur, id fiet in mei Commemorationem.* Respond: (1) v. 24. de pane hoc etiam dicitur, *qvotiescunq; manducabitis panem hunc, mortem Domini annun-*

annunciabitis, ergò seqveretur non semper panem esse sumendum, sed sensum esse, qvoties panis sumetur, annuncietur mors Domini, adeoq; Sacramentum etiam sine pane poterit administrari, qvod est absurdissimum. (2) Hac voce, *qvotiescunq;*, non significatur, interdum sumendum esse panem vel vinum, sed commendatur nobis crebra hujus Sacramenti usurpatio & mortis Dominicæ annunciatio, usq; ad visibilem ipsius adventum: ita usurpatur hæc vocula *Judith. 5. v. 18. 19.* Apoc. 11. v. 6. ubi notatur crebra rei alicujus iteratio: sensus igitur est, qvoties (sæpius autem hoc fiat) manducabitis hunc panem & bibetis ex hoc calice, toties annunciate mortem Domini, in qvâ annunciatione vera ejus commemoratio consistit.

657] 1. Cor. 11. v. 27. *Qvi indignè manducat hunc panem, reus est corporis & Sangvinis Christi, igitur à contrario, qvi solam panis speciem sumit, particeps fit corporis & sangvinis Christi.* Resp. Paulus non ait, qvi indigne panem tantùm manducat excluso calice, sed conjungit panem & calicem: qvicunq; manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sangvinis Domini v. 27. Janssenius igitur textum fraudulenter corrumpit. Imò in toto illo Capite solius panis nullibi fit mentio, sed calix semper adjungitur; panis & vinũ, corpus & sangvis, edere & bibere conjunctim leguntur v. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

658] Johan. 6. post finem versiculi 53. ait, hæc verba legenda esse: *Amen, amen dico vobis, nisi acceperitis corpus Filij hominis, ut panem vitæ, non*

habetis vitam in ipso, qvæ verba malè dicantur â Beza esse supposita. Resp. (1) Cur igitur non legit vetus versio? aut Beza rectè dixit ea verba esse suppostitia, aut versio vulgata errat, qvæ hæc verba ibidem non legit, nec Pagninus nec Ariasmontanus ea legunt. (2) Etiamsi hæc legerentur ibidem, non tamen seqveretur, ergò cœna sub unâ specie est usurpanda, cum de Cœnâ ibidem nulla fiat mentio, imò panis potum non excludat, ut n.655. demonstratum est.

659.] Act. 18. & 21. *Nazaræi multi erant inter Judæos, qvi vino abstinebant, Num. 6. igitur isti Nazaræi â vino abstinuerunt sub unicâ panis specie communicantes* Resp. (1) Act 18. v. 18. Cap. 21. v. 24. de qvibusdam dicitur, qvod vota fecerint & caput totonderint, verùm, qvod â vino abstinuerint, non legitur. (2) Posito qvod â vino abstinuerint, & propter hoc votum Cœnam sub unâ sumpserint (qvod tamen nullibi legitur, sed â Janssenio effingitur) non tamen seqveretur, Cœnam rectè sub unâ usurpari posse, cum non exemplis sed legibus sit judicandum. (3) Paulus tale votum qvoq; habebat cap. 18. v. 18. nec tamen ideo â calice abstinuit, aut abstinendum esse suasit, sed urget Christi institutionem, utramq; speciem docet, 1 Cor. 11. v. 26. 27. seq. (4) Si propter votum illi abstinuerunt, qvid fiet ergò de illis, qvi votum tale non fecerunt, & tamẽ â vino benedicto coguntur abstinere, imò qvia Laici hoc votum non habent, seqvitur eos ex calice benedicto omninò bibere debere & posse (5) Vota ista erant libera, poterantq; ad tempus fieri & postea deponi, ut Num.

Num.6.v.5. seq.patet.(6)Imò Act.18 v.19.un9Paulus & Act.21.v.24.qvatuor viri tantùm introducũtur, qvi vota fecerant, qvis autẽ credat propter tã paucos Christi institutionem immutatã, cæterisq; millenis & myriadibus calicẽ ereptũ fuisse. Miror autẽ fortes Janssenij impressiones & cõceptus, qvi audeat asserere *argumentum â nemine infringi posse!*

660] *Philippum in Apolog. Confess. Wirteb. abstemijs, & Brentzium in libro de usu integri Sacramenti Ruthenis concedere ait, ut illi sub unâ Cœnã sumant, hi verò aqvâ mellitâ utantur.* Resp. si Brentius tale qvid cõcesserit, nos improbamus & ab institutione Christi recedendũ nõ esse, constanter docem9. In Apolog. autẽ Confessionis Wirtenberg, ait, Philippũ abstemijs unam speciẽ concedere, sed neq; caput, neq; paginam, neq; verba formalia Philippi citat. In Apologia certè August. Confess. Philipp9 de utraq; specie expresse docet, qvod Christus non pro parte Ecclesiæ, sed pro totâ Ecclesiâ totã Cœnã, & qvidem utramq; ipsius partem instituerit, qvam institutionem rescindere hominibus non liceat.

661] Annectit qvasdam rationes (1) *periculum irreverentiæ vel effusionis.* (2) *Ne Laici putarent Christum dividi, qvi tamen amplius nõ moritur* (3) *propter abstemios & ægrotantes, qvi vinum non ferant hoc faciendum esse.* (4) *Ne acesceret vel congelasceret vinum reservatum.* Resp. (1) Mirum est, Christum hæc non prævidisse, periculum effusionis, errores Laicorũ, abstemiosq; non respexisse, unde Monachis hæc prudentia, qvam Christus ignoravit? num Salvator tam infirmi fuit judicij, ut ista non intellexerit aut præviderit? (2) Periculum effu-

effusionis Sacerdotib9 qvoq; posset obijci, adeoq; & illi sub unâ tantum deberent communicare, qvasi verò propter qvorundam irreverentiam Christi institutio esset violanda. (3) Imò hac ratione nec panis esset Laicis porrigendus, facilè enim posset fieri, ut hostiam vel frangerent, vel amitterent, vel aliàs irreverenter tractarent. (4) Abstemij & ærgotantes sunt paucissimi, qvi guttulam vini unam vel alteram bibere non possent, qvid fiet autem de ijs, qvi non sunt abstemij, qvi non ægroti, num tota Ecclesia Christiana propter paucos abstemios & ægrotos debet calice privari? (5) Summa irreverentia est discedere ab institutione Salvatoris, qvã tamen Pontificij nõ attendunt, malum minus metuunt, & majus interim committunt, qvod est *sugere muscas & deglutire camelos* Matt. 23. v. 24. (6) Laicis explicetur hoc mysterium, Christum non dividi naturaliter sed distingvi ejus corp9 & sangvinẽ Sacramentaliter. In Cœnâ primâ Christus certe non dividebatur naturaliter, interim tamen distinctè porrigebat panem, distinctè vinum, corpusq; & sangvinem manducare jubebat. Laici in articulo de Trinitate, de Incarnatione Filij Dei, de Baptismo multos errores possent concipere, neq; tamen propterea istos articulos abnegant, aut totam doctrinam immutant. (7) *Vinum acescere & congelascere posse* ait, sed Christus non jubet, ut vinum includamus & asservemus, verum ut bibamus, vinum asservatum est merum vinum, neq; extra usum bibitionis Sacramentalis habet usum Sacramenti.

662] Ad nostras verò rationes Janssenius excipit:

Matth.

Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. *Hic, inqvit, Christus alloqvitur solos Apostolos præsentes; & biberunt ex eo omnes.* Mar. 14. Respond. (1) Si hæc verba solos Apostolos spectant cur Pontificij Sacerdotes ex calice bibunt, cum tamen non sint Apostoli. (2) Qvoscunq; Apostoli repræsentabant, ad illos dictum est, *bibite ex hoc omnes*; sed Apostoli non Sacerdotes verum Laicos repræsentabant, non enim consecrabant, qvod est proprium Sacerdotum, nam Christus hoc faciebat, verùm manducabant & bibebant, ergo non ad Sacerdotes tantùm, sed etiam ad Laicos hoc dictum est. (3) Qvibusdam Pontificijs, voce *Omnes* intelligi solùm Sacerdotes, adfirmantibus, Johannes Fridericus Dux Saxoniæ in Comitijs Augustanis obijciebat, seqvi hac ratione, qvod, Joh. 13. v. 10. *mundi estis sed non omnes*, per voculam omnes, ipsi Sacerdotes qvoq; denotentur. Imo Hebr. 13. v. 4. *Conjugium est honorabile apud omnes*, nec tamen Sacerdotes Pontificij in conjugio viverent. (4) Qvos jussit edere, illos etiam jussit bibere, sed non solos Clericos, verum etiam Laicos jussit edere, ergò etiam eosdem jussit bibere. (5) Qvi se probare & mortem Domini annunciare possunt, illi debent edere & bibere, 1 Cor. 11. v. 26. 28. possunt autem hoc non tantum Clerici, sed etiam Laici, ergò etiam Laici debent edere & bibere. (6) Pro qvibus Christus sangvinem effudit in remissionem peccatorum, illi sangvinē debent in Cœnâ bibere Matt. 26. v. 28. atqvi non tantùm pro Clericis sed etiam pro Laicis sangvinem illum effudit, ergò & illi sangvinem debent bibere.

663] *Actio Christi in Cœnâ*, inqvit, *est tantum exemplum, non verò præceptum; verba illa, hoc facite in mei commemorationem, non notant præceptum, Lucas enim & Paulus post sumptionem panis ea referunt.* Resp. (1) Luc. 24. Christus fregit panem in Emaus, exemplum ibi describitur non præceptum. Act, 2. & 2. Exempla describuntur Apostolorum panem frangentium, non verò præcepta, & tamẽ Pontificij ex iis concludunt, Laicos sub unà tantùm debere Cœnam accipere; si igitur valet consequentia in hisce locis, cur qvæso non valet in argumento ab exemplo Christi deducto? *(2)* Qvæcunq; Christus suo exemplo conjunxit, nemo hominum separare potest aut debet, sed manducationem panis & bibitionem calicis suo exemplo conjunxit, ergò nemo hominum ea separare potest ac debet. (3) Si valet exemplum Christi in porrectione panis, ergo etiam in porrectione calicis, sed prius est verum ergò & posterius, ratio conseqventiæ est, qvia idẽ Christus fecit utrumq;, ad eosdem dixit, edite, bibite, utrumq; exprimit rationem Sacramentalem, nec ulla potest ratio diversitatis ostendi. (4) Verbum *facite Lucas & Paulus*, inqvit Janssenius, *referunt post sumptionem panis.* Resp. Paulus etiam recenset post sumptionem calicis, 1. Cor. 11. v. 25. hoc facite, qvotiescunq; biberitis in mei commemorationem, ergò manducatio panis & bibitio vini à Christo præcepta sunt. *(5)* Janssenius, ex verbo facite, præceptũ de Missâ exstruit p. 452 itaq; præsupponit in verbo facite aliqvod præceptum contineri: sed illud verbum pertinet ad commestionem & bibitionẽ,

ergo

ergo de comestione & bibitione præceptum habemus (6) Verba edite, bibite, aut ad solos Apostolos, aut solos Sacerdotes, aut omnes fideles pertinent; si illud, seqvitur Cœnam solis Apostolis esse datam, si istud, seqvitur Cœnam solis Sacerdotibus esse institutam; ergò hoc seqvitur, dicta esse hæc verba ad Apostolos ceu ad fideles & Christianos omnes, qvos Apostoli repræsentabant. (7) Bellarminus l. 1. de Euchar. c 9. agnoscit præceptum in his verbis dum scribit: *Seqvitur lex, seqvitur præceptũ, esse enim in hac institutione præceptum aliqvod divinum, nemo negat, & patet ex illis verbis, accipite. edite, item, hoc facite. Etsi enim, ut supra dixi, non est in his verbis præceptum, qvo obligentur omnes ad Eucharistiam sumendam, tamen præceptum est saltem, qvo jubebantur Apostoli tunc illam accipere, & etiam Præceptum est, ut qvando sumimus hoc modo & illo sumamus.* Vides igitur Bellarminum concedere, qvod hic adsit præceptum, licet ad omnes hoc pertinere neget. Pro qvibus Cœna est instituta ijs præceptum datum est de edendo & bibendo, sed pro omnibus Ecclesiæ Civibus est instituta, ergò & ijs præceptum datum est.

664] Ad locum Pauli, 1. Cor. 11. v. 23. seqq. respondet (1) *modum ibi præscribi, qvo uti debeant fideles, si totum Christum cum fructu edere velint.* (2) *Inter Corinthios fuisse multos Sacerdotes.* (3) *Dispensatum fuisse in Ecclesiâ Corinthiacâ, ut Laici utramq; speciem acciperent.* Resp. (1) Modum Apostolus rectè præscribit, qvo fideles uti debeant Cœnâ, hoc enim nos volumus. Ita argumentor: qvemcunq; modũ Cœnā sumẽdi Apostolꝰ præscribit fidelibꝰ,

illum

illum fideles debent observare, sed modum præscribit sub utraq; specie fidelibꝰ, ergo & sub utraq; illum modum debent observare. Imò concedit Janssenius, Christum totum utiliter & cum fructu sumi sub utrâq;, ergò seqvitur Christum nõ totum, nec utiliter, sed sine fructu sumi sub unâ (2) Epistola hæc non solis Sacerdotibus, sed toti Ecclesiæ Corinthiacæ scripta est 1 Cor. 1. v. 2. imò omnibus Christianis scripta, *vocatis & sanctis, qvi invocant nomen Jesu Christi* ibid: qvæ descriptio ad solos Sacerdotes non pertinet. Qvi se probare possunt, illis præscripsit Paulus hunc modum, 1 Cor. 11. v. 28. atqvi hoc etiam possunt Laici. Traditiones Ecclesiæ obligant omnes, aliàs dicunt Pontificij; hanc doctrinam verò Paulus tradebat, prout â Christo acceperat, 1. Cor. 11. v. 23. ergo illa omnes tam Laicos, qvam Sacerdotes obligat. (3) Dispensatum fuisse, ait, apud Corinthios de calice, sed unde hoc probat, ex qvo Capite, qvo versu? nugæ sunt & somnia Monachorum. Paulus perpetuò conjungit manducationẽ & bibitionẽ v. 26. 27. 28. 29. & urget eos debere bibere & edere in Cœnâ, qvi se probare, mortem Domini annunciare possunt, imò qvos vult abstinere â calice Dæmoniorum, illos vult bibere calicem Domini, atqvi non tantùm Sacerdotes, sed omnes Christianos vult abstinere â calice Dæmoniorum, 1 Cor. 10. v. 21. ergo omnes calicem Domini jussit bibere. Paulus doctrinam de Cœnâ non vocat dispensationem, sed traditionem â Christo acceptam: sicut ergò Christus in primâ Cœnâ non dispensavit sed præcepit edere & bibere, ita nec Paulus in hoc loco dispensat.

665]

665] *Integrè, ait, Corpus & Sangvis Chriſti ſumitur ſub unâ ſpecie*, Reſp. (1) hoc Chriſtus ignoravit, qvi non in unâ, ſed utrâq; ſpecie Cœnā inſtituit. (2) Si ſub pane etiam ſangvis continetur, ſeqvitur ſub vino etiam corpus contineri, qvod tamen falſum. (3) Hac ratione Sacerdotes Pontificij Chriſtum bis ſumunt, totum in pane & totum in calice. (4) Aliud eſt unio naturalis, aliud unio Sacramentalis, naturaliter omninò corpus & ſangvis Chriſti ſunt unita, ſed hic non loqvimur de naturali, verùm de Sacramentali Unione, an ſolum corpus cum ſolo pane edendum? an ſolus ſangvis cum ſolo vino bibendus exhibeatur? de hac unione non ex cæcâ ratione, ſed ex Chriſti inſtitutione eſt judicandum, in verbis Domini manendum eſt Diſcipulis Chriſti Joh. 8. v. 31. (5) Luther. Tom. 3. Jenenſ. Germ. fol. 529. ex iſtâ concomitantiâ demonſtrat, tandem ſeqvi in pane adeſſe cœlum & terram, qvando ſcribit. Hiezu ſchlegt nun die Concomitantien / das iſt / die Folge / weil Chriſtus Leib nicht ohn Blut iſt / ſo folget darauß / daß ſein Blut nit ohn Seel iſt / darauß folget / daß ſeine Seele nicht ohn die Gottheit iſt / darauß folget / daß ſeine Gottheit nicht ohn den Vatter vnd heiligen Geiſt iſt / darauß folget / daß im Sacrament auch vnter einer Geſtalt die Seel Chriſti / die heilige Dreyfaltigkeit gegeſſen vnnd getruncken wird / ſampt ſeinem Leib vnd Blut / darauß folget / daß ein Meßpfaff in einer jeglichen Meſſe die heilige Dreyfaltigkeit zweymal opfert vnnd verkaufft / darauß folget / weil

weil die Gottheit nicht ohn die Creatur ist/ so muß Himmel vnd erden auch im Sacrament sein/ darauß folget/ daß die Teuffel vnd Hell auch im Sacrament sint/ darauß folget/ daß wer das Sacrament (auch einerley Gestalt) isset/ der frisset den Bischoff zu Meissen mit seinem Mandat vnd Zeddel/ darauß folget/ daß ein Meißnischer Priester seinen Bischoff in einer jeglichen Messe zweymal frist vnnd seufft/ darauß folget/ daß der Bischoff zu Meissen muß ein grössern Leib haben den Himmel vnd Erden/ vnd wer wil alle Folge jmmermehr erzehlen? aber zu letzt folget auch darauß/ daß alle solche Folger Esel/ Narren/ blind/ toll/ vnsinnig/ rasend/ töricht vnd tobend sint/ diese Folge ist gewiß.

Caput Decimum septimum.

De Sacrificio Missæ.

666] SAcrificium Missæ astruens, aliqvot argumenta producit, qvæ breviter examinabimus. *Psal. 109. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sed Melchisedech sacrificavit Gen. 14. ergò etiam Christus in Cæna sacrificavit.* Respond. (1) Nulla est conseqventia, Melchisedech fuit typus Christi, ergo Christus omnia fecit, qvæ Melchisedech fecit, David qvoq; fuit typus Christi, nec tamen Christus omnia fecit, qvæ David fecit. Typus & Antitypus non in omnibus sed in uno tertio conveniant necesse est. (2) In qvibus Melchisedech fuerit

fuerit typus Christi, recenset Epistola ad Hebræos cap. 7. v. 1. 2. 3. Melchisedech erat Sacerdos & Rex; ita etiam Christus. Ille Rex erat in Salem, ita Christus est Princeps pacis in Ecclesiâ. Ille benedicebat Abrahamo, ita in Christo omnes Gentes sunt benedictæ: Ille describitur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, sic Christus non habet patrem secundum humanam naturam, non matrem secundum divinam. Ille introducitur non habens initium dierum nec finem vitæ: ita Christus est Sacerdos æternus Psal. 110. v. 4. (3) In textu non dicitur, qvod Melchisedech *sacrificaverit*, sed qvòd *obtulerit* panem & vinum; vox הוציא propriè redditur, *eduxit* vel *protulit*; illa vox usurpatur etiam Gen. 19 v. 12. ubi Loth jubetur educere Uxorem suam הוֹצֵא *educ*, neq; tamen eam sacrificavit. Ita legitur Jud. 6. v. 18. 19. ubi eadem vox qvoq; reperitur, sed notat adductionem seu prolationem hostiæ, non immolationem, qvæ duo sunt diversissima. (4) Si vox ista notaret sacrificium, seqveretur Melchisedechum Abrahamo & servis ipsius sacrificasse, illis enim protulit; conseqvens autem est absurdum, ergo & antecedens. (5) Confunditur Sacerdotium Melchisedeci cum Sacerdotio Aaronis, qvæ tamen duo Sacerdotia sunt distincta, Christus comparatur cum Melchisedecho in eo, in qvo Melchisedech & Aaron non conveniunt, jam verò Aaron qvoq; obtulit panem & vinum Exod. 29. versu. 23. Num. 28. v. 7. Ergò comparatio Melchisedechi & Christi non in sacrificio, sed in alio qvodam tertio hîc instituitur.

ſtituitur. (6) Poſito, ſed non conceſſo, qvod Melchiſedech hic verè ſacrificaſſet, cauſam tamen ſacrificulorum in Papatu hoc nihil juvaret, Chriſtus enim ſolus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non illi. Melchiſedech verum panem & verum vinum protulit, illi tantùm accidentia panis & vini offerunt; Melchiſedech ſibi ſoli non reſervabat, ſed Abrahamo & ſervis ipſius diſtribuebat; ſacrificuli autem iſti calicem ſibi reſervant, imò ſæpius in Miſsâ nec panem alicui diſtribuunt; Melchiſedech non proferebat iſta ad remiſſionem peccatorum, qvod tamen ſacrificuli faciunt, itaq; exemplum hoc ad illos non pertinet.

667] Excipit Janſſenius, *panem & vinum fuiſſe primò Deo oblata, deinde militibus tradita, non velut eſurientibus, comederant enim paulò ante & venerant prædâ onuſti. Sacerdotium Melchiſedechi & ejus ritum ſacrificalem nullibi deſcribi niſi in hoc loco; clauſulam,* erat enim Sacerdos, *omninò denotare, qvod ſacrificaverit, & qvia Chriſtus vocetur Sacerdos in æternum, ſeqvi, qvod per Sacerdotes, ſuos Miniſtros, adhuc qvotidie offerat.* Reſpond. (1) panem & vinum primò fuiſſe DEO oblata, dicitur ſed non probatur, mera igitur eſt petitio principij. (2) Abraham veniebat prædâ onuſtus, ſed in iſtâ prædâ fuiſſe panem & cibos præparatos non dicitur, qvid ſi fuiſſent oves, boves, legumina & ſimilia ad edendum non præparata? (3) Licet ſervi Abrahami antea comediſſent, novâ tamen refectione indigebant redeuntes ex prælio. (4) Licet nec Abraham, nec ſervi ejus eſuriviſſent, nihil-

nihilominus tamen Melchiſedech panem & vinum proferre potuiſſet, utpote ignorans prædam & ſatietatem illorum. (5) Nulla eſt conſeqventia, ſacrificium Melchiſedeci alibi non deſcribitur, ergò hic per adductionem panis & vini intelligitur, non enim ad fidem ſimpliciter neceſſaria eſt iſta deſcriptio ſacrificij Melchiſedeci, ſacrificavit proculdubio ſicut alij Sacerdotes, hoſtias mactando, ſine ſangvinis enim effuſione nulla poterat fieri remiſſio peccatorum Hebr. 9. v. 22. Et cum Aaronitæ panem & vinum qvoq; obtulerint Ex. 29. v. 23. non poteſt fingi, qvali talis vini & panis oblatio Sacerdotio Melchiſedeci propria fuiſſet. (6) Verba, *erat enim Sacerdos Altiſſimi*, nihil probant, nam in Hebræo non legitur vocula cauſalis כִּי ſed copulativa ו, ideo duæ actiones ibi deſcribuntur, donatio cibi & benedictio; excipit qvidem, *copulativam apud Hebræos ſæpe cauſaliter poni*, Sed notum eſt ex Grammaticis, particulam ו ex ſuâ naturâ eſſe copulativam. Bellarminus qvidem provocat ad exemplum Gen. 20. v. 3. cap. 30. v. 27. Eſa. 64. v. 5. ſed vulgata editio uti & Pagninus ibidē legunt, *et*, nō *enim*, & totus textus reclamat, iſtam particulam hic non poni cauſaliter, qvalis enim foret ratio, Melchiſedech attulit cibos, qvia erat Sacerdos Altiſſimi, nulla eſſet cohærentia; igitur particula hæc nō cauſam notat, ſed perſonam deſcribit, qvæ ut Sacerdos Altiſſimi Abrahamo benedixit. (7) *In æternum*, ait, *Chriſtum eſſe Sacerdotem, ſed in æternum non ſacrificat, ergò facit hoc per Sacerdotes.* Sed qvæſo, Janſſeni, num

Sacrificuli Pontificij in æternum sacrificabunt in Missâ, ergone etiam in purgatorio, inferno, aut cœlo Missam celebrabunt? hoc certè oportet fieri, si tua conseqventia valet. Hebr. 8. v. 3. legitur, *omnis Pontifex ad offerendum hostias constituitur, unde necesse est, & hunc habere aliqvid, qvod offerat*, sed hostia illa non est panis consecratus, qvem obtulisset, verùm *is sese ipsum obtulit* Hebr. 7. v. 28. *seipsum obtulit DEO per Spiritum Sanctum* Hebr. 9. v. 14. *seipsum obtulit pro nobis sacrificium DEO* Ephes. 5. v. 2. & hocqvidem *non sæpius* Hebr. 9. v. 25. ut Pontificij putant in cœnâ fieri, sed *semel* Hebr. 9. v. 28. *ut peccata multorum aufferret*. Et hæc est causa cur Sacerdotium Christi dicatur melius & perfectius Sacerdotio Levitico Hebr. 9. v. 7. cùm Levitæ sacrificijs suis hoc Christi sacrificium in cruce peractum præfigurarint v. 5. & Christus ipse *non per sangvinem taurorum aut vitulorum sed per proprium sangvinem in sanctuarium sit ingressus, ut æternam redemptionem acqvireret*. Hebr. 9. v. 12.

668] Mal. 1. v. 10. 11. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestrâ; ab ortu enim solis ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, qvia magnum est nomen meum in gentibus*. Respond. (1) cultus veri Dei in Novo Testam. hic describitur per sacrificium, ita Paulus Rom. 15. v. 16. ait; *sum Minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu Sancto*. Hic sacrifici-

um Evangelij introducitur, & Ethnicos sacrificium Dei fieri, ait, id qvod de Sacrificijs propriè dictis non potest intelligi. (2) Spiritualia hic intelliguntur sacrificia, ut sunt oratio Apoc. 5. v. 8. gratiarum actio Hebr. 13. v. 15. mortificatio veteris Adami Rom. 12. v. 1. mors Martyrum Phil. 2. v. 17. Eleemosynæ Phil. 4. v. 18. hæc omnia dicuntur sacrificia in locis citatis, scilicet Spiritualia Novi Testamenti. Excipit Janssenius *Spiritualia sacrificia non posse intelligi* (1) *qvia hæc offerat populus etiam, Prophetam autem loqvi de Sacerdotibus* (2) *Bona opera esse immunda, atqvi hic sermonem esse de mundis sacrificijs.* (3) *Immundis Judæorum oblationibus hic mundum Ecclesiæ sacrificium opponi.* Respond. (1) Omnes Christiani in Novo Testamento sunt Sacerdotes spirituales Apoc. 1. v. 6. cap. 5. v. 10. ergo omnes Christiani sacrificia ista spiritualia possunt offerre. (2) Opera nostra sunt immunda si ex adhærente imperfectione & immunditie æstimantur, fiunt autē munda propter fidem in Christum, cujus *sangvis mundat conscientias nostras ab operibus mortuis* Hebr. 9. v. 14. Et cur Janssenius hic fatetur opera nostra bona esse immunda, qvæ tamen superius negavit immunda esse, cum à Spiritu Sancto proveniant. (3) Sacrificia Judæorum non erant immunda, ubi hoc legitur? aut qvæ immundities illis adhærere poterat, â Deo enim præcepta erant, adeoq; sacrificijs Judæorum qvasi immundis hæc nostra munda sacrificia non possunt opponi; munda dicuntur, qvia veniunt â Spiritu Sancto, qvi est Spiritus purus, qvia fiunt in puritate

fidei, qvi per Christi satisfactionem & intercessionem mundantur.

669] Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in mei commemorationem, hic facite notat sacrificare, ergo Christus Apostolis mandavit, ut sacrificarent; sicut ipse sacrificavit, facere enim idem est ac sacrificare*, Lev. 15. v. 15. Lev. 23. v. 19. &c. *ita etiam Varro & Cicero loqvuntur.* Respond. (1) Si Christus sacrificasset in Cœnâ, utiq; hoc præcepto *facite* nobis qvoq; sacrificium injunxisset, sed illud adhuc in qvæstione est, Janssenius nondum id demonstravit, frustra igitur ex eo conseqventias nectit. (2) Imperativus *facite*, concernit omnes fideles, si ergo idem notat ac sacrificare, seqvitur omnes fideles, adeoq; Laicos sacrificare debere, qvod est absurdum. (3) Vox *facite*, nihil novi præcipit; sed id tantùm, qvod antea in verbis *edite*, *bibite*, præceptum erat; in illis autem verbis non jubemur sacrificare corpus & sangvinem Christi in remissionem peccatorum, sed corpus Christi traditum edere, & sangvinem pro peccatis effusum bibere, ergo τὸ *facite* idem nobis injungit. (4) Supra p. 439. Janssenius dixit *Christum in cruce demum sangvinem suum effudisse, non in Cœnâ*; seqvitur ergo, qvod in Cœna non sacrificaverit, sacrificium enim Christi propriè consistit in corporis sui ad mortem traditione, & sangvinis pro peccatis nostris effusione, qvomodo igitur hic affirmando præsupponit, qvod antea negavit? (5) Ex vocabulo *facite* prorsus inepte concludi sacrificium Missaticum eruditissimus ille Pontificius Esthius

in

in 1 Cor. cap. 11. fol 410. docet, qvi de comestione & bibitione hoc exponit, qvem Janssenius evolvat & suam ruditatem corrigat. (6) 1 Cor. 16. v. 1. ait Paulus de Collectis, qvæ fiunt in Sanctos, *sicut mandavi Ecclesiæ Galatiæ, ita & vos facite*. Hic facite restringitur ad præcedentem actionem, scilicet ad collectionem Eleemosynarum, ita & Christus *τὸ facite* ad comestionem & bibitionem antea præceptam restringit.

670] Act. 13. v. 2. *legitur; Ministrantibus illis Domino, λειτουργούντων, sacrificantibus, ut Erasmus vertit, scil in Missâ.* Resp. (1) Non licet Monacho discedere ab antiqvâ versione, qvæ habet *ministrantibus*, non, *sacrificantibus*, frustra ergo ad alias versiones provocat. (2) Lorinus in Comment. super hunc locum recenset diversas Pontificiorum sententias, qvorum qvidam de Missâ, qvidam de alio cultu intelligunt, prius itaq; inter se transigant. (3) Si vox Græca λειτουργία semper significat sacrificium, seqvitur Angelos qvoq; sacrificare, de qvibus hæc vocula legitur Hebr. 1. v. ult. Item Magistratum sacrificare, de qvo etiam usurpatur Rom. 13. v. 6. absurdum est conseqvens, ergo & antecedens. (4) Cultus Dei ibidem describitur, qvi consistit in docendo, Sacramenta administrando, orando, Rom. 15. v. 16.

671] Tandem ait; *Habemus altare, Hebr. 13. ergo & sacrificium.* Resp. (1) ab altari ad sacrificium nulla est conseqventia. Israelitæ Jos. 22. v. 26. 27. altare habebant sine sacrificio, Angeli & animæ Sanctorum in cœlo habent altare Apoc. 6. v. 9.

cap.14. v.18. nec tamen ſacrificant. (2) Altare illud eſt Crux Chriſti, ſacrificium eſt Chriſtus ipſe *pro nobis immolatus*, 1 Cor.5. v.7. *qvi ſeipſum obtulit & peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ viveremus, cujus vibicibus ſanati eſtis*, 1 Pet.2. v.24. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo* Eph. 5. v.2. *qvam* explicationem Eſthius Pontificius ſuper hunc locum approbat. Miror autem qvod Janſſenius non urgeat argumentum deſumptum ex verbis Chriſti, *pro vobis traditum, pro vobis effuſum*, qvod alij Pontificij urgent, ſed fortè non intellexit nervum, aut conſcientia infirmitatem ipſi ſuggeſſit.

672] Reijcitur ergo ſacrificium Miſſaticum, (1) qvia caret Scripturæ fundamento, ut refutatio dictorum allegatorũ monſtrat. (2) Qvia Chriſtus ſemel ſeipſum tradidit Hebr.7. v.26. 27. cap. 9. v.12. 26. cap.10. v.11.12. ſeq. ubi unicum Chriſti ſacrificium iteratis Leviticorum ſacrificijs opponitur, qvomodo igitur à Monachis iterum poſſit ſacrificari ? *uno ſacrificio conſummavit in æternum eos, qvi ſanctificantur*. (3) Unicus eſt Sacerdos Novi Teſtamenti propriè dictus, Hebr.5. v.6. cap 7 v.23.24. fruſtra igitur monachi ſeſe Sacerdotes vocant, qvi ſacrificia offerant. (4) *Sine effuſione ſangvinis nulla fit remiſſio* Hebr.9. v.22 qvomodo igitur in Miſſa Chriſtus ſacrificatur in remiſſionem peccatorum ſine ſangvinis effuſione? (5) Sacrificium Chriſti in cruce peractum eſt ſufficientiſſimum & perfectiſſimum Johan. 19. v.30. Hebr.1. v.3. cap.5. v.9.10. cap.10. v.14.

Ephes. 5. v. 2. Ergo non est opus alijs sacrificijs. (6) In Cœnâ recordamus sacrificij Christi, 1. Cor. 11. v. 24. 25. 26. sicut autem est aliud sacrificium ipsum & recordatio sacrificij, ita qvoq; est aliud Christi passio & Cœnæ Dominicæ celebratio. (7) Missa Vetus Testamentum revocat, dum *repræsentare dicitur Christi passionem*, Con. Trident. Sess. 22. cap. 2. atqvi Levitica sacrificia hanc repræsentabant, qvæ jam abrogata, cum corpus ipsum advenerit, Coloss. 2. v. 16. 17. Hebr. 10. v. 1 (8) Missa evertit Christi institutionem, celebratur enim sacrificando in lingvâ peregrinâ, pro mortuis etiam; imo pro temporalibus beneficijs adipiscendis, cum tamen Christus Cœnam instituerit sine sacrificio in lingvâ notâ pro vivis tantùm, qvi se probare possunt, in remissionem peccatorum & mortis suæ recordationem. Tantùm de Missa.

Caput Decimum octavum.

De Purgatorio.

673] PLusqvam centies refutata sunt dicta, qvæ citat pro purgatorio; satius fecisset, si nostratium responsiones repetijsset & eas refutasset. Sed videbimus qvid nugarum adferat.

674] 2. Maccab. 12. versu. 43. 44. 45. 46. *Et facta collatione, duodecim millia, drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogi-*

tans. (Nisi enim eos, qvi ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.) Et qvia considerabat, qvod hi qvi cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut â peccatis solvantur. Exinde concludit, pro defunctis esse orandum, eosq; subjectos esse cruciatibus â qvibus nostrâ oratione possunt liberari. Resp. (1) Librum hunc non esse Canonicum, supra n. 407. demonstratum est, & Jus Canonicum libros hosce Apocryphos esse agnoscit *distinct. 16. cap.* Canones *gloss.* atq; inter Apocryphos. Janssenius ait, *Augustinum scribere, hoc libros sobriè legendos esse, sed non qvasi errores in ijs contineantur, verùm propter exempla, qvi se occiderunt, non imitanda.* Sed cur non sunt imitanda ista exempla? scilicet, qvia fuerunt illicita, contra mandatum Dei commissa, qvæ tamen ut egregia & laudabilia celebrantur; qva de re superius actum est. (2) In hoc loco nec nomen nec res purgatorij habetur, non dicitur, qvod *isti milites igne fuerint cruciati*, aut qvod *preces factæ fuerint eo fine, ut liberarentur ab igne*, aut qvod tandē *liberati fuerint*, hæc omnia fuissent dicenda, si author purgatorium adstruere voluisset. (3) Vulgata versio plane recedit â fontibus græcis. In græco textu narratur factum Judæ v. 46. Sed in latinà versione regula & aphorismus recitatur; cùm græcus ait de Juda, *ἐποιήσατο fecit*, latinus vertit per τὸ *facere* seu *orare*. Verba, *sancta & salubris cogitatio*, pertinent ad præcedentia, *de gratiâ piè dormientibus*

bus reposita, sed latinus refert ad seqventia *de propitiatione pro mortuis facta.* v. 43. legitur qvod Judas *religiosè* fecerit, sed in græco est ἀςείως *urbanè.* Sic v. 43. græcus legit, προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, latinus autem vertit *offerre sacrificium pro peccatis mortuorum*, ubi vox *mortuorum* inseritur: hinc patet textum hunc in vulgatâ versione miserè corruptum esse. (4) Nulla est conseqventia, Iudas oravit pro mortuis, ergo datur purgatorium; orare pro mortuis possumus, placidam qvietem & gloriosam resurrectionem illis precando, qvod fit in nostris Ecclesijs, nec tamen purgatorium credimus; si in textu legeretur, *oravit pro mortuis, ut ex igne purgatorio liberarentur*, tunc argumentum papisticum procederet. (5) Circumstantiæ textus purgatorio contrariantur, venialia tantùm peccata expiantur in purgatorio, sed hi milites mortui erant in peccato mortali, nam acceperant *donaria Idolis consecrata* v. 40. qvod scelus morte fuit punitum Deut. 7. v. 25. Jos. 7. v. 1. seq. Judas hoc facto *cogitabat de resurrectione* v. 43. qvi verò orat pro bono in resurrectione conferendo, is non orat pro liberatione ex purgatorio, qvæ ante resurrectionem fit, docentibus Pontificijs. Dicitur. v. 45. de occisis militibus, *qvod cum pietate obdormierint, & optimam gratiam habuerint repositam*, at qvalis hæc esset gratia, si igne purgatorio fuissent cruciati; si in pietate obdormijssent, cur ergò puniti sunt in altero mundo? (6) Historia ista recensetur 1. Maccab. 5. v. 58. seq. describitur etiam â Josepho lib. 12. An-

tiqvit: cap. 12. nec tamen ibidem fit mentio sacrificij pro mortuis. Neq; in Levitico legimus, fuisse tale sacrificium pro mortuis institutum, igitur res tota fit suspecta, Judam pro liberatione militum ex purgatorio victimas istas obtulisse. Causæ verò istarũ precum fuerunt, tum iræ divinæ aversio ne simile qvid populo accideret, qvod olim factum Jos. 7. v. 12. atq; huc pertinent verba v. 42. *Conversi rogaverunt, ut id qvod factum erat delictum, oblivioni traderetur*; tum populi superstitiosi â simili peccato præservatio, admonebat enim Judas cæteros milites *ne in peccata prostratorum dilaberentur* v. 42. jussit ergo victimas offerre, ut Deus placaretur populo suo pœnis parcere, atq; â talibus delictis eum præservare. (7) Videtur igitur Epitomator istius libri ex proprio judicio v. 43. verba inseruisse, *benè & religiosè*, qvæ si κατὰ ῥητὸν intelligantur, seqveretur certè, qvod post mortem peccata mortalia remittantur, & qvod post mortem ex inferno detur liberatio, cum isti milites in peccato mortali occubuerint, adeoq; ex principio Christianorum in infernum detrusi fuerint; errores autem hi sunt gravissimi, qvâ de causâ author libri rectè *veniam petit* cap. 15. v. 39. Cum itaq; dictum istud loqvatur de remissione peccati mortalis post mortem, & de liberatione damnatorum ex inferno, seqvitur de purgatorio illud non loqvi qvippe qvod non est infernus, in qvo etiam peccata mortalia non remittuntur.

675] Matth. 12. v. 32. *Qvicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qvi autem dixerit*

rit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Hinc concludit, qvasdam culpas in illo seculo remitti. Respond. (1) Verus sensus hujus dicti est, blasphemia in Spiritum Sanctum nunqvam remittetur, nullo loco, & nullo tempore. Probatur hoc (1) qvia v. 31. disertè dicitur, *blasphemia Spiritus non remittetur.* (2) Qvia Marcus cap. 3. v. 28. seq. eundem Christi sermonem ita exprimit: *qvi blasphemaverit Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* (3) Lucas cap. 12. v. 10. qvoq; ita docet: *Omnis, qvi dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi, ei autem qvi in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur.* (2) Non verò seqvitur, Christus ait peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur in altero seculo, ergo datur aliud peccatum, qvod remittitur in altero seculo, ex istâ negatione non statim debet inferri affirmatio. Si qvis dicat; Blasphemi Deum non amant nec in hoc nec in futuro seculo, non licet statim concludere ergo homicidæ amant Deum in altero seculo. Si dicam, Janssenius Deo nō rapit gloriam suam nec in hoc, nec in futuro seculo, num statim erit concludendum, ergò alius qvidam in futuro seculo id facit? A negatione unius subjecti non statim potest inferri affirmatio alius subjecti. (3) In alterâ vitâ propriè non datur remissio peccatorum, *nunc enim est tempus acceptum, nunc est dies salutis,* 2 Cor. 6. v. 2. qvi hoc tempus negligit cum virginibus fatuis, frustra pulsabit januam cœli clausam Matth. 25. v. 11. seq. Hic *qværendus est Dominus dum inveniri potest*

Esa. 55. v. 6. *Nemo differat justificationem usq; ad mortem* Syr. 18. v. 22. *Qvia mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem* Eccl. 9. v. 5. *Sicut cecidit arbor in qvemcunq; locum ceciderit, ibi erit* cap. 11. v. 3. *Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra* Hebr. 3. v. 7. 8. *juravit Deus incredulis in irâ suâ, qvod non introire debeant in reqviem suam* v. 18. **Hier all Sünd vergeben werden/** in hymno usitato Ecclesia Christiana canit. (4) Si maximè concederemus peccata remitti in altero seculo, hoc tamen non aliter intelligendum, qvam qvod anima â corpore soluta simul â peccatis solvatur, & in extremo die salvanda sit, 1 Cor. 5. v. 5. qvo sensu precatur Paulus ut *Dominus det Onesiphori familiæ misericordiam invenire in die illo*, 2. Timoth. 1. v. 18. Licet igitur sensus Christi esset, qvædam peccata remitti in altero seculo, non tamen de purgatorio statim esset intelligendum, cum dentur plures modi qvibus peccatum remittatur.

676] 1 Cor. 3. v. 12. 13. 14. 15. *Si qvis ædificat super fundamentum (qvod est Christus Jesus) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusq; opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, qvia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus, qvale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit qvod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen qvasi per ignem.* Hic fit mentio ignis, qvi purgabit, ergo est ignis purgatorius. Resp. (1) Peltanus cap. 6. p. 243. de hoc loco scribit: *unum certum est, nempe hunc locum, imò verò totum Caput, unde locus petitus est, metaphoris abundare.* Qvare

ergò

ergò ex Metaphoris Pontificij probant hunc gravissimum fidei articulum? (2) Magnus Patrum dissensus occurrit in explicatione hujus loci, qvidam per *Architectum* intelligunt omnes Christianos, qvidam solos Doctores Evangelij, qvidam per *fundamentum* intelligunt fidem, alij Christum, qvidam per *aurum & argentum* bona opera, alij expositiones catholicas, qvidam bonos auditores; qvidam per *fœnum & stipulas* intelligunt peccata mortalia, qvidam hæretica dogmata, qvidam affectus carnales, qvidam peccata venialia, qvidam malos auditores intelligunt: per *ignem* qvidam tribulationes hujus vitæ intelligunt, alij ignem iræ Dei, alij ignem conflagrationis mundi, alij ignem æternum, prout illorum sententias collegit Meisnerus de Purgatorio cap. 5. (3) Ipsi Pontificij graviter dissentiunt de explicatione hujus loci. Per *Architectos* Bellarminus solos Doctores, Fevardentius simul Auditores intelligit. Per *aurum & argentum* Stapletonus bona opera, Bellarminus & Peltanus utilem doctrinam, per *stipulas & fœnum* Stapletonus peccata venialia, Bellarminus & Peltanus malam doctrinam, Valentianus peccata levia & pœnas temporales intelligunt. *Diem Domini* de judicio particulari Peltanus, Pistorius, Costerus, de Universali & ultimo Bellarminus, de die mortis & Judicij Valentianus exponunt. Per *ignem* probantē opus uniuscujusq; Valentianus purgatorium, Bellarminus autem ignem universalis judicij intelligit. Verba, *detrimentū patietur*, Valentianus de personâ operante, Bellarminus de ipso opere intelligit. Valentianus

de purgatorio intelligit verba, uniuscujusq; opus ignis probabit. Bellarminus & Peltanus hoc negant, & ultima tantùm verba, *salvus erit qvasi per ignem*, de purgatorio intelligunt, prout sedulâ authorum collatione hoc demonstrat Meisnerus d. l. (4) De purgatorio locus hic non potest intelligi, loqvitur enim *de igne omnes homines probante* v. 13. ignis autem purgatorius non omnes purgat, *ignis iste opera tantùm comburet* v. 13. 14. purgatorium autem operantes animas uret. *Ignis* iste est metaphoricus v. 15. *qvasi ignis*, sed purgatorium est ignis verus. (5) Verus itaq; hujus loci metaphorici sensus est: fundamentum est Chrstus, architecti sunt Doctores, aurum & argentum sunt solida doctrina, lignum & stipulæ, opiniones humanæ, dies est tempus afflictionis, ignis autem est ignis tribulationis. Ignis iste probabit in tentatione veram & falsam doctrinam stipulasq; comburet, qvi autem fundamentum retinuit, is servabitur, sed qvasi per ignem, hoc est, cum terrore eripietur & errores suos cum pœnitentiâ agnoscet. Sensum hunc cohærentia totius Capitis gignit, utpote in qvo Paulus Ecclesiam ædificio, v. 9. sese architecto v. 10. Christum fundamento comparat v. 11.

677] Phil. 2. v. 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum* Resp. (1) Bellarminus lib. 2. cap. 6. de purgat: scribit, *Ecclesiam nihil definivisse ubi sit Purgatorium*, & multas Doctorum opiniones recenset, ergo per inferorum genua, animæ in purgatorio certò nō intelliguntur. (2) Genua flectere significat Christum pro Domino Dominorum agnoscere, qvi omnem

omnem potestatem habeat in cœlo & in terrâ, hoc autem modo damnati & ipsi dæmones genua flectent coram Christo. (3) Bellarm. lib. 1. cap. 8 de Purgat. fatetur, per inferos non improbabiliter accipi dæmones. (4) Qvidã etiã intelligunt Creaturas, qvæ sunt in mari infra terrã, & in tres classes dividuntur Apoc. 5. v 2. 3. Ex. 20. v. 4 illæ enim suo modo Christum agnoscunt Dominum, illumq; celebrant Ps. 19. v. 1. Ps. 104. v. 27. Ps. 148. v. 6.

678] 1 Cor. 15 v. 29. *Qvid facient, qvi baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut qvid & baptizantur pro illis?* Respond. (1) Locus hic est obscurus fatente Bellarmino, qvi sex ejusdem interpretationes affert, lib. 1. de Pur. c. 6. ex obscuris autem non probatur articulus fidei. (2) Nulla est ratio cur de purgatorio locus iste explicetur, baptizari eqvidem interdũ sumitur pro affligi, sed non seqvitur, ergo & hic ita accipitur (3) Contrariatur textui. Paulus hic probat resurrectionẽ mortuorũ, si autẽ per Baptismũ intelligitur afflictio pro mortuis suscepta, qvomodo seqvitur, ergo mortui resurgent. Nã Ethnici qvoq; lugebãt mortuos suos gravissimè, nec tamẽ resurrectionẽ credebant, 1 Thes. 4. v. 13 (4) A luctu propter mortuos ad purgatoriũ nulla est cõseqventia, omnes enim mortui deflentur â suis relictis, nec tamen omnes descendunt in purgatoriũ. (5) In Græco fonte vox ὑπὲρ cũ genitivo nõ vertenda est per *pro*, sed per *super*, qvod multis exemplis probat Stephanus in Thesauro, ὑπὲρ νεκρῶν igitur baptizari, est super mortuos vel super sepulcra mortuorum baptizari,

zari, qvi ritus fuit in Ecclesiâ primitivâ usitatus. Facto hoc innuebant Christiani, qvod per Baptismum *cumChristo in mortem ejus sepelirentur* Rom. 6. v. 4. qvod parati essent ad mortem obeundam propter fidei confessionem, & qvod gloriosam baptizatorum crederent resurrectionem.

679] Tandem concludit; *sunt qvædam peccata venialia in qvibus homines qvidem repentè moriuntur, sed illi non salvantur, neq; in inferno expiantur, ergò in alio loco scilicet in purgatorio. Huic nodo, inqvit Janssenius, nullus est cuneus, nullus ensis.* Resp. (1) Argumentum procedit ex falsâ hypothesi, qvod peccata venialia ex se mortem æternam non mereantur, contra Deut. 27. v. ult. Gal. 3. v. 10. Jac. 2. v. 10. (2) Peccata venialia sunt actus citò transeuntes conjuncti cum displicentiâ justi, qvam primum comittitur peccatum veniale cum displicentiâ tali, tunc statim etiam remittitur; fideles enim resistunt pravis cogitationibus pœnitentiâ extemporali, hinc peccata illa ex se qvidem mortalia, fiunt venialia & remittuntur. (3) Ipsi Pontificij statuunt peccata venialia expiari posse per qvædam opera, ut sunt digna communio, aqvæ benedictæ aspersio, Eleemosynarum largitio, injuriarum remissio, orationis Dominicæ precatio, Confessio generalis, benedictio Sacerdotis, devota pectoris tunsio, cordis contritio, extrema unctio, flagellatio &c. jam verò vix datur homo tâ subitò moriens, qvi non possit particeps fieri vel unius medij ex hisce omnibus, puta contunsionis, contritionis. Dico igitur, qvi moritur in peccato sine pœnitentiâ is certò damnatur, qvi

autem

autem cum Pœnitentiâ, is salvatur, & cum peccata ejus merito Christi sint expiata, qvod fide sibi applicat, ulterius expiatione non indiget.

680] Nos verò purgatorium istud negamus propter gravissimas rationes, qvas Janssenio ponderandas relinqvimus. (1) Duo tantùm sunt loca animarum, cœlum & infernus Luc. 16. v. 22. seq. Mar. 16. v. 16. Matth. 25. v. 34. 41. Joh. 5. v. 24. (2) De statu animarum legimus qvædam Sap. 3. v. 1. Psal. 49. v. 15. 20. Hiob. 10. v. 21. item de funeribus & luctu super mortuos Gen. 23. v. 9. cap. 35. v. 8. Num. 20. v. 1. Gen. 50. v. 10. 11. sed qvod purgentur post mortem in igne, nullibi legitur. (3) Credentes in hac vitâ habent pacem cum Deo, sunt filij Dei, cum desiderio expectant solutionem corporis, cupiunt dissolvi Rom. 5. v. 1. 1 Joh. 3. v. 2. Rom. 8. v. 22. Philip. 1. v. 23. qvæ omnia esse non possent, si purgatorium ipsis esset expectandum. (4) Animæ credentium post mortem justificatæ sunt â peccatis Rom. 6. v. 7. qviescunt in pace, Sap. 3. v. 3. Esa. 57 v. 2. deportantur in sinum Abrahæ Luc. 16. v. 22. adeoq; beatæ sunt Apoc. 14. v. 13. (5) Meritum Christi non admittit purgatorium, omnia peccata nostra portavit Joh. 1. v. 29. 1 Pet. 2. v. 24. ipse pœnam portavit, ut nos pacem haberemus Esa. 53. v. 5. mundat nos ab omni iniqvitate, 1 Joh. 1. v. 7. ita ut nihil damnabile sit in illis, qvi sunt in Christo Jesu Rom. 8. v. 1. (6) Exempla contrarium monstrant, Latro indigebat expiatione, & purgatione, sed in paradisum rectâ ferebatur Luc. 23. v. 43. Lazarus statim in sinum Abrahæ deportabatur Luc. 16. v. 22. credentes qvi supere-

runt in die novissimo, sine purgatorio Deus ad se recipiet, 1. Thess. 4. v. 17. *Qvi sunt illi amicti stolis albis, & unde venerunt?* Respond. *ex tribulatione magnâ, & laverunt stolas suas* (non in purgatorio sed) *in sangvine Agni* Apoc. 7. v. 13. 14. (7) Fide purificantur corda nostra Act. 15. v. 9. Baptismo Christus nos lavat, ut simus immaculati Eph. 5. v. 26. 27. pœnitentes mundat Deus ab omni iniqvitate, 1. Joh. 1. v. 9. ergo nihil amplius restat igne post mortem emundandum. (8) Cur Papa non liberat animas ex purgatorio? si non potest, qvid ergo jactat sibi datam esse omnem potestatem, cur vota, suffragia, Missas, preces pro mortuis instituit? si non vult, iniqvissimus Pastor est, qvi Oves suas in tanto cruciatu relinqvit. (9) Ex Ethnicismo istud dogma de purgatorio traxit originem, inprimis Platone, Cicerone, Virgilio, imo ex Mahometismo, teste Bellarmino lib. 1. cap. 11. de purg. & Bayerlingo parte 1. Conc. 28. p. 524. (10) Fictis apparitionibus & diabolicis illusionibus ignis iste fuit confirmatus, fatente Bellarm. lib. 1. cap. 11. de purg. & Peltano cap. 10. Videatur Meisnerus in Tractatu peculiari de purgatorio, qvi fatuum istum ignem penitus exstinxit, & falsitatem figmenti istius prolixè demonstravit.

Caput Decimum nonum.

De Sanctorum Invocatione.

681] QUinq; membra sunt istius Capitis Janssseniani (1) *accusat nos docentes, qvod animæ mortuorum dormiant.* (2) *Demonstrat Sanctos in Cœlis pro nobis orare*

orare (3) *Sanctos nosse secreta cordium.* (4) *Sanctos esse invocandos & adorandos.* (5) *Nostra argumenta refutat.* Videbimus singula.

682] *Primò accusat nos docere, qvod animæ mortuorum dormiant expertes sensus actionis & cogitationis, teste Luthero.* Respond. Lutherus in Genesin cap. 25 & 42. hæc verba habet; *apparet eas dormire & qviescere, sed nihil assero.* Distingvit statim inter somnium & qvietem hujus & illius vitæ, inqviens; *Homo enim defatigatus diurno labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanqvam in pace inibi dormiat &c. Anima autem non sic dormit, sed vigilat & patitur visiones ac loqvelas Angelorum & Dei: ideo somnus in futurâ profundior est, qvam in hac vitâ, & tamen omninò coram Deo vivit.* Et post pauca: *Anima post mortem intrat cubiculum suum ad pacem & dormiens non sentit somnum suum, & tamen Deus servat vigilantem animam, sed qvomodo? nescimus, sufficit similitudo Somni corporalis, & qvod Deus affirmat esse somnum, qvietem & pacem.* Verba Lutheri sunt clara, intelligit somnum istis animabus convenientem in manu Dei, ita tamen ut visiones & Colloqvia Dei & Angelorum admittant.

683] *Secundò demonstrat, Sanctos in Cœlis pro nobis orare*; sed hoc etiam non negamus. Apologia August. Confess. Art. 21. expressè scribit; *sicut Sancti vivi orant pro Ecclesiâ in genere, ita in cœlis qvoq; orant pro Ecclesiâ in genere; qvia verò Scriptura Canonica expressa exempla nō habet de oratione Sanctorum particulari, ideo eandem non urgemus velut Articulum fidei, sed relinqvimus suo loco tanqvam*

pias meditationes. Janssenius qvædam Scripturæ dicta affert, qvæ ordine videbimus.

684] 2 Maccab: ult. *Judas in visione qvadam vidit Oniam Sacerdotem & Jeremiam Prophetam orantes pro populo.* Resp. (1) Liber est Apocryphus, qvod supra n. 407. solidè demonstratum est. (2) Somnium ibidem recitat v. 12. qvo volebat milites ad prælium animare, non autem rem verè gestam. (3) Si κατὰ ῥητὸν ista omnia sunt intelligenda, seqvitur Sanctos in Cœlo esse gladiatos, Jeremias enim Judæ dabat gladium aureum v. 15. 16. (4) Qvicqvid sit, vel somnium vel vera historia, non tamen legitur, qvod Judas & milites Oniam & Jeremiam invocaverint, qvo fine & scopo tamen istud exemplum producitur.

685] Luc. 16. *Dives orat pro fratribus in inferno, ergò Sancti multo magis in cœlo.* Respond. (1) A damnatis non debemus discere, qvid faciendum & qvomodo orandum sit, illi enim â facie Dei rejecti nos docere non possunt. (2) Intercedit Epulo apud Abrahamum; sed nos loqvimur de intercessione Sanctorum, non apud Sanctos, verùm apud Deum, invocat Abrahamum ut opitulatorem; at Sanctos invocant Pontificij non ut Opitulatores, sed at Intercessores. (3) Orat Epulo sed non exauditur, seqveretur ergò Sanctos pro nobis orare, sed non exaudiri. (4) Eo fine producitur istud exemplum, ut Sanctos possimus invocare, seqveretur ergo Epulonem divitem esse invocandum. (5) Si Abrahamus vel Lazarus pro animabus in inferno intercedissent, possent fortè Ponti-

Pontificij aliqvid obtinere. Istud igitur exemplum preces Sanctorum non evincit.

686] Apoc. 5. & 8. *Seniores offerunt phialas plenas odoramentorum, hoc est, preces Sanctorum.* Resp. (1) non negamus Sanctos in genere orare pro nobis, an verò particulariter, id ex hoc loco non potest probari. (2) qvidam per Cœlum ibidem intelligunt Ecclesiam in terris militantem, ut Apoc. 12. v. 7. & alibi vox ista sumitur; hac ratione Sancti viventes in terrâ Deum adorassent, cujus sententiæ est Viega super hunc locum (3) Sancti illi non dicuntur intercedere pro vivis, sed offerunt Agno laudes, cujus sangvine sunt redempti, & ad Regale Sacerdotium evecti Apoc. 5. v. 9. 10. (4) Qvomodo autem exinde seqveretur, ergo sunt invocandi? hoc enim fine & scopo exemplum istud adducitur.

687] Apoc 6. *Animæ Martyrum sub Altari magno clamore petunt vindictam, multo magis petent misericordiam pro fratribus.* Respond. (1) Ribera & Viega duo Pontificij hunc clamorem metaphoricè intelligunt in Comment: super hunc locum, exemplo sangvinis Abelis, qvi etiam de terrâ clamavit Gen. 4. v 10. si hoc autem verum, certè intercessio Sanctorum in Cœlo hinc non poterit deduci. (2) Animæ illæ non orant pro alijs vivis, id qvod in qvæstione est, sed pro sese clamant, ut judicium adveniat, in qvo hostes ipsius puniri & ipsæ gloriosis corporibus restitui possint. (3) Imò animæ istæ nesciverunt statum Ecclesiæ militantis in specie, dictum est enim illis, *ut qviescerent exiguum tempus, donec compleatur numerus conservo-*

rum & fratrum, qvod dum illis indicatur, certum est, qvod antea nesciverint. (4) Qvidam id declarant de Martyribus viventibus; nec obstat, qvod Janssenius ex Bellarmino adducit, qvod Sancti in terris orent pro suis persecutoribus: in terris enim sæpius vindictã â Deo petunt contra persecutores suos ut Ps. 18. v. 4. 5. Ps. 59. v. 6. Jer. 17. v. 18. Os. 9. v. 14. (5) Qvicqvid sit, sive Sancti in cœlo, sive Sancti in terrâ hic intelligantur, nõ tamẽ hinc seqvitur, illos pro nobis intercedere, aut â nobis adorandos esse.

688] *Christus est Caput, Eph. 1. corpus ipsius est Ecclesia militans & triumphans, qvæ membra unius corporis pro se invicem sunt sollicita.* Resp. (1) ex ista communione nihil aliud seqvitur, qvam Sanctos in cœlo orare pro Ecclesiâ militante, illos verò scire actus speciales viventium, audire preces illorum, adeoq; rectè eos invocari, exinde non seqvitur. (2) Communio illa fuit eorum etiam qvi sunt in purgatorio, si Pontificijs credendum est; atqvi sicut non seqvitur, ergo Sancti in purgatorio orant pro nobis, ita etiam de Sanctis in cœlo hoc non potest seqvi; imò veluti Pontificij Sanctos in purgatorio non compellant precibus, ita etiam nec Sancti in cœlo sunt compellandi. (3) Communionem hanc habuerunt olim Judæi viventes cum Patriarchis in cœlis, neq; tamẽ legitur, qvod vel Patriarchæ pro Judæis specialiter oraverint, vel hi illos invocaverint. Qvicqvid sit, argumentum istud ex analogia Capitis ac membrorum est petitum, adeoq; ex metaphoricâ comparatione, qvod tantum est probabile, imò magis rem probatam illustrat, qvam dubiam probat.

689]

689] *2.Pet.1. Dabo operam & freqventer habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis, hic Petrus ait, se post mortem suam velle curam habere viventium* Resp. Petrus ait, se operam dare velle, ut fideles post mortem etiam retineant memoriam, eorũ qvæ ex ipso vivo audiverant, Loqvitur de memoriâ Sanctorum ad qvos scribit, nõ de suâ post mortem memoriâ. Sensus est, operam dabo, ut habeatis, cujus post obitum meum recordemini. Ita Cajetanus explicat, & doctissimus ille Pontificius Esthius in Comment. super hunc locum qvi illam opinionem refellit, qvâ hic locus de intercessione Sanctorum explicatur. Textus Græcus etiam hoc evincit, σπουδάσω studebo, ἑκάστοτε freqventer ἔχειν ὑμᾶς habere vos, μετὰ τὴν ἔξοδον ἐμὴν post obitum meum, τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι istorum memoriam facere. Non ait σπουδάσω μετὰ τὴν ἔξοδον sed σπουδάσω ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἔξοδον. Non ergo Petri de Auditoribus memoria, sed memoria auditorum de Petro hic describitur.

690] *Angeli orant pro nobis & curam gerunt nostri Tob.12 Luc.1. Apoc 8. Ps.90. Zach.1. Sancti verò sunt Angelis similes, ergo & illi orabunt.* Resp. (1) Zach.1. Apoc.8. agitur de Angelo increato, id est, Dei Filio ut textus circumstantiæ monstrant. (2) Tob.12. Ps.90. Angeli curã gerunt nostri ex divinâ ordinatione, sunt enim Spiritus administratorii Hebr.1.v.ult. sed hoc officiũ Sanctis in Cœlo nõ est

commissum. (3) Si maximè concedamus, Angelos & Sanctos generaliter orare pro nobis, nō tamen seqvitur, eos scire recessus cordium nostrorum adeoq; religiosè colendos esse, de qvo hic qværitur.

691] Tertiò, *Scire Sanctos arcana cordium nostrorum probat exemplo Samuelis, 1. Sam. 9. & 10. Elisæ 2 Reg. 5. Petri Act. 5. Pauli Act 14. item Eliæ scribentis ad Joramum 2 Chron. 21.* Respond. (1) Sancti isti non fuerunt omniscij, sed qvædam tantùm occulta sciverunt, eaq; pauca; at Sanctos in cœlis omniscios esse oportet, si sint invocandi. (2) Ex divinâ revelatione hæc pauca ipsis innotuêre, & sic non negamus, Sanctis in cœlis â Deo qvædam posse revelari. (3) Vivi isti erant Prophetæ & Apostoli ad qvorum officium pertinebat miraculosa & extraordinaria illa qvarundam occultarum rerum scientia, in cœlis autem Sancti officia illa non amplius administrant. (4) Nec Samuel, nec Elisa, nec Petrus præsentes religiosè sunt invocati propter hanc scientiam, ergo Sancti in cœlis si maximè talem haberent, multò minus, ut absentes, invocari possent aut deberent.

692] De Joramo 2 Chron. 21. v. 12. eqvidem legitur, qvod scriptum qvoddam Eliæ ad ipsum pervenerit, Eliam verò in cœlis hanc Epistolam scripsisse adeoq; Sanctos in cœlo precum nostrarum conscios esse, ut Janssenius putat, exinde non seqvitur: nam (1) in textu non legitur, qvod Joramus Eliam invocaverit vel ante vel post exhibitam epistolam, qvod tamen esset necessarium si Pontificij assertionem suam obtinere vellent. (2) Probent adversarij evidenter, Eliam has literas in

cœlo

cœlo scripsisse: qvam diu hoc non probaverint, firma argumentatio ex hoc loco non poterit desumi. (3) Qvamvis Chronologi huc inclinant, qvòd Elias circa initium regni Jorami, forsan anno secundo in cœlum fuerit translatus, & septimo demum anno Epistola ad Joramum missa sit, opinio tamen ista est lubrica, nullumq; ejus rei certum fundamentum in textu apparet. Verisimile est, qvod Elias videns ingenium Jorami adolescentis de regno ipsius malè omninatus fuerit, & ante translationem in cœlos, epistolam comminatoriam scripserit asservandam, & suo tempore exhibendam. Sic Propheta qvidam vaticinabatur de Josia nondum nato, qvi altare Jerobeami destructurus erat, 1 Reg. 13. v. 2. 3. Sic Esaias de regno Cyri nondum nati futura prædicebat cap. 44. & 45. simili modo Elias de idololatriâ & pænis Jorami ante suam in cœlos translationem futura prædixit, & epistolam Joramo tradendam conscripsit. (4) Posito autem, qvod Elias in cœlo idololatriam Jorami viderit, & hanc epistolam scripserit ibidem, (qvod tamen probari neqvit) non tamen procederet argumentatio ad communem statum Sanctorum, qvæ enim DEO peculiariter revelante Prophetis fuerunt cognita, non statim ab alio qvovis cognoscuntur. Sic Samuel vidit absentia 1 Sam. 9. v. 2. seq. Elias prædixit futura 1 Reg. 21. v. 19. seq. nec tamen seqvitur ergo omnes in terris viventes vident absentia & futura prædicere possunt. Ab eo qvod uni est proprium ad id qvod commune est omnibus nulla valet conseqventia.

693] *Sancti vident DEUM de facie ad faciem, jam verò DEUS omnia videt; ergo & Sancti omnia vident in DEO.* Resp. (1) Janssenius petit principium, qvod is omnia videat, qvi Deum omnia videntem videt, qvomodo, qva connexione hoc seqvitur? (2) Animæ Sanctorum Apoc. 6. v. 10. vident Deum, nec tamen tempus vident, qvo Deus vindicabit sangvinem effusum â persecutoribus, hinc clamant, *usqve qvò Domine non judicas & non vindicas sangvinem nostrum*. v. 10. ergo Sancti non omnia in Deo vident (3) Sancti in cœlis, non vident in Deo diem extremi judicij, hanc enim *nemo novit nisi Pater*, *imo nec angeli eam norunt Mar. 13. v. 32.* qvi tamen Deum qvoq; vident, Matth 18. v. 10 Ergo nec sancti nec angeli in Deo omnia vident. (4) eodem modo posset concludi, Sancti sunt in Deo omnipræsente, ergo & ipsi sunt omnipræsentes: sicut autem Dei omnipræsentia sanctos non facit omnipræsentes, ita nec ejus omniscientia sanctos facit omniscios. (5) Si Sancti in Deo vident omnia ergo non opus habent relatione hominum qvi ex hàc vità ad illos veniunt, nec relatione angelorum; Qvas tamen relationes Sanctis necessarias esse ut rescifcant ea qvæ in terris geruntur, Becanus docet in Theol. Scholast par. 1. cap. 9. qv. 13. (6) Eodem modo qvis posset argumentari, qvi videt Solem omnia collustrantem, is videt omnia ea, qvæ Sol collustrat, qvam conseqventiam nec ipsi Pontificij concedent. (7) Eodē modo qvis posset concludere; Sancti vident Deú, qvi est omnia in omnibus, ergo & Sancti ipsi sunt omnia in omnib9. Imò Sancti vidēt Deū, ergo sunt

sunt Deus ipse. Meræ sunt speculationes Scholasticorũ qvæ in Scripturis fundamentum nõ habent.

694] *Qvartò Janssenius directè probat Sanctos esse invocandos & adorandos. Gen. 48. Angelus qvi eripuit me de cunctis malis benedicat pueris.* Resp. (1) Angelus ille fuit increatus, hoc est Filius Dei, is enim revocabat Jacobum Cap. 31. v. 13. ille salutem conferebat animæ Jacobi cap 48. v. 16. huic Angelo votum fecerat cap. 31. v. 13. ille in formâ Viri cum ipso luctabatur cap. 32. v. 24. is ab omni malò (adeoq; etiam â peccato) Jacobum liberaverat, id qvod solius Dei est. Ita Filius Dei vocatur Angelus Esa. 63. v. 9. Hos. 12 v. 4. Zach. 1. v 9. Mal. 3. v. 1. Apoc. 8. v. 3. Pererius in Cap. 32. Gen. testatur complures Sanctorum Patrum per Angelum intellexisse Christum, si ergo Patres non errant, cur Janssenius ab ijsdem recedit, qvos tamen Regulam fidei esse supra defendit. (3) Benedictio â Solo Deo principaliter provenit, in Filio Dei promisso semine Abrahæ omnes gentes sunt benedictæ Gen. 12. v. 3. Gal. 3. v. 16. Ergo per Angelum hunc Messias intelligitur fons omnis benedictionis â qvo Moses benedictionem precabatur tribui Joseph. Deut. 33. v. 16.

695] *Job. 5. Voca si qvis est qvi tibi respondeat & ad aliqvem Sanctorum convertere.* Respond. (1) vox clama in Hebræo notat non invocare sed nomina recensere קְרָא *converte te ad aliqvem Sanctorum*, in hebræo ita sonat, *ad qvem Sanctorum respicies?* ut Arias Montanus vertit. (2) Totus contextus ostendit, qvod amici Jobi hoc velint: *nomi-*

nomina Sanctorum aliqvem, qvi justus fuerit, tales tamen calamitates sustinuerit, num erit aliqvis qvi tibi responderit & testetur, hoc enim verba Jobi præcedentia & amici ejus seqventia evincunt. Amicus iste Jobum non solari, aut consilio succurrere, sed illum objurgare volebat & ipsi insultare. (3) Imò qvia Eliphas ait *Sanctos Jobo non respondere*, seqveretur Sanctos nos non exaudire. (4) Nullibi Jobus invocavit Sanctos sed verum Deum cap. 42. v. 2. seq. & in hoc cap. 5. v. 8. Eliphas ad suum provocat exemplum, qvod Deum verum invocet. (5) Concedunt Pontificij in Veteri Testam. invocationem Sanctorum non fuisse usitatam, cur ergo eam ex hoc loco probant?

696] *Sancti orant propter David Psal. 131. v. 10. 2. Chron. 6. v. 16. 17. propter Abraham, Isaac & Jacob. Dan 3. v 35. 36. hoc est, propter merita illorum.* Respond. ita qvidem orant, sed non intelligunt merita vel intercessiones istorum Sanctorum, verùm promissiones Davidi & istis Sanctis factas & foedus Dei cum ijs initum, ita enim se habent verba 2 Chron. 6. v. 16. 17. *Nunc Domine Deus Israel, imple servo tuo Patri meo David, qvæcunq; locutus es, dicens: non deficiet ex te vir coram me, qvi sedeat super thronum Israel, ita tamen, si custodierint filij tui vias meas & ambulaverint in lege meâ, sicut & tu ambulasti coram me. Et nunc Domine Deus Israel firmetur sermo tuus, qvem locutus es servo tuo David. Psal. 131. v. 10. 11. 17. propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Sancti tui exultatione exultabunt.*

bunt. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Qvilibet videt hic agi de promissione, de pacto, de verbo Sanctis dato. Ita Dan.3.v. 35.36. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum. Qvibus locutus es, pollicens qvod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam, qvæ est in littore maris.* Ad promissionem igitur factam Abrahamo & Davidi isti omnes respexerunt, non ad merita & intercessiones illorum. Imò cum isti Sancti in terris viverent nulla merita agnoscebant Gen.32. v.10. Psal.19. v. 13. Psal.32. v.6. Psal.130. v 3. Psal 143.v.2. Esa.64. v.6. Dan.9.v.7. qvomodo igitur jam propter merita illorum credant apud Deum se exaudiri. Imò etiamsi Deus nostri recordaretur propter Sanctos istos, qvomodo seqveretur istos Sanctos esse invocandos? edisserat Janssenius, cur isti Sancti in limbum tenebrosum fuerint detrusi, si tantis abundarunt meritis, ut Deus propterea precantes exaudire velit.

697] *Baruch.3. v.4. Audi orationes mortuorum tuorum.* Respond. (1) Liber ille est Apocryphus, ut n. 406. demonstratum est. (2) Per *mortuos* intelliguntur Israelitæ in summis angustijs constitutæ tempore captivitatis, ut qvasi mortui censerentur, vers. 11. enim ait; *coinqvinatos cum mortuis reputabis, cum illis, qvi in sepulchra descendunt.* Sic Paulus usurpat vocem 1 Cor. 15. v.31. *qvotidie morior.* 2 Cor. 11. v.23. *fui in morte.* (3) Si per mortuos intelliguntur Sancti in cœlis, seqvitur Israelitas orasse pro illis Sanctis, intercessisse pro intercessori-

cessoribus suis, qvod tamen absurdum. Exempla Sanctorum & Angelorum, qvi fuerunt adorati sup. n. 228. fuerunt examinata.

698] *Qvintò Janssenius respondet ad argumenta nostratium. Apoc. 19. v. 10. Cap. 22. v. 8. 9. noluit Angelus adorari à Johanne, hic* inqvit, *Johannes adorare voluit Angelũ eo modo, qvo olim in Veteri Testamento adorabantur, sed qvia natura hominis in Christo erat exaltata, Johannes qvoq; erat Apostolus, recusavit Angelus hunc honorem.* Resp. (1) Adoratio qvâ olim in Veteri Testamento Angeli honorabantur non fuit religiosa, sed potius externa reverentia, ut supra n. 228. probatum est. In hoc loco autem Johannes religiosè adorare volebat Angelũ (fortè putans esse Filium Dei) probatur hoc, qvia Angelus dicebat, *ego sum frater & conservus tuus adora Deum* cap. 19. v. 9. cap. 22. v. 9. hinc argumentum: Johannes adorare volebat Angelum illâ adoratione, qva Deum adorare debemus (idem enim vocabulum usurpatur *adora Deum*) atqvi illa adoratio qvæ Deo debetur est religiosa, ergò & Johannes simili adoratione Angelum adorare volebat. Ulterius: qvæcunq; adoratio intermittenda est propter æqvalitatẽ fraternitatis & servitutis Dei, ea non potest esse civilis & externa, sed religiosa, atqvi ista adoratio, qvâ Johannes volebat Angelũ adorare intermittebatur propter æqvalitatẽ fraternitatis & servitutis, ait enim Angelus: *Frater & conservus tuus sum*: ergo non fuit civilis & externa, sed religiosâ. (2) Angelus non prætendit hanc rationem, qvia natura humana in Christo est exaltata, & qvia Johannes fuit Apostolus, *sed qvia ego conservus*

servus & frater tuus sum, fingitur itaq; hæc ratio à Janssenio & textui intruditur. (3) Ad hunc usq; diẽ natura humana inChristo manet exaltata, cur ergo Põtificij hãc rationẽ negligũt & nihilomin9 Angelos religiosè colunt? (4) Qvi recusat minus, is etiam recusat majus, sed Angel9 iste recusat minus, hoc est, honorem cultu divino minorem (ut putat Janssenius) ergo etiam recusavit majus, scilicet cultum religiosum & divinum, adeoq; Angeli propriè adorari nolunt.

699] *Non obstat*, ait Janssenius, *1 Tim. 2. Unus est Mediator scilicet redemptionis, Sancti autẽ sunt mediatores intercessionis, ut Moses Deut. 5. & Timotheus auditores suos fecit salvos, 1 Tim. 4. v. 16.* sed ad hæc omnia supra responsum est: ad Mediatores n. 143. ad Salvationẽ autẽ n. 152. qvorsum Janssleniũ remitto. Intercessio Mediatoris nostri apud Deũ nititur ejusdẽ satisfatione ac merito, in officio enim Christi Sacerdotali conjunguntur satisfactio, meritum & intercessio 1 Tim. 2. v. 5. 1 Ioh. 2. v. 2.

700] *Non obstat*, ait, Esa. 63. v. 16. *Abrahã nescivit nos & Israel ignoravit nos. Hebræi non sunt agniti à Patriarchis ut Filij, sic Christus ait Matt. 7. v. 23 nescio vos.* Resp. (1) Propheta ibidem loqvitur nomine non impiorum sed fidelium seu Ecclesiæ, ait enim, *tu Domine Pater noster es* v. 16. si itaq; Deus fuit Pater illorum, qvomodo Abraham eos non potuisset nosse ut Filios? (2) Seqveretur hac ratione Abrahamum fuisse duriorem erga Israelitas ipso Deo; Deus enim Pater illorum erat, sed Abraham eos, ut filios agnoscere nolebat. (3) Qvos Sancti non norunt, utpote Deo benignio-

res,

res, ex ſententiâ Pontificiorum, illos nec Deus novit: atqvi ſi Abraham hos non novit ut filios, multominus Deus eos noviſſet, qvod tamen falſum eſt. (4) Si Abraham & Iſrael noluerunt iſtos Iſraelitas agnoſcere pro filijs, ſeqvitur ipſos hoc ſcientes feciſſe, qvi enim repudiat filium & curam ejus â ſe removet, ſtatum filij cognoſcat neceſſe eſt, ſed talem cognitionem Sancti iſti non habuerunt, in limbo enim adhuc hæſerunt, ex mente Pontificiorum, adeoq; nondum fuêre beati, multo minus beatificam Dei viſionem habuerunt. (5) Si Deus Pater fuit iſtorum Judæorum Abrahamo id non curante, ſeqvitur adhuc Deum eſſe Patrem noſtrum Sanctis id non curantibus nec intercedentibus, at prius eſt verum v. 16. ergo & poſterius. (6) Sancti illi aut noluerunt, aut non potuerunt curam habere Judæorum, ipſos noluiſſe non eſt credibile ex mente Pontificiorum, qvippe qvi ſtatuunt Sanctos in genere & in ſpecie orare pro Eccleſiâ militante, & cur noluiſſent eos audire qvorum Deus Pater erat? ergo ſeqvitur qvod non potuerunt. Cauſa verò impotentiæ non fuit in Judæis, illi enim orabant reſipiſcentes feriò, ut totus contextus monſtrat, ergò fuit in Sanctis ipſis, qvi ignorarunt ſtatum Iſraelitarum.

701] *Nulla Deo*, inqvit, *fit injuria, cum Sancti invocantur, ſi enim licitum eſt homines mortales implorare, multò magis Sanctos in cœlo.* Reſpond. (1) Imploramus opera & interceſſionem vivorum ex mandato divino, 1 Tim. 2. v. 1. Jac 5. v. 16. Promiſſionibus Gen. 20. v. 7. Job 42. v. 8. & Exemplis 1. Sam. 7. v. 8. Rom. 15. v. 30. ſed de invocatione San-

Sanctorum defunctorum non extat mandatum. (2) Præsentes Sanctos compellamus, non autem religiose invocamus, id qvod Pontificij faciunt Sanctis absentibus, magna igitur est ratio diversitatis. (3) Non compellamus Sanctos viventes, ut sint nostri Mediatores, ut propter merita sua aliqvid â Deo impetrent, ut beneficia spiritualia conferant, ut nos â morte æternâ liberent, sicut fit in Papatu Sanctis defunctis, verùm ut precibus suis nobiscum pugnent contra Satanam & hostes alios. Imò vivunt illi præsentes, vident & sciunt nostras calamitates, audiunt nostra vota, id qvod de Sanctis defunctis dici non potest.

702] Provocat ad testimonium Magdeburgensium, qvi multos citant Patres invocationem Sanctorũ credentes; sed Magdeburgenses faciunt qvod historicorum est, qvi non omnia approbant, qvæ referunt. Thuanus multa refert de Jesuitis alijsq; Monachis, qvæ tamen non approbat; â Historicorum relatione ad approbationem nulla est cõseqventia. Distinctio inter δουλείαν & λατρείαν non potest stabilire invocationem Sanctorum, δουλεία enim ad cultum verè divinum qvoq; pertinet: sic usurpatur Jud. 2. v. 7. 1. Sam. 7. v. 3. Matt. 6. v. 24. Rom. 7. v. 6. cap. 14. v. 18. cap. 16. v. 18. Gal. 4. v. 9. Eph. 6. v. 7. Coloss. 3. v. 24. ergo ad solos Sanctos referri nõ potest. Hæc duo qvoq; nõ sunt termini ἀντιδιῃρημένως oppositi, sed differunt ut communius & angustius; omnis enim λατρεία est δουλεία sed non contra. Hinc qvædam δουλεία

eſt primæ tabulæ, qvá ſervimus Deo. Act.20. v.18. 19. qvædam eſt ſecundæ tabulæ, qvâ ſervimus proximo Galat.5. v.13. illa eſt pietatis hæc autem charitatis. Nos potius invocationi ſanctorum ſeqventia opponimus argumenta. (1)Caret mandato, exemplis & divinis promiſſionibus, adeoq; in ſcripturis non fundatur. (2)Soli Deo competit hic cultus, *invoca me* Pſ. 50. v.15. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies* Matt.4. v.10. *Qværite & invocate Dominum* Eſa.55. v.6. *adorate eum, qvi fecit cœlum & terrã & mare* Apoc.14. v.7. *hanc gloriam ſuam alteri non dabit* Eſa.42. v.8. (3) Solus Chriſtꝰ eſt Mediator & Interceſſor noſter. *Unus eſt Mediator* 1 Tim.2.v 5. *qvi interpellat pro nobis* Rom. 8.v.34. *eſt advocatus noſter apud Patrem* 1 Joh 2.v.4. *nemo venit ad Patrẽ niſi per illũ* Joh.14.v.6. *non eſt in alio ſalus niſi in illo* Act. 4. v.12. *Propter hunc ſeſe exaudiri petit* Daniel c.9.v.17. (4)Non ſunt omniſcientes, qvi arcana cordiũ poſſent ſcrutari; *ſolus Deus novit corda hominũ* 2 Paral.6. v.30. *mortuus ignorat an filÿ ejus ſint nobiles vel ignobiles* Hiob.14. v.21. *Abraham neſcit nos, Iſrael ignorat nos* Eſ.63.v.16. (5) nõ ſunt omnipotentes, id qvod ſoli Deo competit Gen.17.v.1. Eſ.45.v.7.21. nec omnipræſentes ut Deꝰ Pſ.91.v.45, Pſ.145. v.8. qvod tamẽ reqviritur ab iis qvi invocandi ſunt. (6) Non credimus in ſanctos, ergo nec eos invocare poſſumus, cũ fides & invocatio conjunganturRom.10.v 14. *Dominus eſt fiducia cordis noſtri* Jer.17.v.7. (7)qvia ipſi ſancti noluerunt hunc honorẽ accipere exemplo Petri Act.10. v.25. Pauli Act 14.v.15. angeli Act 19.v.9. (8)qvia ex Ethnicismo originẽ traxit; Ethnici enim ſingulis ſtati-

ſtatib9, urbib9, regionib9, morbis, familijs, domibus certos Deos præficiebant eosq; honorabāt altariū ædificatione, templorū dedicatione, feſtorū celebratione, imaginū veneratione, pro ut Eccleſia Romana Sāctos demortuos honorat; qvē cultū Ethnicū deſcribit Nat. Comes Myth l. 1. c. 10. l. 4. c. 2.

Caput Vigeſimum.

De Reliqvijs Sanctorum.

703] SUpra part. I. cap. 10. n. 258. ſeqq. copioſè de cultu iſtarum religviarum egi. Notetur autem qvod Janſſenius in hoc Capite unicum tantùm Scripturæ locum *de hæmorrhousâ fimbriam veſtimenti Chriſti tangente* Matt. 9. v. 20. ſeqq. afferre potuit, qvod exemplū tamen ad rem nihil facit, nam (1) mulier illa non in fimbriam ſed in Chriſtum collocabat fiduciam ſuam, non oſculabatur fimbriam religioſè, ſed tangebat in fide, qvæ in Chriſtum, non in veſtem, dirigebatur. (2) Illa fimbria non habuit vim ſanandi, neq; enim â veſte ſed â Chriſto dicitur virtus exijſſe Luc. 6. v. 19. qvâ mulier illa fuit ſanata. (3) multi tetigerunt fimbriam Chriſti Mar. 5. v. 31. Luc 8 v. 45. nec tamen omnes valetudinem aut aliud beneficiū inde accipiebant, cum fide in Chriſtum ipſum deſtituerentur: hinc Chriſtus non ait ad mulierem, fimbria mea, *ſed fides tua te ſalvum fecit.* (4) Licet per fimbriam tanqvam Symbolum aliqvod Chriſtus ſanârit iſtam fœminam, nullibi tamen legitur, qvod iſti fimbriæ cultus religioſus oſculando, procidendo fuerit exhibitus; de Apoſtolis certè non legitur, qvod id fecerint,

rint, aut, ut facerent, â Christo jussi fuerint, unde ergo constat Pontificijs rectè coli & honorari istas reliqvias? (5) A fimbriâ vestimenti, qvo Christus fuit amictus, ad alias Sanctorum reliqvias, nulla est conseqventia; illa vestis erat Christi, reliqviæ cæteræ non sunt Christi; illâ veste erat Christus amictus, reliqvijs autem alijs non amicitur; de illâ veste sumus certi, qvod Christi fuerit, de alijs reliqvijs certi non sumus, unde provenerint. Vestimento suo Christus utebatur, tanqvam organo & medio hanc fœminam sanandi, sed ipsum adhuc uti reliqvijs alijs, ut vel valetudinē vel remissionē peccatorū tangentibus conferant, nullibi legitur. Tactus ergò istius fimbriæ cultū religiosum prorsus nō confirmat. Supra n.261. Janssenius ossa Elisæ à Rege Josia asservata esse scribebat 2 Reg. 23. at ossa illa non erant Prophetæ Elisæ, sed illius Viri Dei qvi de Josia Altare in Bethel destructuro vaticinatus fuerat; hujus viri ossa non religiosè honorabat, sed tantùm â combustione præservabat. Confer. 1. Reg. 13. v. 2. & 2. Reg. 23. v. 17. 18.

704] Ad Centurias Magdeburgenses provocat, *qvod illi testentur hunc morem esse antiqvissimum*; sed illi testantur non ut de bono opere, verùm ut de errore antiqvo, non *antiqvissimo*, ut Janssenius ait, cum tempore Apostolorum hoc factum esse nullibi scribant. Cent. 1. lib 2 cap. 10. eqvidem referunt ossa Lucæ cum reliqvijs Andreæ de Achaja Constantinopolin fuisse translata, sed ea fuisse religiosè culta plane non asserunt, imò Janssenius affingit illis verba, qvæ ponit p. 473. qvod *apud reliqvias*

liqvias Luca dæmones rugiant, qvæ verba ibidem non inveniuntur. Cent. 2. cap. 3. legitur qvidem qvod ossa Polycarpi combusta, fuerint collecta ut auro probatiora & lapidibus preciosis preciosiora (aurum enim & lapides preciosi in die extremo non resurgent ad vitam æternam) sed ea fuisse religiosè culta, prorsus non asseritur. Cent. 4. cap. 4. legitur de Theodosio, qvod jacuerit prostratus ad thecas Apostolorum & Martyrum in publicis precibus; sed qvod preces suas ad reliqvias Martyrum & Apostolorum direxerit, vel etiam in honorem istarum reliqviarum religiosum, humi se prostraverit, non legitur. Sic in nostris Ecclesijs prosternimur ad tumulos majorum, qvorum tamen cineres & ossa religiosè non veneramur, sed potius fidei & salutis illorum recordantes ad beatam mortem nos accingimus.

Caput Vigesimum primum.

De Imaginibus Sanctorum honorandis & colendis.

705] JAnßenius ex Bellarmino asserit; *Imagines Christi & Sanctorum venerandas esse non solum per accidens & impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem ut in se considerantur, & non solum ut gerunt vicem exemplaris*: *rationem addit, qvia aliqvid sacri inest imaginibus scil similitudo ad rem sacram & consecratio cultus divini, & qvia imagines sunt capaces probri, capaces etiam sunt honoris.* (2) *Impropriè & per accidens eodem genere cultus, qvo ipsum colitur* exem-

exemplar, ut cum præco alloqvitur imaginem Crucifixi, tu nos redemisti, addit etiam imaginem conjunctam esse suo exemplari, adeoq; cum eo adorari. (3) *cultum , qvi per se & propriè debetur imaginibus esse imperfectum, qvi analogicè & reductivè pertineat ad speciem ejus cultus qvi debetur exemplari; sicut Sol, luna, imber, ignis, cœli admonentur ut laudent Dominum. Dan. 3. Deut. 32.*

706] Respond. (1) discursus audio, sed probationem ex Sacris triplicis istius cultus non video; unde habent Pontificij cultum hunc triplicem? unde sciunt Deo placere hunc cultum? *frustra colitur Deus inventis hominum* Matth. 15. v. 9. Paulus prohibet *cultum eligere* Coloss. 2. v. 16. promisit Janssenius supra sese ex Scripturis omnia demonstraturum, cur igitur promissi immemor hanc distinctionem cultus ex Sacris non probat? (2) Qvomodo Laicis ista possunt inculcari, imagines esse honorandas tum per se & propriè, tum etiam per accidens & impropriè, cultu analogico & reductivo, item impropriè & per accidens, eodem genere cultus, qvo exemplar: Simpliciores certè ista non capiunt in Papatu, qvi tamen qvotidie coram imaginibus procidunt, & qvid latria, qvid dulia, qvid hyperdulia sit non intelligunt. (3) Manifestè idololatricum est colere lignum aut lapidem per se & propriè, ita ut terminent venerationem in se consideratam; instinctu Satanæ hoc Ethnici faciebant, qvi adorabant opera manuum suarum, ligna, lapides, æra &c.

707] Ratiunculæ Janssenij nullius sunt momenti

menti (1) *Imagines habent aliqvid ſacri ſcilicet ſimilitudinem ad rem ſacram.* Reſp Qvicqvid religioſe colendum eſt, intrinſecè habeat adorabilem excellentiam neceſſe eſt, imagines autem intrinſecè hanc excellentiam adorabilem non habent, cum non audiant nec videant, & nihil eorũ communicaré poſſint, qvæ homines petunt. Imò ſi propter ſimilitudiné imagines eſſent adorandæ, ſeqvetur magis & minus colendas eſſe imagines, prout magis aut minus id repræſentant, cujus ſunt imagines, adeoq; deformatas imagines amplius adorabiles non eſſe. (2) *Qvia dedicantur & conſecrantur ad cultum divinum.* Reſp. Iſta dedicatio ad cultum eſt inventio humana, â Deo nullibi mandata, ab Apoſtolis non uſurpata; imagines reponuntur in templa, ad exornationem & hiſtoriarum ſacrarum recordationem, idq; ex libertate Chriſtianâ, ſed dedicatio ad cultũ eſt illud ipſum de qvo controvertitur. (3) *Imago eſt capax probri, ergò etiam honoris.* Reſp. imago eſt capax honoris ſed non religioſi ſeu divini, verum terreni qvem ceremonialem dicere poſſumus: honor iſte conſiſtit in eo, ut templa exornent & hiſtorias ſacras Laicis ad memoriã revocent; hujus honoris ſunt capaces, idq; non ex neceſſitate mandati divini, ſed ex libertate Eccleſiaſticâ (4) *Impropriè coluntur prout vicẽ gerunt exemplaris.* Reſp. hoc ipſum qværitur, an rectè fiat, an imago qvæ Deum & Chriſtũ repræſentat, ideo coli debeat? Bellar. lib. 2. de Imag. cap, 22. fatetur, *non carere periculo, ſi qvis dicat imaginem Chriſti eſſe cultu latriæ adorandam, nam qvi defendunt imagines adorari latria*

coguntur uti ſubtiliſſimis diſtinctionibus, qvas ipſi vix intelligunt, ne dum imperitus populus. Et hæc ratio non valet in cultu Crucis Chriſti, cum ea crux ipſum Chriſtum non repræſentet, ſed tantùm in contactu fundamentum cultus qværitur. (5) *Imago conjuncta cum Prototypo adoratur.* Reſp. Conceptus iſte formatur extra verbum Dei, ſcilicet Deum vel Chriſtum unitum eſſe huic imagini, ita ut per eam adoretur. Etiamſi etiam Deus ejusmodi unionem promiſiſſet, non tamen ſeqveretur, ipſum eſſe adorandum in & cum eo, cum qvo unitur; Deus gratiosè habitat in ſuis fidelibus, nec tamen ſeqvitur ideo Deum in illis atq; cum illis adorandum & invocandum eſſe. Imò Deus eſt omnipræſens, cœlum & terram replens, ideo non opus eſt, ut in imaginibus qværas religioſam adorationem, cum ubiq; locorum tibi adſit, modo in ſpiritu & veritate illum invoces. (6) *Analogicè*, ait, *coli imagines*; ſed qvot tandem erunt ſpecies cultus religioſi? aliàs numerant latriam, duliam & hyperduliam, his additur cultus analogicus: analogia verò illa eſt tantùm extrinſeca, & nihil aliud eſt niſi æqvivoca, ſolo nomine non re cum vero cultu conveniens; ſicut ergo Chriſtus pictus & ſculptus verè non eſt Chriſtus, ſed tantùm nomine, ita etiam cultus iſte Chriſti picti aut ſculpti verè non erit cultus religioſus. (7) *Sicut ſolem lunam, ignem & cœlum alloqvuntur Dan. 3. Deut. 32. ita etiam alloqvimur crucis imaginem.* Reſp. ſed ſolē, lunam, cœlos non colimus religiosè iſto alloqvio, qvod tamen faciunt Pontificij imagines alloqvendo, iſta igitur exempla prorſus aliena ſunt.

708] Subolfecit autem Janssenius, ex contactu Christi religiosum cultum illius, qvod tetigit, defendens, seqvi labia Judæ & asinum Christi etiam religiosè colendum esse, qvapropter limitat, *intelligi nempe res innoxias redemptioni nostræ deservientes, qvas Christus elegit & amanter amplexus est* p. 476. sed asinum istũ qvoq; elegit, ut inserviret adventui suo ad mortem & passionem Hierosolymis, qvo nostra redemptio erat perficienda: asinus iste qvoq; fuit res innoxia, seqvitur ergo ex principijs istis asininis, asinum hunc omnino religiosè colendum esse, qvod fiat ab asinis papalibus. Labia Judæ, qvibus Christum exosculatus est, qvoq; inservierunt nostræ redemptioni (qvamvis præter intentionem Judæ, Deo malum hoc ad bonos fines dirigente) Christus qvoq; amanter amplexus est osculum istud diabolicum, propter voluntatem Patris cœlestis & calicem passionis bibendum, nec restitit malitiæ, obediens Patri suo usq; ad mortem, seqveretur igitur Judam & labia Judæ diabolica omnino religiosè esse colenda. Fiat hoc â Janssenio, nos non invidebimus. Imò sicut crux, clavi, lancea vocantur â Janssenio res innoxiæ, ita etiam asinum istum & labia Judæ res innoxias dicere possumus, non enim nocuerunt nostræ redemptioni, qvamvis Christi passiones & dolores in corpore ipsius promoverint, adeoq; corpori ipsius noxia fuisse, dici possint. Jam ad dicta Janssenij.

709] Num. 21. *Serpens æneus procul dubio fuit honoratus.* Resp. istud *procul dubio* per *non procul dubio* refutatur. Serpens ille jussu Dei fuit â Mose

erectus, non ut adoraretur, sed ut morsus sisteret serpentum ignitorum v. 8. seq. Typus qvoq; erat Christi, qvi exaltatus est in cruce, sicut serpens iste in deserto Joh. 3. v. 14. qvē si oculis fidei aspicimus sanamur à morsu serpentis infernalis. Imò serpentem istum Ezechias confregit, cum videret populum ipsi incensa adolere & cultum superstitiosum exhibere 2 Reg. 18. v. 4. qvomodo autem Ezechias rectè serpentem confregisset, si Deus illum adorari voluisset, cum Rex ille non verum sed falsum cultum & idololatriam destrueret v. 4. Cherubinos, Arcam, Virgam Aaronis & tabulas lapideas fuisse olim adoratas ait, sed nullo verbulo, nullo nervo argumentandi, nullo apice, probat: qvod est nugari, non disputare

710] Hebr. 11, v. 21. *Jacob moriens adoravit fastigium virgæ Joseph. Illâ virgâ notatur Christus, cujus Joseph typus erat.* Resp. (1) In græco habetur προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον, adoravit super fastigium virgæ, ut Arias Montanus vertit: an verò ipsam virgā vel aliud qvid adoraverit, patet ex historiâ Gen. 48. v. 15. 16. Benedixit Jacob filijs Joseph & ait: *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qvi me pascit ab adolescentia mea usq; in præsentem diem. Angelus qvi me eruit de cunctis malis benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina qvoq; Patrum meorum, Abraham & Isaac & crescant in multitudinem super terram.* Deum igitur Abraham, Isaac & Jacob invocavit. (2) *In fide* dicitur hoc fecisse Hebr. 11. v. 21. at fides Jacobi non erat directa in virgam

gam Josephi, sed in Deum Abrahæ, in Angelum, qvi ipsum eripuerat de cunctis malis Gen. 48. v. 16. fides autem & adoratio semper sunt conjuncta. Rom. 10. v. 14. (3) Non virga Josephi sed ipse Josephus erat typus Christi, seqveretur ergò qvod Jacob Josephum ipsum adorasset, Pater filium suum, qvod est falsissimum (4) Illa virga non repræsentabat similitudinem Christi, ut nos loqvimur de imaginibus, qvæ similitudinem Dei, Christi & Sanctorum habent ac repræsentant. (5) Lutherus hunc locum rectè vertit, Er neigete sich gegen seines Scepters Spitzen/ id est, inclinabat se ad illud Sceptrum, id qvod genuina vocis græcæ significatio exprimit.

711] Jos. 7. v. 6. *Josua adoravit coram arca Domini.* Resp. (1) coram arca adoravit sed non arcam ipsam, verum Jehovam, qvi ipsi de arca respondebat. (2) Ex divino mandato hoc faciebant Israelitæ, sed monstrent nobis Pontificij simile mandatum in Novo Testamento coram imaginibus ligneis & lapideis Deum esse adorandum. De istâ arcâ, item de adoratione scabelli pedum supra part. 1. cap. 10. n. 242. actum est.

712] Exod. 3. v. 5. *Locus in qvo stas, terra sancta est. Exod. 12. dies erat sancta, religiosa, venerabilis item vestis Aaronis & terra dicitur sancta.* Respond. si sanctum in hoc loco notat religiosam venerabilitatem, seqvitur qvòd terram Moses religiose venerari debuerit, qvod tamen non fecit, qvòd Israelitæ vestes Aaronis debuerint adorare & religiosè colere, id qvod tamen nō fecerunt. (2) Nos loqvimur de imaginibus repræsentan-

tantibus similitudinem Dei aut Christi; sed terra, vestis, dies non sunt imagines, vel Deum, vel Christum repræsentantes, qvomodo igitur ista huc qvadrare possunt? (3) Si omne id religiosè est colendum qvod sanctum dicitur in sacris, seqveretur ipsam gentem Israeliticam, laminam, oleum, aqvam, vasa, castra olim fuisse adoranda, qvæ omnia sancta dicuntur Exod. 19. v. 6. cap. 29. v. 6. Num. 5. v. 17. cap. 31. v. 6. Deut. 23. v. 14. (4) Est igitur æqvivocatio in nomine *Sancti*, notat enim in locis citatis relationem, qvâ aliqvid Domino sanctificatum est, non verò adorabilem excellentiam, qva significatione usurpatur cum de Deo sumitur.

713] *Prohibiti qvidem sunt Dij alieni, non facies tibi sculptile, non adorabis, non coles ea, sed hæc*, inqvit Janssenius, *id volunt, ne imagines habeantur pro numine divino, ne in ijs fiduciam collocemus. Idolum*, ait, *est imago facta ad ingenerandam de qvocunq; homine opinionem divinam, qvam ille non est promeritus.* Respond. Falsum est, qvod Deus illum cultum imaginum tantùm prohibuerit, qvo divinitas imaginibus tribuitur, prohibuit etiam illum cultum, qvo ipse Deus verus per imagines colitur, licet istis imaginibus nulla attribuatur divinitas. Sic Israelitæ in deserto non vitulum sed ipsum Jehovam in vitulo adorabant Exod 32. v. 8. 1 Cor. 10. v. 7. Act. 7. v. 41. sic Micha cum matre suâ consecrabat argentum Domino & ex eâ simulacrum faciebat Jud. 17. v. 3. seq. Sic Jereboam per vitulos erectos verum Deum repræsentare volebat, coram illis adorabant verũ Deum 1 Reg. 12. v. 28.

v. 28. ſeqq. Sic alienigenæ illi 2 Reg. 17. colebant Dominum v. 29. ſed per idola in excelſis Samariæ, Suchoth, Nergel, Aſima, v. 30. Iſti omnes colebant verum Deum per imagines, qvem cultum tamen Deus abominabatur velut ethnicum.

714] Idololatria igitur committitur non tantùm cum creaturis honor divinus tribuitur, ſed etiam cum Deus aliter colitur, qvàm in verbo ſuo præſcripſit, licet hoc optimâ intentione fiat. Nam Deus non vult coli mandatis hominum, *in præceptis meis ambulate Ez. 20. v. 19. Indicabo tibi homo qvid ſit bonum, & qvid Dominus reqvirat â te*, reſpondet Deus hypocritis diſcedentibus â verbo ſuo Mich. 6. v. 8. Hinc cum Iſraelitæ ſuos primogenitos immolarent, non Deo, ſed dæmonijs immolaſſe leguntur Pſal. 106. v. 37. ſic Gideon bona intentione faciebat Epha pretioſum & tamen fornicabatur Jud. 8. v. 27. fiebat hoc Gideoni & domui ejus in ruinam. Imo Judæi locum â Deo deſtinatum negligentes & in collibus ſacrificantes nihilominus idololatriæ arguuntur Jer. 2. v. 20. Cap. 3. v. 6.

715] Neq; ſeqvitur *Lutheranos eſſe Idololatras propter imaginem Lutheri qvam reſervant*; non enim colimus illam imaginem religioſè, non procidimus coram eo, non adoramus Deum in eo, ſed memoriæ cauſa iſtam imaginem reſervamus, cum Deus per hoc organon ſuum rem ſtupendam effecerit, & lucem Evangelij obſcuratam accenderit. Janſſenius potius craſſam idololatram ſeſe præbet, dum p. 476. expreſsè docet, *qvod licitum ſit adorare cultu latriæ imaginem crucifixi, qvamqvis*

qvis suo phantasmate efformarit. Ita Monachi adorant cultu divino sua phantasmata! qvicunq; adorat cultu divino phantasma efformatum in mente sua is idolum facit ex illo phantasmate, adeoq; idololatriam committit, sed Janssenius adorat cultu divino phantasma efformatum in mente suâ, ergò ex illo idolum facit, adeoq; idololatriam committit. Cultus iste rectè phantasticus dicitur cum non tantùm imagines, sed etiam conceptus ac phantasmata divino cultu adorantur. Accusat hìc Janssenius *Mornæum de Plessis, qvi convictus fuerit coram Rege Galliæ Heinrico qvarto, Patres antiqvos scripsisse, imagines Christi & Sanctorum olim cultas fuisse*, sed Mornæus calumnias & figmenta de colloqvio isto sparsa satis protrivit in scripto peculiari hâc de re edito cujus titulus: *Responsio Mornæi ad librum Episcopi Ebroicensis de colloqvio Anno 1600. 4. May habito in Fontainebelau &c. Francofurti an. 1618. &c.* qvorsum Janssenium remitto.

716] Centurias Magdeburgenses citat, sed profectò imprudenter, cum potius cultum imaginũ destruant qvam adstruant. Ita enim Cent. 4: p. 121. *Scribit Eusebius libro septimo, Cap. 18. vidisse se adservari â fratribus aliqvibus in Asia, imagines Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusq; Christi, sed in locis publicis invocationis aut cultuum Christianorum, tantum abest ut adseveret collocari solitas; ut etiam ab Ethnicis hunc ipsum privatum imaginum usum inventum dicat, qvi, qvos pro servatoribus habuerint, imaginibus & statuis honorare consueverint. Sic Lampridius, Alexandrum Severum optimum Imperatorem;*

in

in privato qvod domi habebat Larario suo, ad statuas majorum suorum, aliorumq; præstantium Virorum, inter qvas & Christi & Abrahami imagines habuit, sacra facere solitum narrat. Sic statuam Salvatoris Eusebius ibidem, non in templo Christianorum, sed in editiori loco ad fores ædium, mulieris illius hæmorrhousæ erectam fuisse, & adservatam diu apud Cæsaream Philippi commemorat. Testatur aliqvot locis in Apologetico Tertullianus, Christianos eo tempore maximè odisse solitos statuas cum suis ornamentis. Hinc etiam in Deorum idola, qvæ Ethnici venerabantur toties, & tam acerbè invehitur. Testantur hic Magdeburgenses, imagines Sanctorum fuisse qvidem asservatas sed (1) non cultas vel invocatas (2) ne qvidem in templa repositas (3) propter consvetudinem Ethnicorum, qvi imagines suorum Deorum in templa reponebant colendas; qvæ omnia potius destruunt qvam astruunt cultum imaginum & statuarum; si Janssenius sapuisset, hunc locum non citasset.

Caput Vigesimum secundum.

De Fide Justificante.

717] IN hoc Capite Janssenius graviter hallucinatur (1) *de solâ fide justificante* Caput qvidem inscribit, sed contra solam fidem nihil, verùm contra certitudinem justificationis disputat. (2) *Lutheranos, ait in principio capitis, neminem ex orthodoxis Patribus pro se adducere posse*; sed supra part. 1. cap. 14. n. 402. adducti sunt Patres, qvos orthodoxos esse qvomodo Janssenius negabit? (3) *Ad Centuriatores*

tores provocat, qvid illi fateantur, ſed ſuprà n. 401. contrarium eſt demonſtratum, qvod in antiqvitate, doctrina de ſolâ fide juſtificante fuerit notiſſima. (4) *Dicta adducit Scripturæ de metu & timore loqventia*, ſed ad iſta omnia ſuprà Part. 1. Cap. 7. n. 177. ſeqq. ſatis reſponſum eſt. (5) *Jacobi dictum cap. 2. de operibus, ſupra* n. 162. qvoq; enucleatum eſt. Unicum igitur reſtat dictum 1 Cor. 13. v. 2. 3. *ſi habuerim omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Reſpond. (1) de fide miraculoſâ hic loqvitur Paulus, ut monſtrat reſtrictio, *ita ut montes transferam*; iſta autem fides miraculoſa non juſtificat, in illo die multi dicent ad Chriſtum, nonne in tuo nomine prophetavimus? &c. nec tamen ſalvabuntur. Sic Bileamus habebat donum prophetandi, nec tamen propterea habebat fidem juſtificantem. (2) Bellarm. lib. 1. Cap. 15. de juſtif. col. 854. concedit *fidem miraculorum eſſe poſſe ſeparatam â fide juſtificante*, ergo ex propriâ hypotheſi veſtrâ poteſt qvis fidem miraculoſam habere, nec tamen juſtificari, ideoq; noſtra aſſertio hoc in loco neqvit infringi. (3) Fides juſtificans ſemper conjuncta eſt cum bonis operibus Gal. 5. v. 6. ſed iſta fides, de qva Apoſtolus loqvitur poteſt eſſe ſine operibus charitatis, ergo non eſt fides juſtificans. (4) Apoſtolus in hoc loco taxat eos, qvi fidem jactabant, ac interim malè vivebant, qvaſi dicat, etiamſi omnem fidem jactarem, ita ut eam qvoq; miraculis confirmarem, charitatem autem non haberem, indicium eſſet veram fidem non adeſſe. Interim non ſeqvitur, charitas debet adeſſe, ergo juſti-

justificat, debet enim adesse non ut causa, sed ut fructus seu conseqvens; vita sine motu & respiratione nihil est, interim non seqvitur, ergo motus & respiratio sunt causa vitæ, cum potius sint conseqvens effectus. Miror autem Janssenium in hac prolixâ controversiâ tam jejunè & frigidè disputare, neglectis alijs dictis atq; argumentis, qvæ Pōtificij aliàs magno numero producunt.

718] Nos, fidem Solam, docemus, justificare sine merito operum (1) qvia opera nostra sunt imperfectè bona 2. Cor. 4. v. 16. Rom. 7. v. 14. Philip. 3. v. 12. ergo summam perfectionem in judicio divino non possunt promereri. (2) Qvia Sanctissimis viris infirmitates & nævi plurimi adhærent, ita ut fateantur sese coram Deo stare non posse Esa. 64. v. 6. Psal. 32. v. 1. Ex. 34. v. 7. Job. 9. v. 3. cap. 15. v. 14. seqq. Psal. 130. v. 3. 1. Reg. 8. v. 46. Rom. 7. v. 18. 19. Jac. 3. v. 2. (3) Scriptura disertè excludit opera nostra. *Sine lege justitia manifestata est per fidē* Rom. 3. v. 21. 22. *justificamur gratis per gratiā ipsius*, v. 24. *Per fidē sine operibus exemplo Abrahæ qvi per fidem justificatus est* Rom. 4. v. 2. 3. *non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* Gal. 2. v. 16. *Gratiâ salvamur per fidem non ex operibus ne qvis glorietur* Eph. 2. v. 10 *vocavit nos non secundum opera, sed gratiam* 2. Tim. 1. v. 9. (4) qvia vita æterna est donum merè gratiosum; Rom. 6. v. 23. (5) qvia passiones nostræ non sunt dignæ futurâ gloriâ Rom. 8. v. 18. multò minus opera nostra, qvæ passionibus sunt minora. (6) Qvia vita æterna est *hæreditas* Joh. 1. v. 12. Rom. 8. v. 16. 17. Gal. 3. v. 26. 1 Joh. 3. v. 1. Coloss. 3. v. 24. Liberi

autem hæreditatem operibus non merentur. (7) Qvia soli fidei justificatio & Salus nostra adscribitur, Joh. 3. v. 16. 18. 36. Mar 16. v. 16. 1. Pet. 3. v. 9. Rom. 11. v. 6. (8) Qvia justitiam in operibus qværentes *â Christo evacuantur & gratiâ excidunt* Gal. 5. v. 4. *sunt sub maledictione* Gal. 3. v. 10 *Israel sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit* Rom. 9. v. 31.

Caput Vigesimum tertium.

De Libero Arbitrio.

719] NOn est qvæstio inter nos & Pontificios, an homo habeat liberum Arbitrium in naturalibus, aut in moralibus, aut in externis actionibus? neq; qværitur, an homo habeat libertatem in mente cogitandi, judicandi, volendi, expetendi? neq; est qvæstio de libertate, qvâ amplectimur media, ut sunt lectio & auditus verbi, ingressus templi; neq; de libertate hominis ad malum hic sermo est; sed hoc qværitur, *an homo non renatus in se habeat vires credendi & bonum operandi?* nos hoc negamus (1) qvia naturâ sumus corrupti, pravi, immundi, filij iræ Joh. 3. v. 6. Rom. 5. v. 19. Joh. 14. v. 4. Eph. 2. v. 3. (2) Qvia naturâ non nisi malum agere possumus Matth. 7. v. 18. Psal. 14. v. 1. Rom. 3. v. 10. Gen. 6. v. 5. Matt. 15. v. 19. (3) Qvia intellectus noster naturâ cœcus est in spiritualibus 1 Cor. 2. v. 14. 2 Cor. 3. v. 5. Rom. 8. v. 7. Joh. 1. v. 5. Eph. 4. v. 17. 18. (4) Qvia voluntas nostra â Deo aversa est Gen. 6. v. 5. Job. 14. v. 4. Eph. 2. v. 3. Joh. 3. v. 6.

Rom.

Rom.3.v.11.seq.(5)Qvia naturâ non possumus ad Deum accedere Matt.12. v.34. 1Cor.12.v.3.Joh.6. v.44 Joh.15.v.5. (6) Qvia soli Deo adscribitur nostra conversio Ez.36. v 26.Jer. 32.v.39. Eph 1.v.17. cap.2.v.5.Act.26.v.17. 2Cor.4.v.6 Ps 119 v 33.34. 35. Phil. 1. v. 6. cap 2. v. 13. (7) Qvia servi sumus peccati Joh.8.v.34. Rom.6. v.16.19. 2 Pet.2. v.19. (8) Qvia mortui sumus in spiritualibus & â Deo vivificamur Eph.2. v.1. Col.2.v.13. Matth.8 v 22. adeoq; non possumus gloriari, 1Cor 1. v.31. c. 4. v. 7. Janssenius verò docet, *gratiam Dei & naturam hominis concurrere in conversione nostrâ* id qvod aliqvot argumentis probat.

720] Gen. 4. v. 7 *Sub te erit appetitus tuus & tu illi dominaberis.* Respond. (1)de affectibus moderandis hic textus loqvitur, & sic homo potest dominari appetitui, verùm nos de conversione ad Deum hominis non renati loqvimur. (2) Qvalis conseqventia, homo debet dominari appetitui, ergo hoc potest ex suâ naturâ? Iohannes Baptista jubebat agere pœnitentiam, ergòne homines id poterant facere naturâ? â præcepto ad vires naturæ nulla prorsus est conseqventia. Deus in hoc loco nô exprimit, qvid Cain naturâ possit, sed imperat ipsi, qvid facere debeat, scilicet invocatione Dei, & gratiâ Spiritus Sancti, fræno concupiscentiæ &c. (3) Etiamsi Cain odium erga fratrem potuisset naturæ viribus reprimere, non tamen seqveretur, hominem posse viribus naturæ credere & omne bonum operari: ab evitatione unius peccati ad libertatem credendi, & omnia bona operandi nulla est conseqventia.

721] Syr. 15. v. 14. seq. *Deus ab initio constituit hominem & reliqvit illum in manu consilij sui. Adjecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem & aqvam, ad qvod volueris, porrige manum tuam &c.* Respond. (1) Liber ille non est in Canone, ut supra n. 411. probatum est. (2) Loqvitur textus iste de homine in statu innocentiæ considerato, prout Deus ab initio eum condidit; nos verò loqvimur de homine post lapsum considerato, si huic libertatem credendi & qvodvis bonum operandi Janssenius tribuit, manifestè pelagianizat. (3) Experientia docet, hominem post lapsum ex proprijs viribus nõ posse bonum amplecti propter intellectus cæcitatem & cordis malitiam Gen. 6. v. 5. 2. Cor. 3. v. 5. Rom. 8. v. 6. (4) Si homo naturâ posset credere & bonum operari, seqveretur etiam Ethnicos hoc potuisse; qvod tamen falsum est & impium.

722] Syr. 31. v. 10. *Qvi potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius.* Resp. ibidem sermo est de divite, v. 8. 9. qvi posset abuti divitijs, nec tamen abutitur, sed rectè utitur; *talem*, ait Syrach, *rarissimè inveniri inter homines.* Sed qvid hoc pertinet ad liberum arbitrium in spiritualibus?

723] Deut. 30. v. 15. 19. *Considera qvod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum.* Respond. (1) Nos loqvimur de homine non renato, sed Israelitæ erant renati, per circumcisionem in fœdus Dei assumpti, & verbo Dei illuminati, ideo poterant Domino obe-

obedire. (2) Poterant Iſraelitæ unum ex his duobus, hoc eſt poterant repugnare & non obedire Deo, idq́; ex naturâ corruptâ & ad peccandum pronâ. (3) Nulla eſt conſeqventia, Iſraelitæ poterant bonum eligere, ergo hoc ex viribus naturæ cooperantis poterant; hoc eſſet manifeſtus Pelagianiſmus.

724] Matth. 23. v. 37. *Jeruſalem Jeruſalem, qvoties volui congregare filios tuos, qvemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Respond. In hoc loco dicitur Judæos bonum noluiſſe, ſed exinde non ſeqvitur, eos ex naturæ viribus bonū iſtud facere potuiſſe; â noluntate ad voluntatem, â poteſtate gratiam repudiandi, ad poteſtatem gratiam amplectendi nulla eſt conſeqventia; ſicut enim homo valetudinem & vitam ſuam poteſt perdere ex ſeſe, hæc autem bona perdita ex ſeſe non poteſt recuperare, ita etiam ſalutem poteſt nolle & repudiare, neqvaqvam autem ex ſe velle & apprehendere; *natura eſt, ut nobis inſit nolle bonum, gratia eſt, ut poſſimus velle bonum*, pulcrè alicubi ait Ambroſius.

725] Craſſiſſimus verò error eſt, dum ſcribit p. 485. *qvia voluntas liberè conſentit gratiæ Dei in opere bono inchoando & perficiendo, illud opus ſit meritorium.* Nam licet verum eſſet (qvod tamen non eſt) voluntatem liberè conſentire poſſe gratiæ Dei, non tamen ſeqveretur hoc opus eſſe meritorium. Homo in ſtatu innocentiæ liberè poterat conſentire gratiæ Dei, nec tamen opera ejus erant meritoria, Angeli boni liberè conſentiebant gratiæ Dei ante lapſum, nec tamen eo ipſo

aliqvid sunt promeriti. A libertate consentiendi ad meritum vitæ æternæ, nulla valet conseqventiæ. Miror autem Janssenium optima & plurima præterivisse argumenta, qvibus Pontificij aliás utuntur in hac materiâ prolixâ & intricatâ, qvod fecit vel ex ignorantiâ, vel ex ignaviâ, vel ex malâ conscientiâ, qvartum non dabitur.

Caput Vigesimum qvartum.

De Merito Bonorum Operum.

726] JAnssenius producit aliqvot dicta, in qvibus vita æterna vocatur merces; *Jer. 31. v. 16. Est merces operi tuo, ait Dominus. 1. Cor. 3. v. 8. Si cujus opus arserit, qvod superædificavit, mercedem habebit. Rom. 2. v. 6. Deus reddet unicuiq; secundum opera sua. 1. Corinth. 15. v. 58. Labor vester non erit inanis. Jacob. 1. v. 12. Deus reddet coronam vitæ. 2. Timoth. 4. v. 8. coronam justitiæ. Coloss. 3. v. 24. accipient à Domino retributionem.* Ergo, concludit, opera nostra propriè sunt meritoria vitæ æternæ.

727] Resp. Distingvendum est inter mercedem; qvædam merces est debita & opponitur gratuito; ita sumitur vox ista Rom. 4. v. 4. *illi, qvi operatur, merces dabitur ex debito;* qvædam verò est indebita, qvæ opponitur frustraneo & vano, qvod nullam habet utilitatem, notatq; gratuitum laboris debiti præmium, ita sumitur hæc vox Rom. 4. v. 5. *ei qvi non operatur, imputatur merces secundum gratiam.* Prior merces potest dici legalis,

lis, posterior Evangelica. Qvando igitur vita æterna vocatur merces operum nostrorum, intelligitur merces non debita sed gratuita, propter seqventes rationes,

728] (1) Debitis officijs non propriè aliqvid meremur, nos verò, illa bona opera qvæ facim9, & longè plura debemus Deo. (2) Nulla est proportio inter vitam æternam & opera nostra exigua & impura, qvomodo igitur operibus possumus vitam æternam propriè promereri? (3) vita æterna est donum Dei Rom. 6. v. 23. si autem est donum non est merces propriè, nam qvod datur ex gratiâ id non debetur ex operibus Rom. 11. v. 6. (4) Imò opera nostra â justificatione disertè excluduntur Rom 4. v. 5. Tit. 3. v. 5. qvomodo igitur aliqvid possumus promereri? cum non operanti, sed credenti fides imputetur ad justitiã. (5) Qvod Matt. 6. v. 1. vocatur merces, id Luc. 6. v. 32. vocatur χάρις seu gratia, est ergo merces gratuita, non debita, qvam non promeremur, sed tanqvam donum gratuitum conseqvimur, diciturq; merces (1) qvia seqvitur opera, sicut merces laborem, & hoc sensu *Johova* dicitur merces Gen. 15. v. 1. & *liberi* mercedes parentum Psl. 127. v. 3. qvæ omnia tamen nemo potest promereri. (2) Qvia Deus promisit hoc præmium bene operantibus, qvæ promissio cum sit gratuita, meritum operum nostrorum potius destruit qvàm adstruit. Hinc rectè August. Serm 31. in Lucam ait: *Deus nobis se fecit debitorem non debendo sed promittendo.*

729] Qvod verò attinet loca, ubi *vita æterna* voca-

vocatur corona, habetur respectus ad certamen & victoriam Christianam, qvâ non meremur sed cõseqvimur istam coronam. *Justitiæ* dicitur corona, non ac si esset justitia nostra, sed est *justitia Dei* Rom. 3. v. 25. 2. Cor. 5. v. ult. Phil. 3. v. 9. qvam Christus nobis acqvisivit 1. Cor. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. ult. Dicitur autem Deus nobis reddere aliqvid non ideo, qvia debet ex merito, sed qvia promisit ex gratuito, & qvia veritas ejus reqvirit, ut reddat ea, qvæ promisit. Hinc Seniores ante thronum Agni, non suo debito, sed gratiæ Agni omnia adscribunt, coronas suas abijcientes & cantantes; *dignus es Domine, qvi accipias gloriam* Apoc. 4. v. 11. hinc vita æterna vocatur *hæreditas*, *Benedictis Dei filijs ante jacta mundi fundamenta parata* Matt. 25. v. 34.

730] Miserè autem probat Janssenius Christum & Apostolos fuisse authores hujus dogmatis, qvia Centuriatores Magdeburgenses testentur, *secundo seculo hanc doctrinam cæpisse* in præfat. Cent. 2. Cùm tamen Christus & Apostoli non amplius vixerint in terris secundo seculo, nec primo seculo qvicqvam de hisce somnijs in Ecclesiâ fuerit auditum. Ita Monachus iste se excusando accusat, & causam propugnando prodit; si sapuisset, de principio hujus dogmatis tacuisset.

Vide qvæ supra part. 1. cap. 6. n. 156. seqq. hac de re dicta sunt.

Caput

Caput Vigesimum qvintum.

De Jejunijs.

731] IN hoc Capite Janssenius *(1) Jejunium commendat (2) meritum & cultum jejunio inesse defendit. (3) Jejunium qvadragesimale propugnat. (4) Ad Objectiones qvasdam Meisneri respondet.* Videbimus singula.

732] *1. Commendat Janssenius jejunium multis scripturæ dictis p. 494. 495.* sed qvis ex nostratibus non commendat? scimus per Dei gratiam totam vitam Christianam debere esse jejunium perpetuum, hoc est, in sobrietate & temperantia semper vivendum esse. Interdum expedit ab omnibus cibis abstinere, sive in calamitatibus publicis, sive in precibus & pœnitentiâ hoc fiat, sive ad carnis libidines domandas jejunium instituatur. Non itaq; opus fuisset tam prolixè de commendatione jejunij declamare.

733] 2. Jejunium autem qvadragesimale, qvod non consistat in abstinentia ab omni cibo & potu, sed *in delectu qvorundam ciborum, qvod non tantùm necessarium, sed etiam meritorium esse* dicit, id nos reijcimus ob causas seqventes. (1) Non habemus mandatum Christi vel Apostolorum; hoc enim in rebus ad cultum Dei pertinentibus omnino reqviritur Matth. 3. v. 17. cap. 17. v. 5. cap. 28. v. 20. (2) Christus ipse noluit determinare certum jejunandi tempus, cum enim Discipuli Johannis qværerent, cur Pharisæi tam freqventer jejunarent, discipuli autem Christi non item, respon-

dit Jesus: *numqvid possunt amici sponsi lugere, qvam diu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Matth. 9. v. 15. (3) Distinctio Levitica ciborum in Novo Testament. prorsus est abolita. *Non, qvod intrat in os, coinqvinat hominem, sed qvod procedit ex ore, hoc coinqvinat hominem*, Matth. 15 v. 11. *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris* Actor. 10. v. 15. *Omne qvod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* 1. Cor. 10. v. 25. *Nemo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, Coloss. 2. v. 16. *Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, qvid adhuc tanqvam viventes mundo decernitis? ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis, qvæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum* Coloss. 2. v. 20. 21. *Omnia munda mundis: coinqvinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inqvinatæ sunt eorum & mens & conscientia* Tit. 1. v. 15. (4) In Ecclesiâ primitivâ certamen exoriebatur de Lege servandâ, sed Apostoli decidebant: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris qvàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sangvine & suffocato, & fornicatione; à qvibus custodientes vos, benè agetis* Actor. 15. v. 28. 29. Si ergo non amplius obligamur ad distinctionem ciborum à Deo datam in Veteri Testam. utiq; non obligamur ad distinctionem ciborum ab hominibus introductam, stamus igitur in libertate, qvam

Chri-

Christus semel acqvisivit, 1 Corinth. 7. v. 23. Galat. 5. v. 1. (5) In Novo Testam. distinctio ciborum per se non est cultus divinus, qvod tamen Pontificij asserunt, *nam non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudiū in Spiritu Sancto* Rom. 14. v. 17. *Esca nos non commendat Deo: Neq; enim si manducaverimus, abundabimus; neq; si non manducaverimus, deficiemus*, 1. Corinth. 8. v. 8. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, qvod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*, 1 Tim. 4. v. 4. 5. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, optimum est enim gratia stabiliri Cor, non escis: qvæ non profuerunt ambulantibus in eis*, Hebr. 13. v. 9. (6) Satisfactio autem pro peccatis, peccatorum expiatio & vitæ æternæ meritum isti jejunio inesse neqveunt, caret enim hoc figmentum Scripturæ testimonio, imò Scripturæ contrariatur, qvod videns Apostolus scribit: *Spiritus manifestè dicit, qvia in novissimis temporibus discedent qvidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loqventium mendacium, cauteriatam habent suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, qvos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus*, 1. Tim. 4. v. 1. 2. seqq.

734] Hisce præmissis facilè responderi potest ad ea, qvæ Janssenius pro defensione delectus ciborum & jejunij qvadragesimalis affert. Christi Mosis, & Eliæ exemplū nihil facit ad rem illi enim ab omni cibo per dies 40. abstinuerunt, qvod dum Ponti-

Pontificij non faciunt, frustra ad hæc exempla provocant. Deinde non sufficiunt exempla sine præceptis. Christus excitabat mortuos, Moses miracula faciebat in Ægypto, Elias vivus ad cœlum ascendebat, num propterea hæc imitanda erunt propter nuda exempla? In Paradiso Deus protoplastis interdixit esu de arbore vetitâ, sed non est qvæstio qvid in statu innocentiæ olim factum sit. Qvidqvod Pontifex ad exemplum Dei cibos prohibentis provocans cibosq; prohibens, nihil aliud faciat, qvàm qvòd divinam potentiam & honorem affectet, 2 Thess. 2. v. 4. In veteri Testam. Deus interdixit esu carnis suillæ, sed in Novo Testam. ista distinctio est abrogata, ut modò demonstratum. Jer. 25. Rechabitarum exemplum nihil ad rhombum, illi enim ex mandato Patris Jonadab â vino abstinebant vineas non plantabant, nec domos ædificabant, non qvasi cultus qvidam divinus in eo consisteret, aut peccatorũ remissionem hisce medijs possent promereri, sed erat tantùm disciplina domestica instituta propter certas causas: abstinentia vini ab ebrietate, abstinentia ædium, vinearum ædificandarum ab avaritiâ eos avocabat. Præterea Jonadab tantùm filijs suis hoc mandatum dedit, Pontifex autem universæ Ecclesiæ; Jonadab habebat potestatem in familiâ suâ hoc faciendi, sed Pontifex in Ecclesiâ hanc potestatem non habet, imò Pontificij non abstinent in jejunijs â vino, ut Rechabitæ, qvomodo igitur ad exemplum illorum provocare possunt? Dan. 10. v. 3. 12. non tantùm â carnibus abstinuit in jejunio, sed â vino & omni

cibo

cibo delectabili, qvod ipsum dum Pontificij non faciunt, malè ad hoc exemplum provocant.

735] 3. Janssenius pugnat *cultum & sanctificationem jejunio inesse*; at qvomodo hoc probat? exemplo Ninivitarum & aliorum Regum; qvæso autem ubi hoc scriptum legitur, qvod Ninivitæ, Reges Hebræorum, *jejunando cultum Deo præstiterint, peccata sua expiârint, & vitam æternam promeriti fuerint?* Qvæstio hæc est principalis inter nos & Pontificios de jejunio, & tamen Janssenius tam frigidè eam tractat, nullum Scripturæ dictum citat, nullum argumenti nervum indicat. Imò jejunium Israelitarum fiebat peccatum, cum opinio cultus & meriti accederet, dicebant illi, *qvare jejunavimus & non aspexisti? afflximus animas nostras & nescivisti? Deus autem improbabat eam hypocrisin Esa. 58. v. 3.*

736] 4. Nunc ad rationes Meisneri progreditur (1) ait, *libertati Christianæ jejunium non contrariatur, nesciunt enim Lutherani in qvo libertas ista consistat*; Resp. hoc docet Apostolus 1. Cor. 7. v. 23. *pretio empti estis. nolite fieri servi hominum* Gal. 5. v. 1. *state in libertate, nolite iterum jugo servitutis contineri.* Si itaq; sub opinione necessitatis & cultus Mosaici ciborum distinctionem acceptaremus, libertatem â Christo partam perderemus & nos in servitutem jugi legalis præcipitaremus. (2) Ait; *non est superstitiosum, fecerunt enim hoc Elias, Daniel, Christus &c.* sed ad hæc exempla n. 734. responsum est. (3) *Non est doctrina Dæmoniorum 1. Tim. 4. v. 2. 3. nam Paulus, ibi Manichæos & Encratitas taxat.* Resp. Paulus loqvitur de ultimis tempo-

temporibus, innuens postremo mundi tempore tales Doctores futuros esse, nec loqvitur de ijs, qvi cibum simpliciter damnant, ut Manichæi & Encratitæ, verùm de ijs, qvi prohibent sub specie perfectionis; imò etiamsi loqveretur de priscis illis hæreticis non tamen Pontificios excluderet, unius enim inclusio, non est alterius exclusio; loqvitur præterea Paulus de ijs, qvi cauteriatam habent conscientiam, qvalem habent Pontificij, qvi probè sciunt jejunium istud non esse juris divini, qvare legem tantùm Ecclesiasticam vocant. (4) *Merito Christi per jejunium meritorium nihil detrahi sed potius illustrari*, ait; at qvomodo jejunium Christi meritum illustrat? qvod tamen imperfectionis arguit, qvasi non sufficiens fuisset propter additionem nostrorum meritorum. (5) *Simoniacum esse negat, cùm relaxetur pecunijs in usum eleemosynarum cedentibus*; sed istæ pecuniæ solvuntur Pontifici, ergo Pontifex eleemosynis Christianorum vivit. *Dona Dei pecunijs non acqviruntur* Act. 8. v. 21. justitia nostra & vita æterna sunt dona Dei, ergo pecunijs pro libertate carnes edendi numeratis non acqviruntur. Petrus nolebat dona Dei vendere pecunijs, qvas tamen in usum eleemosynarum adhibere potuisset Act. 8. v. 18. 19. 20. 21. (6) *Hypocriticum esse*, nō potest negare, abstinere enim â carnibus interea autem piscibus, aromatibus, ferculisq; lautissimis ac vino generoso se farcire est hypocrisis plus qvàm Pharisaica. (7) Est inventum merè humanum, qvo Deus frustra colitur, cū exempla allata suprà omnia sint refutata. Rationes igitur Meisneri Janssenius relinqvit intactas

tactas & pro ista refutatione meritò gratias agit. Qvomodo autē salvâ libertate Christianâ jejunia possint rectè institui, prolixè docet Balduinus in Casibus conscientiæ lib. 2. cap. 14. qvem vide.

Caput Vigesimum sextum.

De Indulgentÿs.

737] INdulgentiæ Papales nituntur incertis & fictis hypothesibus, qvibus destructis ipsæ qvoq; destruuntur indulgentiæ (1) falsum est, *manere pœnas temporales satisfactorias, post remissam culpam*; nam pœnitentibus remittitur culpa pariter & pœna; imò cum homo punitur, peccatum ipsi non est remissum, peccatum esse remissum, & pœnam esse sustinendam sunt contraria; pœnam intelligo propriè dictam, hæc enim imponitur ob peccatum mortale non remissum, â Deo irato in perniciem illius qvi punitur. Aliud autē est castigatio Dei paterna, qvæ homini obvenit peccato jam remisso, â Deo placato, in salutem illius qvi castigatur Moses & Aaron peccarunt diffidentiâ, ideoq; vita illorum decurtabatur, nō tamē fuit pœna proprie dicta, nec satis factoria, multo minus suis operibus potuissent eam redimere, imò illa pæna per indulgentias non potuisset relaxari, de qvâ tamen qværitur. Sic David post adulterium & homicidium punitus est morte filij & exilio, sed non fuit pœna propriè dicta, cum peccatum jam esset remissum; imponebatur à Deo nō irato sed placato, non in perniciē sed in salutē Davidis, multo minus erat pœna satis-

satisfactoria, cum jam peccatum esset remissum, neq; potuisset redimi indulgentijs Ecclesiasticis. Istæ igitur satisfactiones (1) carent fundamento Scripturæ (2) pugnant cum merito Christi sufficientissimo Esa. 53. v. 4. 5. 2 Cor. 5. v. 21. Gal. 3. v. 13. 1 Tim. 2. v. 5. 6. 1 Pet. 2. v. 24. 1 Joh. 2. v. 2. Hebr. 10. v. 4. (3) pugnant cum gratuitâ peccatorum remissione Psal. 32. v. 1. 2. Rom. 3. v. 24. 25. 2 Cor. 5. v. 19. Col. 1. v. 14. (4) Cum dictis de totali oblivione peccatorum Psal. 103. v. 12. Esa. 43. v. 25. cap. 44. v. 22. Jer. 50. v 20. Mich. 7. v. 19. (5) Cum pace & tranqvillitate conscientiæ justificatorum Rom. 5. v. 1. Rom 8. v. 1. (6) Veram consolationem tentatis adimit.

738] (2) Falsum est *has pœnas non tantùm in hac vitâ sed etiam in purgatorio sustineri, nisi relaxentur*, purgatorium enim esse figmentum Monachorum Cap. 18. n. 610. probatum est. (3) Falsum est *Sanctos plura facere & pati posse, qvam ipsorum peccata merentur*, nam (1) destituitur hæc doctrina fundamento scripturæ. (2) Pugnat cum proprijs Sanctorum confessionibus Psal 32. v. 6 Dan 9 v 5. Esa. 64 v. 6. (3) pugnat cum natura peccati; omne peccatum in se est mortale æternamq; mortem meretur, sed nullum opus tam perfectè bonum est, ut eo vitam æternam qvis mereri possit. (4) pugnat cum oratione Sanctorum, qvi judicium Dei deprecantur Psal. 143. v. 2. Ex 34. v. 7. Job. 9. v. 2 Ps. 19. v. 13. Ps. 130. v. 2. Dan. 9. v. 18. 1 Cor. 4. v. 4 (5) Pugnat cum confessione Sanctorũ qvi se salvari dicunt solâ gratiâ & misericordiâ Dei, Ps. 51. v. 1. 2. Dan. 9. v. 9. & 19. Luc. 15. v. 14. 1 Tim. 1 v. 16.

739] *Mariam Virginem*, inqvit Janssenius, *nullo peccato mortali fuisse inqvinatam.* Sed Resp. (1) Fuit nata ex carne, ergo & ipsa fuit caro Joh. 3. v.6. hoc est peccato originali infecta; qvod utiq; mortale esse, Pontificij fatentur, dum infantes non baptizatos â regno cœlorum excludunt nullâ aliâ de causâ, qvia â peccato originali per baptismum non sunt liberati (2) *omnes* sancti petunt à Deo remissionem peccatorum Psal. 32. v. 7. ergo & Maria petijt, aut in numerum sanctorum istorum referri non posset, vel etiam David non de omnibus sed de qvibusdam sanctis hoc affirmare debuisset. (3) Fatetur Maria sese habere *Salvatorem* Luc. 1. v. 47. ubi autem opus est, Salvatore, ibi adsint peccata necesse est, cùm Jesus populum suum à peccatis salvare dicatur Matth. 1. v. 21. (4) Maria utiq; Orationem Dominicam â Christo præceptam Matth. 6 v. 10. seq. qvotidie recitavit: Sin autem ab omni peccato immunis fuisset, qvomodo remissionem peccatorum petere potuisset: remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. (5) Maria negligenter filium curabat in itinere, eumq; amittebat; neq; personam ipsius satis æstimabat, hinc cum Josepho correctionem audiebat, *an nesciebatis qvòd oporteat me esse in illis, qvæ sunt Patris mei* Luc. 2. v. 49. Igitur Maria virgo ab omni peccato non potest dici libera fuisse; omne autem peccatum suâ naturâ est mortale; propter Christum verò pœnitentiâ apprehensum fit veniale. *Johannem Baptistam omni peccato mortali caruisse*, ait, sed non probat. Johannes (1) natus fuit ex parenti-

bus peccato infectis, Zacharia & Elisabetha mort communi, ergo in peccatis qvoq; conceptus & natus fuit Ps. 51. v. 6. (2) ubi peccatū est originale, fomes cōcupiscentiarū, ibi qvoq; sunt pravæ concupiscentiæ, â qvibus Johannē fuisse immunē certò nō potest demonstrari; atqvi cōcupiscentia qvoq; est peccatū Rom. 7. v. 8. (3) Omnes peccaverūt & egent gloriâ Dei, inqvit Paulus Rom. 3 v. 23. Ergo Johannes Baptista ab hac regulâ excipi non poterit. (4) Mors est stipendium peccati Rom. 6. v. 23. per peccatū mors in omnes homines pertransijt Rom. 5. v. 12. Qvia verò Johannes Baptista morti fuit obnoxius, seqvitur mortē qvoq; per peccatū in illum transi;sse. Posito autē sed nō concesso Mariā & Johannē omni peccato caruisse, qvomodo exinde seqveretur? ergò illi suâ innocentiâ satisfecerunt pro peccatis nostris. Christus eqvidem legem implendo maledictionem à nobis abstulit sed de Mariæ, Johannis, vel aliorum sanctorum innocentiâ satisfactoriâ pro peccatis nostris Scriptura silet.

740] Hinc corruit aliud figmentum, *ex istis superabundantibus Sanctorum satisfactionibus magnum exsurgere thesaurum in Ecclesiâ depositum*; non entis enim non dantur accidentia, cum talia opera supererogationis nō dentur, neq; thesaurus aut depositum illorum dabitur. Pontificem verò Romanum habere potestatem applicandi hunc thesaurum per indulgentias pro peccatis, id valde incertum est. Nam thesaurum istum (1) Scriptura ignorat. (2) Qvomodo ille sit depositus, per qvos, an per homines aut Angelos, nō exprimit (3) Romæ esse depositum, prorsus tacet. (4) Contrariatur

tur Christi mandato, qvi meritum suum omnibus hominibus prædicari jussit in toto mundo Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. (5) Non uni Pontifici, sed omnibus Apostolis imò Ecclesiæ ministris commisit, ut peccata remitterent Joh. 20. v. 22. 1 Cor. 4. v. 1. (6) Non pecuniâ sed gratis gratiam suam & Spiritum Sanctum donat Matth. 10. v 8. Act. 8. v. 20. (7) Scriptura reijcit istas negotiationes, qvæ fiunt per avaritiam fictis verbis 2 Pet. 2. v. 3. (8) Petrus hunc thesaurum Pontifici relinqvere non potuit; Petro enim moriente plurimi Sanctorum papalium nondum vixerunt, qvi hunc thesaurum congesserunt. (9) Multo minus auream clavem Pontifici tradidit, qvippe qvi auro & argento carebat Act. 3. v. 6.

741] Qvædam Scripturæ dicta adducit. Coloss. 1. v. 24. ubi Paulus ait; *adimpleo ea, qvæ desunt passioni Christi in carne meâ pro corpore ejus, qvod est Ecclesia.* Resp. Scriptura recenset duplices passiones Christi, qvasdam sustinuit in proprio corpore tempore carnis suæ, cum Patri fieret obediens usq; ad mortem Phil. 2. v. 8. & peccata nostra perferret in corpore crucis 1. Pet. 2. v. 24. nostrosq; dolores portaret, ut nos pacem haberemus Esa 53. v. 4 seq. Hæ passiones tanti sunt ponderis & perfectionis, ut aliud complementum non admittant, adeoq; de hisce Paulus loqvi non potest, qvasi eas passiones suis afflictionibus impleat. Qvasdam verò passiones Christus sustinuit in Corpore suo mystico, id est, Ecclesiâ, afflictiones nimirum & persecutiones Sanctorum, qvas Christus pro suis reputat afflictionibus,

cum enim Saul Christianos perseqveretur, Christus clamabat de Cœlo, Saul qvid me perseqveris Act. 9. v. 4. Mensura istarum afflictionum nondũ impleta est, qvamdiu Sancti in his terris vivunt, qvi propter Christum aliqvid patiuntur; hisce passionibus suum complementum Paulus qvoq; addidit, in exemplum aliorum, qvi & ipsi pro gloriâ Dei tales passiones detrectare non debent. Ad hunc ferè sensum explicat hoc dictum Justinianus Jesuita in Comm. super hunc locum, qvi expressè scribit: Paulum implere, qvæ desunt passionibus Christi, non qvoad meritum & vim satisfaciendi, sed vim & efficacitatem traducendi mortales ad fidem, idq; ut corpus ejus mysticum, qvod est Ecclesia, perficiatur, docendo, monendo, hortando, Evangelium propagando, promulgando magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda, multaq; incommoda perferenda. Hæc videntur deesse passionibus Christi, qvæ tamen ad utilitatem corporis mystici, id est, Ecclesiæ plurimum valent. Paulus loqvitur de illis passionibus Christi, qvibus aliqvid deest, atqvi passionibus, qvas Christus pertulit in carne suâ, nihil deest, fatetur enim Bellarm. lib. 1. c. 14. de Indulgentijs, *qvod meritum Christi sufficiat*; ergò non de illis, verùm de alijs passionibus Christi, scilicet in corpore mystico, hoc est, Ecclesia loqvitur.

742] Citat præterea dictum Jobi 7. *Utinam appenderentur peccata mea, qvibus iram merui: & calamitas, qvam patior, in staterâ: qvasi arena maris hæc gravior appareret.* Ergo concludit, Hiobus plura perpessus est qvàm peccata ipsius sunt promeri-

merita, adeoq; plus satisfecit, qvæ satisfactio Hiobi alijs applicari potest. Resp. legitur hoc dictum non cap. 7. sed c. 6. v, 2. 3. vitiosè autem comparat Vulgata versio calamitates cum peccatis Hiobi; non enim v. 2. legitur *peccata mea*. Sed, כַּעְשִׂי Arrias Montanus vertit *ira mea*. Pagninus autem *qverela mea*. Hiobus itaq; comparat suas afflictiones, qverelas & iras qvas sustinebat, cum arenâ maris, & concludit, hanc suam calamitatem arenâ maris esse graviorem. Et qvomodo afflictiones ipsius potuerunt esse peccatis graviores cum Hiobus fateatur, *qvòd homo coram Deo non possit se se justificare, si velit contendere cum eo, non respondebit ei unum ad mille* cap. 9. v. 2. 3. Si itaq; Hiobus Deo non potuit unum ad mille respondere, utiq; afflictiones, peccatis ipsius non fuerunt graviores Ad locum locum Dan. 4. *redime peccata tua Eleemosynis* suprà n. 168. responsum est. Luc. 11. v. 41. inqvit Christus, *date Eleemosynas & omnia munda sunt vobis*. Resp. Christus in hoc loco. v. 39. 40. taxat rapinas & furta Pharisæorum, & hortatur ut dent eleemosynas de ijs *qvæ supersunt* v. 41. Qvod verò ait, *omnia vobis sunt munda*, non intelligit, qvasi eleemosynæ nos etiam à peccatis mundent; sangvis enim Jesu Christi filij Dei mundat nos ab omnibus peccatis 1 Joh. 1. v. 7. sed loqvitur de vero usu bonorum, qvæ non ad luxum sunt convertenda, verùm pauperibus eroganda; fontes nostros foras derivare debemus Prov. 5. v. 16. Præterea jubet eleemosynas dare non de rapinis sed de ijs *qvæ supersunt* hoc est qvæ legitimo modo

do sunt acqvisita; tales eleemosynæ in fide datæ sunt coram Deo odor bonæ fragrantiæ, & hostia grata Phil 4. v. 18. Qvi autem dant eleemosynas de bonis male partis, idem faciunt, ac si qvis filiũ coram patre sacrificaret Syr. 34. v. 24. Prov. 15. v. 8. Ps. 68 v. 36. eqvidem legitur, *Deus est mirabilis in Sanctis suis*, ut habet versio vulgata, sed inde non seqvitur, ergo etiam per Sanctorum satisfactiones nos justificat; hoc enim esset qvodvis ex qvovis concludere; sic etiam posset qvis evincere, qvod Deus ope Sanctorum nos crearet, vel etiam de mortuis resuscitaret; verùm Deus est mirabilis in Sanctis suis eos mirabiliter ducendo, protegendo, ex malis eripiendo, inimicos illorum dissipando, prout ejusmodi opera Domini in toto illo Psalmo enarrantur. Fontes præterea aliter legunt נוֹרָא אֱלֹהִים מִמִּקְדָּשֶׁיךָ *Terribilis Deus à sanctuarijs tuis*, ut Arias Montanus vertit, uti & Pagninus. **Gott ist Wundersamb in seinem Heiligthumb** rectè vertit Lutherus: qvæ ad satisfactiones Sanctorum nullo modo possunt cogi & torqveri. Similis ferè locus Psal. 66. v. 5. legitur: *Deus est mirabilis operibus suis inter homines*, de qvo supra n. 152. actum est.

743.] Qvid qvod Pontifex Clemens V. expresse asserat, illos esse *mendaces*, qvi promittunt animarum liberationem ex purgatorio indulgentijs, qvas vendunt: ita enim lib 5. Clementin. Tit. 9. Cap. 2. *Abusionibus*. scribit: *Adhæc cum aliqvi ex hujusmodi qvæstoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multa temeritatis auda-*

audacia, & deceptione multiplici animarũ, indulgentias populo motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, à perjuriis, homicidiis & peccatis aliis sibi confitentes absolvant, malè ablata incerta (data sibi aliqva pecuniæ qvantitate) remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qvi eleemosynas eis conferunt, de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahant, & ad gaudia Paradisi perducant, benefactoribus locorum, qvorum qvæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqvi ex ipsis eos à pœna & à culpa (ut eorum verbis utamur) absolvant. Nos abusus hujusmodi, per qvos censura vilescit ecclesiastica, & clavium Ecclesiæ autoritas ducitur in contemptum, omnimode aboleri volentes: ea per qvoscunq; qvæstores fieri vel attentari de cætero districtius inhibemus.

744] Qvid autem hoc sibi vult, qvod Pontifex ad centum, imò ad mille annos & plures indulgentias dare soleat? Cum Romæ Capita Petri & Pauli ostenduntur in Ecclesia Lateranensi, tum Romani dicuntur habere indulgentias trium millium, vicini sex millium, qvi è longinqvo veniunt, duodecim millium annorum. Qvæstores hospitalis S. Spiritus in urbe Roma subductâ ratione invenerunt indulgentias omnium & singularum statuarum urbis accrescere ad summam ultra decies centena millia annorum. Halæ Saxonũ olim indulgentiæ impetrabantur ad multa millena millia annorum. Catalogus reliqviarum ibidem asservatarũ An. 1520. impressus, in fine ita loqvitur.

Summa Summarum alles hoch Lobwirdigen Heiligthumbs obangezeigter neun Genge/ist acht tausent/hundert vñ drey vnd dreyßig Particfel zwey vnd vierzig gantzer heiliger Cörper. Macht der Ablaß neun vnd dreißig tausendtmahl tausent/ zweyhundert/ mahl tausendt / fünff vnd viertzig tausendt/ hundert vnd zwantzig Jahr / zwey hundert vnd zwantzig Tage. Darzu sechs tausendt/ mahl tausendt/fünff hundert mahl tausendt vnd viertzig tausent Qvadragen. So hat auch ein jeglicher Gang insonderheit vier tausendt achthundert Jahr/ zwey hundert acht vnnd zwantzig Tage/vnd acht hundert Qvadragen. Selig sind die sich deß theilhafftig machen. Sed qvæso cur ad tot annos dantur indulgentiæ? in extremo die purgatorium abolebitur teste Bellarm. lib. 1. de purg. cap. 12. cur ergò ad tot annorum myriades ultra extremum judicium, fine mundi jam imminente, istæ extenduntur. Imò cur Missæ celebrantur, pro ijs qvi plenarias & in multa millia durantes indulgentias sibi comparârunt? patet ex hisce omnibus solius pecuniæ emungendæ causa Papam hæc omnia finxisse & totum orbem Christianum fatuis hisce figmentis diu miserè decepisse.

745] Qvid qvod peccatis futuris, qvæ homo perpetranda nondum animo concepit, etiam indulgentiæ distribuantur. Regicidæ â Pontifice emissi absolvuntur â scelere suo, anteqvam illud perpetrant; tales indulgentias habuit Monachus ille Anno 1589. Henricum III. venenato cultello

inter-

interficiens. Imò Tezelius nundinator indulgentiarum eo usq; progressus fuit, ut etiam pro peccatis futuris indulgentias venderet: si qvis tam atrox peccatum commisisset, ut matrem Domini stuprasset, jactabat se habere potestatem numeratà pecuniâ scelus remittendi, referente Sleidano lib. 13. qvæ blasphemia primùm Luthero dabat occasionem contradicendi, ut fatetur Tom. 7. Jenens. German. fol. 422.

Caput Vigesimum septimum.

De Ceremonijs & Consecrationibus.

746] OBjeceram supra lib. I. cap. 7 in Ecclesiâ Romanâ multa esse figmenta, qvibus cultum suum stabiliant; Jansenius autem promisit se in hoc loco ad omnia responsurum, qvomodo id faciat, paucis videbimus.

747] Multa sunt in Ecclesiâ Romanâ, qvæ præter verbum Dei excogitata sunt. Talia sunt circumgestatio statuarum, appensio veli, asinus in die palmarum circumductus, sepultura crucis, vigiliæ ad sepulcrum, elevatio crucis, elevatio imaginis Christi in die ascensionis, columbæ demissio in die pentecostes, strepitus instrumentorū ligneorum in die parasceves, vigiliæ, horæ Canonicæ, primæ, tertiæ, Sextæ, nonæ, anniversaria, prioratus, capellæ, commendaturæ, humerale, Alba cingulum, stola, casula, vestes chorales, altaria candelabrum, lucernæ, ampullæ, thuribula, thymiamata, vexilla, monstrantiæ, cibaria, campa-

nellæ, alba veſtis ſtatuarum, Litania ſanctorum, crux, indulgentiæ, palmæ in die palmarum, oſculum pacis, exſeqviæ annuatæ, pallia, annus Jubilæus, caſus reſervati, reſervatio pectoralis, menſes Pontificij, diſpenſationes, ſignaturæ, ſurrogationes. Hæc & ſexcenta alia in Papatu efficta habentur ſine authoritate & mandato divino.

748] Janſenius reſpon. pag. 515. *hæc omnia in Scripturis qvidem non fundari, interim convenire cum rectâ ratione, qvæ lumen naturæ à Deo habeat, Deumq́; colendum eſſe ſciat, ceremonias ergo in lege naturæ fundatas non eſſe reijciendas.* Reſpond. (1) Lumen naturæ, qvâ Deum colendum eſſe ſcimus, non reijcitur, ſed an cultus ille, modusq́; illius cultus â lumine naturæ ſit petendus, hoc eſt in qvæſtione; Janſſenius id probare debuiſſet. (2) Iſtæ ceremoniæ enumeratæ ab Ethnicis & Judæis ſuam traxerunt originem, fatentibus qvibusdam Pontificijs, ut prolixè id probat Nicol. Hunnius in Libro de Apoſtaſia Eccleſiæ Romanæ, ſicut ergo cultus ille Ethnicus Deo non placuit, licet Ethnici ad lumen naturæ potuiſſent provocare, ita nec cultus Pontificius Deo placere poteſt. (3) Iſtæ Ceremoniæ in Papatu non habentur ut indifferentes, ſed ut neceſſariæ, Trid. Concil. ſeſſ. 7. Can. 13. definit, *ſi qvis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolenni adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſvetos aut contemni aut ſine peccato à miniſtris pro lubitu omitti, aut in novos alios, per qvemcunq; Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Imò iſtæ neceſſariò ad ipſum cultum, meritum & ſatisfactionem referuntur, qvæ

omnia

omnia ex lege naturæ, utpote qvæ verum Dei cultum & veram pro peccatis satisfactionẽ ignorat, proveniunt(4) In rebus ad cultũ Dei pertinentibus simpliciter â verbo Dei nos dependere oportet; *in præceptis meis ambulate, nec declinetis á lege vel ad dextram vel ad sinistram* Deut. 4. v. 2. Cap. 5. v. v. 32. *frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum* Matth. 15. v. 9. *qvis reqvisivit ista de manibus vestris* Esa. 1. vers. 12. & Paulus seriò jubet, ut vitemus cultum electitium Coloss. 2. v. 16. 23.

749] Nos Ceremonias Ecclesiæ honestas etiam admittimus, certis autem conditionibus. (1) Ne adsit opinio necessitatis; semel enim â jugo legis liberati & in libertatem positi sumus, in qvâ standum est nobis, Galat. 5. v. 1. 1. Corinth. 7. v. 23. (2) Ut istæ ceremoniæ non sint cultus Dei; nam cultus divinus consistit in verbi auditione, Sacramentorum usurpatione, oratione & similibus â Deo institutis, ceremoniæ autem sunt externum qvid, qvod â vero cultu citra periculum adesse vel abesse potest (3) Vt ceremoniæ istæ non pariant scandalum, sed ad ædificationem Ecclesiæ dirigantur, secundum Pauli monitum; *omnia fiant ordine & decenter, ad ædificationem*, 1. Cor. 14. v. 26. 40

750] De Consecratione Creaturarum supra qvoq; actum. In Papatu creaturæ certis formulis qvasi magicis exorcisantur (verbum est in Papatu usitatum) tales sunt aqva benedicta, rosa benedicta, ensis benedictus, agnus Dei, benedictio herba-

rum,

rum, campanarum, imaginum, salis, cereorum, paschalium, consecrationes templorum, cæmiteriorum, altarium, lapidum ad missificandum, cinerum, ignis, frugum, fabarum, vini &c. de qvibus exorcisandi formulis videatur pars 1. cap. 1. n. 46. Janssenius ex sacris ista defendens aliqvot adducit loca, qvæ paucis examinabimus.

751] Num. 19. v. 17. *Aqva cineribus mixta dicebatur aqva expiationis, eaq; Judæi mundabantur.* Respond. (1) Aqva illa, illiusq; consecratio & usus â Deo erant expressè mandata; ubi autem in Novo Testam. tale mandatum legitur? (2) Si exemplo Leviticarum ceremoniarum Janssenius pugnat, seqvitur legem ceremonialem â Christo semel abrogatam in Ecclesiam esse introducendam, qvod impium & absurdum contra decretum Apostolorum Act. 15. v. 10. seqq. v. 28. 29. (3) Aqva illa Levitica per se non poterat peccata expiare, ut expressè docetur Hebr. 9. v. 9. 10. multo minus id poterit aqva â Pontificijs benedicta, cum institutione & promissione Dei careat. (4) Aqva illa Levitica erat typus sacrosancti Baptismi, qvo Christus Ecclesiam suam mundat Eph. 5. v. 25. seqq. Lavacrum istud denotabatur aqvâ illâ ex latere Christi profluente Joh. 19. v. 34. hinc conjunguntur tres testes in terrâ; *verbum, aqva Baptismi & sangvis cœnæ Dominicæ* 1. Joh. 5. v. 6. 7.

752] 2. Reg. 2. v. 19. seqq. *Elisæus ad tollendam aqvæ amaritudinem usus est sale.* Resp. (1) Factum illud fuit singulare & Propheticum, qvo Deus doctrinam Elisæi confirmare volebat, de qvo facto imitando nullum habemus mandatum. (2) Im-

Impossibile hoc est Pontificij, & toti clero papali, etiamsi enim plura plaustra salis inijcerent mari aut fluminibus amaris, amaritiem tamen illam aqvarum non possent in dulcorem convertere. (3) Elisæus non usus est formulâ qvadam exorcisandi, non consecravit aqvam ad pellendos dæmones & peccatorum expiationem, prout Pontificij facere solent. (4) Ex. 15. v. 25. Moses ligno qvodam aqvas amaras immutabat in dulces; Si ergò exemplis veteris Test. esset agendum, seqveretur etiam ligno aqvas istas consecrari posse, qvod tamen Pontificij non admittunt.

753] 2. Reg. 5. v. 10. seqq. *Elisa adhibuit aqvas Jordanis ad tollendam Naamanis lepram*. Respond. (1) Factum illud qvoq; fuit propheticum & miraculosum, de cujus imitatione mandatum non habemus (2) Impossibile hoc est universo clero papali, etiamsi mandatum darent leproso, ut vel in Jordane vel alio qvodam fluvio sese mergeret, miraculosus tamen effectus mandato non corresponderet. (3) Elisa non usus est exorcismo, qvo Jordanem ptius consecrasset ad hanc virtutem, sicut faciunt Pontificij. (4) Multo minus dixit aqvâ illâ diabolum pelli & peccata remitti, ut faciunt Pontificij, sed solummodo lepram corporis sanavit, qvam sanationem si Pontificij possunt imitari, imitentur.

754] Marc 7. v. 33. *Christus salivâ tinxit lingvam muti*. Resp. (1) non legimus, qvod Christus hanc salivam exorcismo papali consecraverit (2) Neq; usus est ad expiationem peccatorum. (3) Muto loqvelam restituit; faciant ergo hoc Pontificij,

tificij, si possunt, & salivâ suâ mutis loqvelam restituant. (4) Facta Christi miraculosa non sunt imitanda, nisi mandatum adsit expressum. Christus aqvam in vinum transmutavit Joh. 2. v. 7. 8. seq. super aqvas ambulabat Marc. 6. v. 48. nec tamen seqvitur, ergo & nos idem tentare debemus.

755] Sed hæc de consecratione solius aqvæ, ubi autem manent cætera? rosa, ensis, herbæ, agnus Dei, campanæ, imagines, sales, cineres, fruges, ignis, vinum, cerei, templa, cæmiteria &c. unde illorum consecratio probatur? Janssenius hic magis mutus est, qvam piscis. Campanarum baptismum negat verum esse baptismum. Sed audiamus Status Imperij, qvid illi testentur de hoc baptismo campanarum in centum gravaminibus Norimbergæ oblatis anno 1522. cap. 51. *Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi & nullus alius Sacerdos, Laicis campanas baptizent, credunt deinde simpliciores ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempestates pellere. Qvapropter innumeri plerumq; adhibentur compatres, præcipue verò qvi fortunâ pollent, exorantur, qvi baptizationis tempore, funem, qvo campana religata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente (qvemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac Campanæ nomen ingeminant, vesteq; novâ, qvemadmodum & Christianis fieri solet, campana induitur. Inde ad sumptuosa properatur convivia, qvibus præcipue compatres, ut eò largius munera offerant, adhibentur, nec non suffraganei & eorum Capellani cum multis alijs ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est,*

est, sed & Suffraganeo mercedem persolvere necesse est, qvam illi munusculum vocare solent. Inde evenit, ut aliqvando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione, qvæ res non solùm superstitiosa, sed etiam Christiana religioni contraria, ac simplicium seductio, & mera est exactio. Hæc de consecrationibus.

Caput Ultimum.

De Processionibus & Peregrinationibus.

756] TOta eqvidem vita nostra est peregrinatio Gen. 47. v. 9. in hoc autem loco qværitur *de peregrinationibus religiosis*, qvæ cultus causa suscipiuntur. In Veteri Testam. oportebat Judæos ejusmodi peregrinationes instituere, cum in unico tantùm loco, Hierosolymis, eos sacrificare oporteret Ex. 23. v. 17. Deut. 16. v. 16. Hinc tribus vicibus cogebantur, annuatim Hierosolymam ascendere. Has peregrinationes Jeroboam abrogabat & alias instituebat, contra voluntatem Dei, 1 Reg. 12. vers. 28. In Novo autem Testam. non opus est hac peregrinatione, hic enim non Hierosolymis sed in omni loco Deum possumus invocare, modò in Spiritu & veritate fiat Johan. 4. vers. 23. In Papatu verò instituuntur peregrinationes ad imagines & sepulcra Sanctorum, eo fine, ut remissio peccatorum & indulgentiæ ibidem impetrentur

tur & oratio ibidem exaudiatur, qvas peregrinationes improbamus moti seqventibus argumentis.

757] (1) In Novo Testam. â Deo non sunt mandatæ, frustra autem Deus colitur traditionibus humanis Matth. 15. v. 9. (2) Contrariatur Scripturæ, qvæ testatur in omnibus locis nos manus puras posse attollere, & in Spiritu & veritate orare 1. Tim. 2. v. 1. Joh. 4. v. 23. (3) Nulla necessitas nos adigere potest ad has peregrinationes, Deus enim ubiq; præsens implet cœlum & terram Jer. 23. v. 24. non procul est ab unoqvoq; nostrum, in ipso movemur & sumus Act. 17. v. 27. 28. (4) Christus prohibuit has peregrinationes: *si qvis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.* Matth. 24. v. 23. 26. (5) Ab Ethnicis & superstitiosis Judæis istæ peregrinationes suam traxêre originem, Judæi enim ad idola & excelsa ibant Jer. 2. v. 24. 1. Reg. 12. v. 28. 1. Reg. 18. v. 19. contra mandatum Dei. (6) In Ecclesiâ primitivâ seculo primo, secundo & tertio non fuerunt usitatæ, hinc Janssenius non nisi seculo qvarto eas cæpisse ex Centur. Magdeburg. demonstrare potest.

758] Hisce præmissis facilis est responsio ad loca Scripturæ. Deut. 16. *Deus mandabat, ut Israelitæ ter ascenderent Hierosolymam, qvod præceptum Christus observavit* Luc. 2. v. 41. seqq. *Eunuchus etiam veniebat adorare* Act. 8. v. 27. Hæc omnia fiebant (1) in Veteri Testam. templo Hierosolymitano adhuc stante, nos autem loqvimur de Novo

Testam.

Testam. (2) Fiebant ista ex mandato divino, monstrent autem Pontificij tale mandatum divinum. (3) Imò etiam Christus extra templum orabat in monte Luc. 6. v. 12. in horto Matth. 26. v. 39. in cœnaculo Matth. 26. v. 30. (4) Eunuchus Reginæ Candaces etiam in viâ legebat Biblia Act. 8. v. 28. baptizabatur extra templum in Jordane v. 38. Philippus in curru ipsi Evangelium prædicabat v. 30. seqq. *Paulus* Act. 20. v. 16. *festinavit Hierosolymam abire ad festum Pentecostes*, non ut religiosam peregrinationem institueret, nã prædicabat & orabat in Græcia alijsq; locis extra Hierosolymam, sed ut Discipulis narraret singula, qvæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius cap. 21. v. 19. & vicissim audiret, qvæ Deus fecisset inter Judæos per ministerium Apostolorum v. 20. Imò qvidam Discipuli per Spiritum Paulo dicebant, ne ascenderet Hierosolymam cap. 21. v. 4. Si ergo exemplum Pauli valet per omnia, seqvitur, nec Spiritum Sanctum velle, ut Pontificij peregrinentur ad imagines & sepulcra Sanctorum.

759] Processiones ex Psal. 118. v. 27. probat, *constituite diem solennem in condensis, usq; ad cornu altaris*. Sed ubi hic de processionibus agitur? possunt celebrari dies solennes sine processionibus. In textu Hebræo propriè ita sonant verba: *ligate agnum* (scil. sacrificandum) *funibus usq; ad cornua altaris*, pro ut Arrias Montanus & Pagninus fatentur. Hic de processionibus nullum verbulum audias, ita ut mirer stolidum istum Monachum dictum hoc arripuisse & qvidvis ex qvovis probare voluisse. Provocat etiam *ad Arcã fæderis*, qvæ fuit

circumlata, ſed (1) nullum adducit Scripturæ locum, ut ſciamus, qvid proprie intelligat. (2) Nos qværimus de Novo Teſtam. in qvo Arca fœderis amplius non eſt ſuperſtes. (3) Fiebat illud ex mandato divino, ut Joſuæ 6. v. 3. ſeqq. In novo autem Teſtam. tale mandatum non habemus. (4) Imò erat miraculoſum & extraordinarium qvid; ad arcæ enim iſtius ſeptenam deportationem corruebant mœnia Urbis Jericho; imitentur hoc Pontificij, ſi poſſunt, & mœnia civitatum ſuis proceſſionibus corruere faciant. Hiulca, contorta & coacta, imò aliena eſſe omnia hæc argumenta Lector benevolus videt.

760] Colophonis loco non eſt prætereundum argumentum illud â Converſione Gentium deſumptum, qvod Janſſenius in Dedicatione Libri ſui tractat & proponit. *Qvæcunq; Eccleſia Gentes convertit ad Chriſtianiſmum, illa eſt vera Eccleſia; atqvi hoc non facit Lutherana ſed Romana Eccleſia, qvæ Gentes in Americâ, Chinâ, Japoniâ Indiâ, Perſiâ, Armeniâ, Africâ ad Chriſtianiſmum convertit, ergò non Lutherana ſed Romana Eccleſia eſt vera Eccleſia.* Reſp. *ad majorem*; (1) multa dicuntur de Eccleſia, qvæ tamē nō ſunt veræ Eccleſiæ ſigna; calamitas & perſecutio 2 Tim. 3. v. 12. Apoc. 12. v. 13. Joh. 16 v. 20 anguſtia & paucitas credentiū Luc. 12 v. 32. Eſ. 1. v. 8. Zoph. 3. v. 12. dicuntur de Eccleſia, nec tamen Pontificij admittunt ea eſſe Eccleſiæ ſigna; ergo converſio Gentiū de Eccleſiâ qvoq; poteſt dici, licet nō ſit verūEccleſiæ ſignum. (2) Habemus exempla falſæ Eccleſiæ, qvæ Gentes convertit ad ſuā doctrinā: fecerunt hoc Judæi, Matt. 23 v. 15.

Arriani, Sozom. lib. 6. c. 37. facit hoc Ecclesia Græca in medio Ethnicismo sita, faciet hoc Antichristus, Apoc. 13. v. 7. 8. nec tamẽ Pontificij concedent Judæos, Arrianos, Græcos, Antichristum ideo esse verã Ecclesiã. (3) Vaticiniũ de conversione Gentiũ jã diu impletũ est per Apostolos Mar. 16. v. 20. Act. 1. v. 8. Coloss. 1. v 6. 23. & licet Apostoli nõ in omnibus mundi locis fuissent, rumor tamen Evangelij ab ipsis prædicati in omnẽ terrã exivit Ps. 19. v. 4. 5. Rom. 10 v. 18. *Ad minorẽ:* Conversio Gentiũ facta est ad nostram Religionem (1) Nos profitemur fidẽ Apostolicã, qvi ergo ad illã sunt cõversi, ad nostrã qvoq; fidẽ conversi sunt. (2) Extremis his temporibus qvædã Gentes ad nostrã Religionem sunt conversæ authoritate & promotione Regũ Daniæ & Sveciæ, nempe in Islãdiâ, Grunlandiâ, Groclandiâ, Laplandiâ, qvâ de re prolixè agit Philippus Nicolai de Regno Christi l. 1. c. 1. (3) Cum Jesuitæ in Americâ Gentes convertunt, docendo, Deũ esse unũ essentia, trinũ personis, Filiũ Dei esse incarnatum, pro peccatis nostris passum & mortuũ, proponendo Decalogũ, orationẽ Dominicã, Gentes baptizando &c. ad nostrã fidẽ easdẽ convertunt, & licet fermentũ Papisticũ immisceant, Deus tamen per impurũ ministeriũ operatur sicut olim per Pharisæos operatus est. (4) Mandatũ de abitu in mundũ universũ pertinet ad solos Apostolos Mar. 16 v. 15. Cæteris autẽ Ecclesiæ ministris certæ Ecclesiæ sunt commissæ 1 Pet. 5 v. 2. Act. 20. v. 28. 1. Tim. 1. v. 3. Tit. 1. v. 5. (5) Ipsi Pontificij nõ semper prompti sunt ad hos labores, Wolfius enim Cent. 14. p. 597. recenset Ann. 1301. Basileæ cõgregatos fuisse Monachos

ordinis Prædicatorum circa 570. personas, monebantur illi ut exirent ad populos barbaros, eosq; converterent, nemo tamen ex illis mandato obtemperare volebat. Imò cur Pontifex, Cardinales & cæteri Prælati non exeunt ad barbaros, eosq; convertunt? norunt scil. qvàm malè Monachi emissi ab Indianis & Americanis excepti fuerint, ut testatur Acosta de Procurand. salut. Indorum, & Benzo in Histor. Indiæ. (6) Illegitima sunt media, qvibus utuntur Pontificij in istâ conversione, scil. ignis, gladius, rota, aliaq; horrenda supplicia, â Christo nullibi mandata, qvibus Gentes potius pervertunt, qvàm convertunt. (7) Dum Pontificios qvosdã ad Evangelium convertimus, ab Ethnicismo convertuntur, cum Papatus Ethnicis Idolomanijs scateat, ut supra demonstratum.

761] Tandem monendus est Janssenius de loco Mar. 11. v 26. *Nisi vos remiseritis, Pater vester qvi in cœlis est, qvoq; non remittet.* Qvæ verba Lutherus in Biblijs Germanicis non legit, cum in Græco textu plane non legantur, ut supra n. 416. responsum est. Exemplar vero græci textus ab Erasmo editi & Basileæ 1521. impressi, qvod mihi ad manus est, hunc versum plane nõ habet, qvæ editio eo majoris est authoritatis in Papatu, cum Leonis X. præfatione singulari commendetur. Beza qvoq; in Comment: super hunc locũ non asserit, qvod in omnibus, sed tantùm in plerisq; exemplaribus hunc versiculum invenerit. Pistorius qvoq; fatetur in multis codicibus hunc versũ nõ legi, qva de re Gerhard. agit in Cõplement. Loc. Comm. part 1 p. 580. Unde liqvet Lutherũ hæc verba dolo nõ expunxisse, sed in græcis exemplaribus non invenisse. *Con-*

Conclusio.

762] ET ut tandem concludam, Jansseni, miscellanea qvædam tibi hoc loco probè consideranda relinqvo. In Titulo Scripti tui sarcasticè me vocas *Prædicantem*, uti & communiter nostros Theologos *Prædicantes* appellas; sed qvæso nonne teipsum vocas ordinis *Prædicatorum*? nonne Prædicatores æqvè derivantur â prædicando ac Prædicantes? ita scilicet taxas in alijs, qvod tamen in teipso deprehendis. Aut fortè pudet te, aliosq; monachos verbum Dei prædicare, cujus rei nec ipsum Christum nec Apostolos puduit, qvos Christus jubebat in mundum universum abire, atq; Evangelium prædicare Mar. 16. v. 15. Hac de re audi Schererum Jesuitam magnum Ecclesiæ Romanæ Herculem, qvi Part. 1. Postill: Conc. 1. super 7. post Trinitat. p. 495. ita scribit: Dieser Mühe vnd Arbeit soll sich kein Bischoff lassen verdriessen/ viel weniger soll ein Prælat oder Bischoff dem Volck mit außtheilung der Brodt/ das ist/ mit Predigen vnnd Lehren zu dienen sich schemen/ wie man den solche Bischoffen vnd Geistliche Herrn findet/ die das Predigampt/ welches jhnen eigentlich zugehöret/ für ein schlecht/ vnd an jhrer Hochheit vnd wurden verkleinerliche Sache halten: Warlich die Apostel haben sich/ wie der Brodt außtheilung/ also auch deß Predigampts gar nicht geschämet/ sondern allewege für ein grosse Göttlich vnd Himlische function vnd verrichtung gehalten. Hoc primum est. 763]

763] Vehementer tumultuaris, dictum illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, esse de Petri persona intelligendum, id qvod tecum alij faciunt qvam plurimi. Sed evolve Jus Canonicũ glossatum Distinct: 19. c 7. ita *Dominus*, glossa, *& super hanc Petram*, invenies hanc explicationem: *per hanc dictionem non credo Dominum aliud demonstrasse, qvam hæc verba, qvæ Petrus respondit Domino, cum dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi, super illo articulo fidei fundata est Ecclesia, ergo super seipso Deus fundavit Ecclesiam.* Audin qvid Pontifex in glossa dicat, non super Petri personam sed super confessionem de Christo Ecclesiam esse fundatam. Neq; in dubium potes vocare Corporis glossati authoritatem, cum in titulo hæc ibidem legantur verba:

Moribus instruit hoc: vivendi & dogmata sancta,
Edocet, & tutam monstrat ad astra viam.

Et in altera facie: *Humani non est pectoris ille liber.* Cur ergo contra Pontificem tuum disputas?

764] Pontificem esse Antichristum supra negare adnixus es, addens rationem, qvia supra Deum sese non elevet, nec Deum sese esse adfirmet, nihil divini sibi arroget. Sed evolve Corpus Glossatum lib. 1. Decretal. Gregorij titulo 7. de Translatione Episcopi, c. 3. *Qvanto Personam*: in verbo *Veri Dei vicem*, deprehendes seqventia: *Papa naturam rerum immutat substantialia unius rei alteri applicando, de nihilo potest aliqvid facere, in his qvæ vult ei est pro ratione voluntas, potest supra jus dispensare de injustitiâ potest facere justitiam, corrigendo jura & mutando.* Qværo Jansseni, nonne Divinæ est omnipoten-

potentiæ & Majeſtatis, *ex nihilo aliqvid facere, naturam rerum immutare, voluntatem pro ratione faciendorum habere?* Si Papa ex nihilo aliqvid poteſt facere, cur non novos creat mundos? ſi rerum ſubſtantias poteſt immutare, cur lapides non transmutat in aurum vel argentum? *Papa nec Deus eſt, nec homo, qvaſi neuter eſt inter utrumq;.* legit Gloſſa in prooemio Clementin. in verbo *Papa.*

765] Lutherum ſupra accuſabas, qvod artes ingenuas abolere voluerit: feſtina lentè Janſſeni: qvid fecerunt Paterculi Concilij Tridentini, nonne canonizarunt latinam Bibliorum verſionem, qvæ vitijs grammaticis ſupra modum ſcatet? Sagittas *ardentibus*, pro *ardentes*, Pſal 7. v. 15. Pſal. 51. v. 7. Deus *emigrabit te*, pro *eijciet te*. Pſal. 59. v. 8. *Partibor & metibor*, pro *partiar* & *metiar*. Pſal 76. v. 7. *Scopebam Spiritum meum*, pro *probabam*. Pſal. 77. v. 71. *De poſt fœtantes* accepit eum. Mar 8. v. 38. Qvi me *confuſus* pro *confeſſus fuerit*, illum Filius hominis *confundetur* pro *confitebitur*. Philip. 1. v. 1. *Diaconibus* pro *Diaconis*. Num hæc barbaries digna canone Pontificis? ergòne anathemate ſunt feriendi, qvi hanc barbariem non amplectuntur, qvaſi verò ignorantia Grammatices deceat Theologos!

766] Tumultuaris lectionem Bibliorum in Papatu non prohiberi. Evolve Caſtigat. Indicem librorum prohibitorum, invenies Decretum Clementis octavi, qvo annihilavit ea, qvæ olim Pius Qvartus conceſſerat; ita enim ſe habent verba ſuper Pij IV. regulam qvartam. *Animadvertendum eſt, circa ſupra ſcriptam regulam qvar-*

tam felicis recordationis Pij Papæ IV. nullam per hanc impressionem & editionem de novo tribui facultatem Episcopis vel inqvisitoribus, aut Regularium superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingvâ edita, cùm hactenus mandato & usu S. Romanæ & Universalis Inqvisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam Novi qvàm Veteris Testamenti partes quavis vulgari lingvâ editas, ac insuper summaria, & compendia etiam historica eorundem Bibliorum seu librorum S. Scripturæ, qvocunq; vulgari idiomate conscripta, qvod qvidem inviolatè servandum est. Ito nunc & dicito lectionem Bibliorum in Papatu prohibitam non esse.

767] Pro cœlibatu Clericorum tanqvam pro aris & focis pugnas; sed heus, evolve Distinctionem 81. in Decreti parte primâ cap. 24. audies Pontificem loqventem: *volumus ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, exceptâ duntaxat matre, soror, vel uxore, quæ castè regenda est.* Arrige aures Jansseni, hic Pontifex sancit, ut Clerici habeant *Uxorem*; cur tu igitur pugnas Clericos non debere esse uxoratos? Glossa hunc locum excusat, *eum loqvi secundum antiqva tempora* sed num ideo minus rectè loqvitur? ergo fatetur Glossa antiqvis temporibus Clericos suas habuisse uxores. Aut igitur Papa erravit in hac distinctione (sic utiq; errare potest) aut malè, & qvidem contra Decretum Papæ hodie Clerici à conjugio avocantur. Elige Jansseni utrum velis.

768] Qvid sentis Jansseni de vero usu & fine

Sacræ

Sacræ Cœnæ? Christus eqvidem hanc instituit in sui commemorationem, sed in Papatu longè alio fine usurpatur; Qvi accusantur de aliqvo crimine innocentiam suam declarant usu cœnæ Dominicæ. Pontifex in Decret. parte secundâ, Causa 2. qvæst. 5. cap. 26. ita præcipit: *Si Episcopo, aut Presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, pro singulis Missam celebrare debet & communicare, & de singulis sibi imputatis innocentē se ostendere. Qvod si non fecerit, qvinqvennio â liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur.* Gregorius Septimus Papa Imperatorem Heinricum IV. suspectum multorum criminū probavit communicatione Cœnæ, & ejus innocentiā publicè declaravit, Zwingerus in Theatro p. 183. Nicolaus Pontifex Lotharium Lotharingiæ Regem adulterij accusatum probavit porrectione Eucharistiæ, qvâ sumptâ Rex domum abiens mortuus est, erat enim reus criminis Zwinger. p. 1355. Sic Frater Bernhardus ordinis prædicatorum hostiam & calicem Eucharistiæ veneno infecit, Cæsaremq; Heinricum Lucelburgensem interemit, Idem p. 506. Qvid sentis Jansseni? num isti Pontifices & Monachi vero usu & fine Cœnam administrarint? qvomodo putas ex Christi institutione, & Pauli ad Corinthios repetitione hæc probari posse?

769] Qvid sentis, Jansseni, de Bellarmino scribente lib. 4. de Eucharistiâ cap. 27. *potest tolli panis, si detur calix.* Per viscera misericordiæ Dei rogo te, Jansseni, ubi Christus, ubi Apostoli docent, panem posse tolli in Cœnâ? qvinam ex Patribus

docent calicem sufficere, & panem tolli posse? ita corpus Christi erit ex calice bibendum, sicut vestris Laicis sangvinem Christi cum pane porrigitis edendum. Si panis in Cœna potest tolli, modo detur calix, cur non primus articulus Symboli Apostolici potest tolli, si datur secundus & tertius? cur non Spiritus Sancti nomen in Baptismo tolli potest, si datur Pater & Filius? Qvis sanæ mentis credat Christo lusum hunc & contemptum institutionis suæ placere posse?

770] Evolve, Jansseni, Metteranũ, deprehendes lib. 8. p. 385. seq. historiam de Fratre Cornelio, Monacho, is An. 1578. Brugis pro concione persvasit formosis virginibus & mulierib9, ut sese toto corpore nudarent, & ferulas adferrent, atq; ab isto monacho (petulco hirco) se lenissimè percuti paterentur, qvod ipsum multæ fœminæ fecerunt, qvibus Frater iste Cornelius persvasit, qvod in hac spontaneâ corporis nudatione tanqvã signo humilitatis bona pars pœnitentiæ consisteret. Jansseni, qvid tu sentis de hac pœnitentia? de hac castitate Monachorum? Obtestor te per æternam veritatem, expone tuam sententiam. Adde castitatẽ Æneæ Sylvij, qvi postea Papa factus, Paulus II. dictus fuit, is in Epistolâ 15. farraginis Epistolarum scribit ad genitorem suum; *scis qvalis tu gallus fueris, at nec ego castratus sum, neq; ex frigidorum numero.* Addit rationẽ, qvia Argentinæ mulierem Britannicam compresserat, & sobolẽ ex eâ susceperat. Plura lege Epist. 23. & 113. ibi de castitate Sylvij mira invenies, qvæ pudor recensere prohibet. Qvæso cõfer ista cum castitate illâ decantatâ Cleri papalis.

771]

771]Bellarm. lib. 3. c. 16. de Ecclesiâ Triumphante scribit; *apud nos non est certum, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit, Ecclesia enim utramq; opinionem permittit.* Ergo fides vestra hac de re est incerta, ergo Ecclesia vestra duas contradictorias credit esse veras, qvia utrasq; permittit; & qvia Ecclesia Romana non errat, seqvitur, utramq; opinionem esse veram, si enim non esset utraq; vera, Ecclesia certè posset errare: qvid tibi videtur, Jansseni, de hoc Oraculo?

772]Bellarm. lib. 3. c. 21. de Roman. Pontif. scribit: *Pontifices nec vera nec falsa ulla miracula fecerunt neq; hoc seculo, neq; superiore.* Jansseni, qvid hoc est? nonne Petro succedit Pontifex? at Petrus miracula facere potuit? nonne est Caput Ecclesiæ Romanæ, qvæ miraculorũ gloriâ claret? nonne Pontifex potest ex nihilo aliqvid facere, & naturã rerũ immutare? ut supra citatum est. Pontifex aut non potest, aut non vult miracula facere; si non potest, qvi fit qvod Caput Romanæ Ecclesiæ nõ habeat eam potestatem, qvã membra qvædã utpote monachi habent? num caput erit deterioris conditionis membris cæteris? si non vult miracula facere, qvæ posset, certè iniqvus est erga Ecclesiam, qvam miraculis posset juvare, defendere, illustrare, qvod non facit.

773]De hisce omnibus, uti & de totâ hac responsione tuum, Jansseni, judicium mecum communicato; non privatim, qvod enim publicè incepisti, publicè ad finẽ perducatur: non particulatim hoc vel illud arripiendo & exagitando, sed totum Opusculum assumendo & refutando, nõ confusè

cœlum

cœlum terrâ miſcendo, ſed logicè & diſtinctè; non Patres crepando, ſed Patrem Patrum, Antiqvum illum dierum in Scripturis loqventem producendo, non calide & cholericè tumultuando, ſed manſvetè & modeſtè agendo: non ſubdolè & contra conſcientiam dicta & ſcripta pervertendo, ſed candidè fide theologicâ mecum agendo. Altiſſimus tui miſereatur, oculos mentis tuæ luce ſupernâ illuſtret & ad veritatem cœleſtem te perducat. Tu verò ne ponas obicem Spiritui Sancto, ne reclames veritati, durũ namq; tibi erit contra ſtimulũ calcitrare. Non traditiones, non Patres nõ Concilia, non Decreta Pontificum in extremo die te juvabunt aut judicabunt, ſed verbum, qvod Chriſtus locutus eſt. Vale & reſipiſce. CHRISTO JESU autem DEI & Mariæ Filio Mediatori noſtro unico ſit Laus Honor & Virtus in ſecula ſeculorum Amen.

Index Primus.

Capitum in Utrâq; Parte contentorum.

PARTIS PRIMÆ

Caput Primum.
De tenebris Papatus & in specie de Theologiâ Scholasticâ â p. 4. ad p. 46.
Caput Secundum.
De contemptu Scripturæ Papistico â p. 47. ad. p. 75.
Caput Tertium.
De Sanctorum Patrum authoritate â p. 75. ad p. 90.
Caput Qvartum.
De Conciliorum authoritate â p. 90. ad p. 108.
Caput Qvintum.
De Traditionibus Ecclesiasticis â p. 108. ad p. 123,
Caput Sextum.
De contemptu meriti Christi in Papatu â p. 124. ad p. 154.
Caput Septimum.
De miserrimo morientium in Papatu Solatio â p. 155. ad p. 179.
Caput Octavum.
De communione Pontificiæ Religionis cum Ethnicismo â p. 179. ad p. 190.

Caput

Caput Nonum.
De Contemptu Magiſtratus Papiſtico
á p. 191. ad p. 213.
Caput Decimum.
De Fraudibus & dolis Pontificiorum
á p. 213. ad p. 270.
Caput Undecimum.
De Primatu Pontificis Romani á p. 270. ad p. 318.
Caput Duodecimum.
De Auguſtana Confeſsione, ejusdemq́; fundamento *á p. 318. ad p. 347.*
Caput Decimum tertium.
De Medijs propagandi Religionem & de Hiſpanicá Inqviſitione in ſpecie *á p. 347. ad p. 383.*
Caput Decimum qvartum.
De Perſona, authoritate & laboribus beati Lutheri, *á p. 383. ad p. 439.*
Caput Decimum qvintum.
De Nomine Eccleſiæ Catholicæ *á p. 440. ad p. 454.*
Caput Decimum ſextum.
De Antiqvitate & amplitudine Eccleſiæ
á p. 455. ad p. 466.
Caput Decimum ſeptimum.
De Miraculis *á p. 466. ad p. 479.*
Caput Decimum octavum
De Principibus & Felicitate temporali Eccleſiæ Papiſticæ *á p. 480. ad p. 483.*

Caput

Caput Decimum nonum.

De Peccandi licentiâ â p. 483. ad p. 493.

Caput Vigesimum.

De Ordinatione Ministrorum in Ecclesiâ Lutheranâ â p. 493. ad p. 503.

Caput Vigesimum primum.

De Legendis Sanctorum â p. 503. ad. p. 515.

Caput Vigesimum secundum.

De Salute Majorum in Papatu â p. 516. ad p. 544.

PARTIS SECUNDÆ.

Caput Primum.

De Traditionibus â p. 553. ad p. 560.

Caput Secundum.

De primatu Petri & Pontificis Romani â p. 560. ad p. 581.

Caput Tertium.

De Judice Controversiarum â p. 581. ad p. 587.

Caput Qvartum.

De Antichristo â p. 588. ad. p. 595.

Caput Qvintum.

De Fidei unitate â p. 595. ad p. 597.

Caput Sextum.

De Ecclesiæ visibilitate â p. 597. ad p. 603.

Caput Septimum.

De Ecclesiæ Infallibilitate â p. 603. ad p. 610.

Caput

Caput Octavum.
De Legibus Ecclesiæ Conscientiam obligantibus â p. 610. ad p. 612.
Caput Nonum.
De Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis â p. 613. ad p. 621.
Caput Decimum.
De Legis Impletione â p. 622. ad p. 625.
Caput Undecimum.
De Consilijs Evangelicis â p. 626. ad p. 636.
Caput Duodecimum.
De Sacramentis â p. 636. ad p. 642.
Caput Decimum tertium.
De Baptismo infantium â p. 642. ad p. 644.
Caput Decimum qvartum.
De Fide Infantium â p. 644. ad. p. 649.
Caput Decimum qvintum.
De Præsentiâ Corporis & Sangvinis Christi in Cœnâ, â p. 650. ad p. 655.
Caput Decimum sextum.
De Utraq; Specie in Cœnâ Dominicâ, â p. 655. ad p. 670.
Caput Decimum septimum.
De Sacrificio Missæ, â p. 670. ad p. 679.
Caput Decimum octavum
De Purgatorio, â p. 679. ad p. 690.
Caput Decimum nonum.
De Sanctorum Invocatione, â p. 690. ad p. 707.

Caput

Caput Vigeſimum.

De Reliqvijs Sanctorum, â p. 707. ad p. 709.

Caput Vigeſimum primum.

De Imaginibus Sanctorum honorandis & colendis, â p. 709. ad p. 719.

Caput Vigeſimum ſecundum.

De Fide juſtificante, â p. 719, ad. p. 722.

Caput Vigeſimum tertium.

De Libero Arbitrio, â p. 722. ad p. 726.

Caput Vigeſimum qvartum.

De merito bonorum operum, â p. 726. ad p. 728.

Caput Vigeſimum qvintum.

De Jejunijs, â p. 729. ad p. 735.

Caput Vigeſimum ſextum.

De Indulgentijs, â p. 735. ad p. 745.

Caput Vigeſimum ſeptimum.

De Ceremonijs & Conſecrationibus, â p. 745. ad p. 751.

Caput Ultimum.

De Proceſſionibus & Peregrinationibus, p. 751. ſeqq.

Index Secundus

Dictorum Scripturæ expositorum, & ab Adversariorum corruptionibus vindicatorum.

Notet Lector, literam n. non numerum paginarum sed paragraphorum seu sectionum denotare.

Genesis.

Cap. 3. v. 15. *Ipse conteret caput serpentis &c.* n. 141

Cap. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus tuus &c.* n. 720.

Cap. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem proferens panem &c.* n. 666. seq.

Cap. 17. v. 1. *Ambula coram me &c.* n. 621.

Cap. 48. v. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis &c.* n. 694.

Exodus.

Cap. 3. v. 5. *Locus in quo stas, terra Sancta est.* n. 712.

Cap. 12. v. 16. *Dies Prima erit Sancta atq; Solennis &c.* n. 712.

C. 25. v. 18. seq. *Imagines Cherubinorum &c.* n. 242.

Cap. 32. v. 26. *Si quis est Domini jungatur mihi.* n. 514.

C. 32. v. 27. seq. *Occidat unusquisq; fratrem &c.* n. 366

Leviticus.

C. 8. v. 16. seq. *Moses obtulit holocaustum &c.* n. 618

Nume-

Numeri.

C.19 v.17.seq.*Tollent de cineribus combustionis &c.* n.751.
Cap.20.v.1.*Venerunt filij Israel & omnis multitudo &c.* n.591.
C.21.v.8.seq.*Fac serpentem æneum &c.* n.709.
C.25.v.7.seq.*Phinees perfodit scortum &c.* n.368.

Deuteronom.

Cap.5.v.5.*Ego seqvester & medius fui &c.* n 143.
Cap.13.v.15.*Propheta aut fictor somniorum interficietur &c.* n.372.
Cap.16.v.16.*Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum &c.* n 758.
Cap.17.v.11.*Si qvis superbierit nolens obedire Sacerdoti &c.* n.359.
C.30.v.11.seq.*Mandatum qvod ego præcipio &c.* n.623.
C.30.v.15.19.*Considera qvod hodie proposuerim vitam & bonum &c.* n.723.

Lib. Josuæ.

Cap.7.v.6.*Iosua cecidit in terram coram arca Domini &c.* n.711.
Cap.11.v.15.*Sicut præceperat Dominus Mosi &c.* n.622.

Lib. 1. Sam.

Cap.9.v.19.*Omnia qvæ sunt in corde tuo indicabo tibi.* n.691.
Cap.28.v.11.*Samuelem mihi suscita &c.* n.253.

Lib. I. Regum.

C. 2. v.26. seq. *Abjathar quoq; Sacerdoti dixit Rex &c.* n 619.
Cap.4. v. 33. *Salomo locutus est ter mille sententias &c.* n.94.
Cap. 8. v. 14. *Convertit Rex faciem suam & benedixit Ecclesiæ Israel &c.* n. 591.
Cap. II. v.4.6. *Davidis cor fuit perfectum cum Domino.* n. 622.
Cap. 28. v. 40. *Elias interfecit Prophetas Baal &c.* n. 367.

Lib. 2. Regum.

C.2. v. 19. seq. *Afferte mihi vas novum & mittite in illud sal &c.* n. 752.
C.5. v. 10. seq. *Vade & lavare septies in Jordane &c.* n. 753.
Cap. 6. v. 12. *Elisæus Propheta qui est in Israel, indicat Regi.* n. 691.
C.13. v. 21. seq. *Projecerunt cadaver in sepulchrum Elisei &c.* n. 261. & 703.
Cap. 20. v. 3. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim &c.* n. 622.
Cap. 23. v. 18. *Intacta manserunt ossa illius &c.* n. 261. & 703.

Lib. 2. Paralipom.

Cap. 6. v 16. 17. *Nunc ergo Domine Deus Israel imple servo tuo &c.* n. 696.
C. 21. v. 12. seq. *Allatæ sunt autem ei literæ ab Eliâ &c.* n. 692.

Liber

Liber Tobiæ.

Cap. 12. v. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino &c.* n. 690.

Liber Jobi.

Cap. 1. v. 1. *Job erat vir simplex & rectus &c.* n. 622
Cap. 5. v. 1. *Vocasi est qvi tibi respondeat &c.* n. 695
Cap. 6. v. 2. 3. *Utinam appenderentur peccata mea, qvibus iram &c.* n. 742.

Psalmi.

Psal. 66. v. 5. *Deus est mirabilis operibus &c.* n. 152.
Psal. 68. v. 36. *Mirabilis Deus in Sanctis suis* n. 742.
Psal. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.* n. 690.
Psal. 99. v. 5. *Adorate scabellum &c.* n. 242.
Psal. 99. v. 6. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus* n. 618.
Psal. 101. v. 8. *In matutino interficiebam peccatores terræ &c.* n. 369.
Psal. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum &c.* n. 666 seqq.
Psal 118. v. 27. *Constituite diem solennem in condensis &c.* n. 759.
Psal. 119. v. 105 *Lucerna pedi meo verbum tuum &c.* n. 351.
Psal. 131. v. 10. *Propter David servum tuum &c.* n. 696.

Proverb. Salomon.

Cap. 16. v. 6. *Misericordiâ & veritate redimitur iniqvitas.* n. 169.
Cap. 19. v. 25. *Flagellato pestilente &c.* n. 360.

Cap.29. v. 15. *Virga & correptio tribuunt sapientiam &c.* n. 360.

Ecclesiastes.

Cap. 9. v. 1. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit,* n. 177.

Siracides.

Cap. 5. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu* n. 178.

C.15.v.14.seq. *Deus ab initio constituit hominem, & reliqvit illum in manu Consilij sui &c.* n. 721.

C.15.v.16.seq. *Si volueris mãdata servare &c.* n. 623.

Cap. 18. v. 22. *Non expectes usq; ad mortem justificari.* n. 165.

Cap. 31. v. 10. *Qvi potuit transgredi & non est transgressus &.* ñ. 722.

Esaias.

Cap. 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons &c.* n. 592.

Cap. 28. v. 19. *Vexatio dat intellectum &c,* n. 360.

C.49. v. 7. & 23. *Hæc dicit Dominus ad servum Dominorum, Reges videbunt &c.* n. 229. seq.

Cap. 59. v. 21. *Spiritus meus qvi est in te, & verba mea &.* n. 602.

C.60. v. 1. 2, 11. *Surge illuminare Jerusalem &c.* n. 6.

Cap. 63. v. 16. *Abraham nescivit nos & Israel ignoravit nos &c.* n. 700.

Jeremias.

Cap. 31. v. 16. *Est merces operi tuo, ait Dominus.* n. 726.

Cap.

C. 35. v. 6. seq. *Non bibemus vinum, qvia Jonadab filius Rechab Pater noster præcepit nobis &c.* n. 734.

Baruch.

Cap. 3. v. 4. *Audi orationem mortuorum Israel &c* n. 697.

Daniel.

Cap. 3. v. 35. 36. *Neq; auferas misericordiã tuam â nobis propter Abraham &c.* n. 696.
Cap. 4. v. 24 *Redime peccata &c.* n. 168.
Cap. 7. v. 25. *Tradentur in manu ejus usq; ad tempus &c.* n 582.
Cap. 11. v. 31. *Auferent juge sacrificium.* n. 44.
Cap. 11. v. 37. *Deum Patrum suorum non reputabit &c.* n. 586.
Cap. 11. v. 38. *Deũ Mausim venerabitur &c.* n. 49. 50.

Oseas.

Cap. 2. v. 19. *Desponsabo te mihi fide &c.* n. 606.

Zacharias.

Cap. 1. v. 12. *Domine exercituum usqveqvo tu non misereberis &c.* n. 690.
Cap. 8. v. 3. *Jerusalem vocabitur civitas veritatis, mons Domini &c.* n. 592.
Cap. 13. v. 3. *Et erit, cũ Prophetaverit qvispiã, dicent ei pater & mater ejus &c.* n 370

Malachias.

Cap. 1. v. 10. 11. *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus &c.* n. 668.

Machabaeorum Lib. Secund.

C. 12. v. 43. 44. seq. *Et factâ collatione duodecim millia &c.* n. 674.

Cap. 15. v. 12. seq. *Oniam qui fuerat summus Sacerdos &c.* n. 684.

Matthaeus.

Cap. 5 v. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita* n. 592.

Cap. 6. v. 9. *Pater noster qui es in cœlis* n. 415.

Cap. 7. v. 20. *Ex fructibus illorum agnoscetis eos &c.* n. 482.

C. 9. v. 20. seq. *Tetigit fimbriam vestimenti ejus &c.* n. 703.

Cap. 11. v. 5. *Cœci vident, claudi ambulant &c.* n. 465.

Cap. 11. v. 13. *Jugum meum suave &c.* n. 193.

Cap. 12. v. 32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis &c.* n. 675.

C. 13. v. 28. 29. 30. *Domine vis eamus & colligamus zizania &c.* n. 378.

Cap. 16. v. 18: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c,* n. 556. seq. & 763.

Cap. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni &c.* n. 552.

Cap. 16. v. 24. *Qui vult venire post me &c.* n. 625.

Cap. 17. v. 27. *Dominus jussit tributum solvere &c.* n. 551

Cap. 18. v. 2. 3. *Quis est major in regno cælorum &c.* n. 294 seqq.

Cap. 18. v. 3. *Nisi conversi fueritis sicut parvuli &c.* n. 349.

Cap.

Cap.18. v. 17. *Si Ecclesiam non audiverit &c.* n.572.
Cap.18. v.17. *Dic Ecclesiæ.* n.591.
Cap.18. v. 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt &c.* n.102.
C.19. v.11. 12. *Qvidam Eunuchi seipsos castrant &c.* n.628.
Cap.19. v.21. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia &c.* n.421. seq. & 626.
Cap.23. v.37. *Jerusalem, Jerusalem qvoties volui congregare &c.* n.724.
Cap.26. v.26. *Hoc est corpus meum &c.* n.645.
Cap.26. v.27. *Bibite ex hoc omnes.* n.71. & 662.
Cap.26. v.70. *Petrus abnegat Christum &c.* n.313.
Cap.28. v.20. *Ecce ego vobiscum sum &c.* n.105.

Marcus.

C.7. v. 33. seq. *Expuens tetigit lingvam ejus &c.* n.754.
Cap.11. v.26. *Nisi vos remiseritis, Pater vester &c.* n 416. & 761.
Cap. 14. v. 23. *Et biberunt ex illo omnes.* n.662.

Lucas.

Cap. 1. v. 6. *Erant justi ambo &c.* n. 622.
Cap. 1. v. 13. *Ne timeas Zacharia, qvoniam exaudita est &c.* n.690.
Cap. 1. v. 28. *Ave gratia plena &c.* n.416.
C.2. v.41. seq. *Cum factus esset annorum duodecim.* n.758.

C.9.v.54.55.56. *Domine vis dicamus, ut ignis de cœlo descendat &c.* n.377.
Cap.10.v.16. *Qui vos audit, me audit.* n.108.
Cap.11.v.41. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda &c.* n.742.
C.16.v.27.seq. *Rogo te Pater, ut mittas &c.* n.685.
Cap.22.v.19. *Hoc facite in mei commemorationem.* n.669.
Cap.22.v.20. *Hic calix novum Testamentum est &c.* n.648.
Cap.22.v.32. *Rogavi pro te, ne fides tua deficeret &c.* n.107. & 309.
Cap.24.v.30. *Christus accepit panem & fregit &c.* n.654.

Johannes.

Cap. 2. v. 15. *Christus fecit quasi flagellum de funiculis &c.* n.373.
Cap. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas &c.* n.353.
Cap. 5. v.43. *Si alius venerit in nomine suo &c.* n.579. & 585.
C.6.v.48 seq. *Ego sum panis vitæ &c.* n.653.
Cap.10. v 41. *Johannes non fecit miracula,* n.466.
Cap. 14. v. 16. *Spiritus Sanctus manebit vobiscum in æternum.* n.89.
Cap.14.v.23. *Qui credit in me, opera quæ ego &c.* n.245.
Cap.16.v.12. *Multa habeo vobis dicere &c.* n.542.
Cap.16.v.13. *Spiritus veritatis docebit vos &c.* n.103
Cap.21.v.16 *Pasce oves meas &c.* n.550.
Cap.21.v.25. *Sunt & alia, quæ fecit Jesus &c.* n.542.

Acta

Acta Apostolorum.

Cap. 1. v. 3. *Per Dies 40. apparens ijs & loqvens &c.* n. 543.

C. 1. v. 15. seq. *In diebus illis exsurgens Petrus in medio &c.* n. 553.

Cap. 2. v. 42. *Erant perseverantes in fractione panis &c.* n. 655.

Cap. 4. v. 32. *Nemo aliqvid suum esse dicebat &c.* n 627.

Cap. 5. v. 3. seq. *Cur tentavit Satanas cor tuum &c.* n. 691.

C. 5. v. 3. 4. seq. *Ananias audiens verba Petri &c.* n. 371.

Cap. 5. v. 15. *Ut veniente Petro saltem umbra illius &c.* n. 262.

Cap. 8. v. 27. *Venerat adorare in Jerusalē &c.* n. 758.

Cap. 10. v. 14. *Nunqvam manducavi commune &c.* n. 314.

Cap. 10. v. 48. *Jussit eos baptizari in nomine Jesu &c.* n. 77.

Cap. 13. v. 2. *Ministrantibus illis Domino &c.* n. 670

Cap. 13. v. 11. *Ecce manus Domini super te & eris cæcus &c.* n. 374.

Cap. 14. v. 9. *Intuitus eum & videns, qvia fidem haberet &c.* n. 691.

Cap. 15. v. 7. *Surgens Petrus dixit &c.* n. 553.

Cap. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis &c.* n. 104.

Cap. 18. v. 18. *Paulus habebat votum &c.* n. 659.

C. 19. v. 2. seq. *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes &c.* n. 639.

C.19. v.11.seq. *Super languidos â corpore ejus sudaria &c.* n. 262.
Cap. 19. v. 19. *Combusserunt libros &c.* n. 237.
Cap. 20. v. 16. *Paulus festinabat ad diem Pentecostes &c.* n. 758.
Cap. 21. v. 24. *Sunt nobis Viri qvatuor votum habentes &c.* n. 659.
Cap. 23. v. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate &c.* n. 374.

Epistola Pauli ad Romanos.

Cap. 2. v. 6. *Deus reddet unicuiq; secundum opera &c.* n. 726. seq.
Cap. 3. v. 4. *Omnis homo mendax.* n. 86.
Cap. 3. v. 28. *Justificamur solâ fide.* n. 416.
Cap. 8. v. 13. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis &c.* n. 159.
Cap. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam &c.* n. 160
Cap. 11. v. 6. *Si autem ex gratiâ, jam non ex operibus &c.* n. 170.
Cap. 13. v. 4. *Magistratus non gerit gladium &c.* n. 358.

Epistola prima ad Corinthios.

Cap. 3. v. 8. *Unusqvisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* n. 726. seq.
C. 3. v. 12. seq. *Si qvis ædificat super fundamentum &c.* n. 676.
Cap. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non &c.* n. 179.
Cap. 7. v. 25. *De virginibus præceptum non habeo &c.* n. 629.

Cap. 9. v. 5. *Num habemus potestatem mulierem, &c.* n.417.
Cap. 9. v, 22. *Ut salvem aliqvos.* n.152.
Cap. 11. v. 2. *Laudo vos fratres, qvod per omnia mei memores &c.* n.544.
C.11 v.23.seq. *Ego accepi à Domino, qvod & tradidi vobis &c.* n.664.
Cap. 11.v.25. *Hoc facite, qvotiescunq; biberitis &c.* n.656.
Cap.11. v. 27. *Qvi indignè manducat hunc panem, &c.* n. 657.
Cap. 12. v. 9. *Alteri fides in eodē Spiritu &c.* n.644.
Cap.13.v.2.3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* n.717.
Cap. 15.v.29. *Qvid facient, qvi baptizantur &c.* n.678.
Cap. 15. v. 58. *In bono opere Domini abundantes.* n.168.
Cap.15. v.ult. *Labor vester non est inanis in Domino* n.726. seqq.

Epistola Secunda ad Corinthios.

Cap. 4. v. 17. *Momentaneum & leve tribulationis &c.* n.158.
Cap.7. v. 10. *Tristitia qvæ secundum Deum est &c.* n.157.

Epistola Pauli ad Galatas.

Cap. 2. v. 14 *Dixi Cephæ coram omnibus &c.* n. 315. seq.

Epistola Pauli ad Ephesios.

Cap. 1. v. 22. *Et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam &c.* n.606. & 688.

Cap

Cap. 4. v. 11. *Christus dedit Apostolos, Prophetas &c.* n. 290. seq.
Cap. 4. v. 15. *Christus est Caput &c.* n. 606.
Cap. 5. v. 13. *Quoniam vir Caput est mulieris &c.* n. 606.

Epistola Pauli ad Philippenses.

Cap. 2. v. 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur &c* n. 677.
Cap. 2. v. 12. *Cum metu & tremore Salutem &c.* n. 156. & 180.
Cap. 4. v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* n. 140.

Epistola Pauli ad Colossenses.

Cap. 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi &c.* n. 741.
Cap. 3. v. 24. *A Domino accipietis retributionem hæreditatis.* n. 726. seq.
Cap. 4. v. 16. *Cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite ut Laodicensium Ecclesia &c.* n. 94.

Prima ad Thessalonicenses.

Cap. 2. v. 19. *Quæ est nostra spes aut gaudium &c.* n. 144.

Secunda ad Thessalonicenses.

Cap. 2. v. 3. 4. *Homo peccati adversatur & extollitur &c.* n. 580. & 586.
Cap. 2. v. 9. *Adventus Antichristi erit ex efficacitate &c.* n. 464.
Cap. 2. v. 15. *State fratres & tenete &c.* n. 125. & 545.

Prior

Prior ad Timotheum.

Cap. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi columna & firmamentum &c.* n.106.
Cap. 4. v. 14. *Cum impositione manuum Presbyterij.* n. 489.
Cap. 4. v. 1. seq. *In novissimis temporibus discedent qvidam &c.* n. 736.
Cap. 5. v. 11. 12. *Adolescentiores viduas devita &c.* n 630.
Cap. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi.* n. 546.

Posterior ad Timotheum.

Cap. 1. v. 13. 14. *Formam habe sanorum &c.* n. 546.
Cap. 2. v. 2. *Qvæ audivisti a me per multos testes &c.* n. 547.
Cap 3 v. 16. *A pueritiâ sacras literas &c.* n. 353.
Cap. 3. v. 17. *Omnis Scriptura divinitus inspirata &c.* n. 134.
Cap. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ &c.* n. 726. seq.

Ad Hebræos.

Cap. 2. v. 9. *Videmus Jesum propter passionem &c.* n. 22.
Cap. 11. v. 21. *Adoravit fastigium virgæ ejus.* n. 710.
Cap. 13. v. 10. *Habemus altare.* n. 671.
Cap. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris &c.* n. 108. & 611.

Epistola Jacobi.

Cap. 1. v. 12. *Accipiet coronam vitæ.* n. 726. seq.
Cap. 1. v. 25. *Non auditor obliviosus sed factor &c.* n. 161.

Cap.

C. 2. v. 24. 26. *Videtis qvomodo ex operibus &c.* n. 162.

Epist. prior Petri.

Cap. 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, qvæ est in Babylone.* n. 569.

Epist. posterior Petri.

Cap. 1. v. 10. *Satagite fratres ut per bona opera &c.* n. 417.

Cap. 1. v. 15. *Dabo operam & freqventer habere vos &c.* n. 689.

Epist. prima Johannis.

Cap. 2. v. 22. *Qvi negat, qvoniam Jesus non est Christus.* n. 586.

Cap. 4. v. 1. *Probate Spiritus.* n. 577.

Cap. 5. v. 3. *Mandata mea non sunt gravia.* n. 193.

Epist. secunda Johannis.

v. 12. *Multa habeo vobis scribere &c* n. 548.

Epist. Tertia Johannis.

v. 13. *Multa habeo vobis scribere &c.* n. 548.

Apocalypsis Johannis.

Cap. 5. v. 8. *Phialas aureas plenas odoramentorum &c.* n. 686.

Cap. 6. v. 10. *Usqveqvo Domine (sanctus & verus) non judicas &c.* n. 687.

Cap. 8. v. 3. *Data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum &c.* n. 686

Cap. 8. v. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum &c.* n. 690.

Cap.

C.11.v.2.3.seq. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabũt diebus mille ducentis &c.* n.462
Cap. 11. v. 8. *Sodoma & Ægyptus ubi & Dominus eorum crucifixus est.* n.584.
Cap. 12. v.14. *Alitur per tempus & tempora &c.* n.582.
Cap. 13. v.16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos & divites & pauperes, & liberos &c.* n 583.
Cap. 19. v. 10. *Vide ne feceris, conservus tuus sum &c.* n.698.
Cap. 21. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenmenta duodecim, & in ipsis &c.* n. 145
Cap. 22. v. 9. *Vide ne feceris, conservus tuus sum &c.* n.698.
Cap. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* n.164

Index Tertius Rerum & verborum.

Numerus non significat paginas, sed Sectiones.

A.

Aaron vitulo erravit, 310.
Abraham quomodo justicatus, 162.
Aerianorum hæresis, 427.
Æquivocationes probantur à Pontificijs, 270.
Æquivocationum Pontif. exempla, 271.
Ambrosius corruptus à Pontificijs, 240.
Anabaptistarum errores, 536.
Antichristi nota 325, *in Pontifice inveniuntur,* 326.

Antichristus an una persona, 579. seq. ejus sedes, 584.
Antiqvitas an nota Ecclesiæ, 453.
Antiqvitas vera qvænam, 454.
Adoratio imaginum, 242.
Angeli nolunt adorari, 698.
Anima Samuelis an post mortem redierit, 253.254.
Animarum Somnus, 682.
Apparitiones animarum fictæ, 251.
Aqva consecrata, 751. seq.
Arrianorum hæresis, 429.
Articuli fidei an ex ratione probandi, 301.
Augustana Confessio ex Scripturis non potest refutari, 67. Scripturis innititur, 333. 339. â Melanchtone est mutata, 334, verum illius exemplar, 336. non est imperfecta, 337. 338. non favet Pontificiis, 340. 344.
Augustinus de Petro & petra, 559.

B.

Babylon notat Romam, 569.
Balthasar Meisnerus non insanit, 531. Scripta ipsius contra Papatum, ibid.
Baptismus â Scholasticis disputando ventilatus, 15. 16.
Baptismus super sepulcra mortuorum, 678.
Baptismi formalia verba, an ex traditionibus, 76.
Baptismus infantium ex Sacris literis probatur, 80.
Baptismus Johannis & Christi, 638.
Baptismus non repetendus, 639.
Baruch liber apocryphus, 406.
Bellarminus docet, panem tolli posse in Cœnâ, si detur calix, 769.
Bibliorum versio Lutherana, 415. 416.

C.

Caiphas erravit, 311.

Calumnia

Calumniæ Pontificiorum de Luthero, 233. 278. 282. 287. 430. 437. 504.
Calumnia de Lutheranis diabolum adorantibus, 287.
Calix omnibus porrigendus, 662.
Capitulare Francofurtense, 507.
Caracter bestiæ qvid sit, 583.
Carolus Magnus indixit Synodum, 508.
Catholicum qvid sit, 446. 447.
Catholica Ecclesia qvænam, 442.
Christus sibi nihil promeruit, 21. *an pro peccato originali & actuali satisfecerit,* 153. *est caput Ecclesiæ,* 327. *non habet vicarium in terris,* 327.
Ceremoniæ qvomodo admittendæ, 749.
Cephas qvale nomen, 562.
Certitudo salutis & justificationis nostræ, 182. 183.
Cherubini an adorati, 242.
Coccius de Luthero, 430.
Cœlibatus, 628 *seq.*
Conciliorum autboritas, 101. *non sunt regula fidei, ibid. sibi contradicunt,* 111. *an sint supra Papam, incertum est,* 112. *sæpius errarunt,* 114. *legitima qvænam,* 117. *difficultates de concilijs convocandis,* 118. *â Luthero non reijciuntur,* 119. *Concilium Nicenum,* 120. *â Pontificijs reijciuntur,* 121.
Cœna Domini an sub unâ celebranda, 653. 769.
Cœnæ Dominicæ abusus apud Pontificios, 768.
Concilium Tridentinum de justificationis certitudine nihil definit, 323.
Concilium Hierosolymitanum, 553.
Concilium Constantiense deponit Papam, 329.

Confessio auricularis reijcitur, 189.190.341.
Confirmatio an Sacramentum, 637.
Concomitantia Papistica, 665.
Conscientiæ ad fidem non possunt cogi. 380.
Consilia Evangelica, 624.
Conjugij necessitas, 503.
Conjugiū Clericorū ab ipso Pontifice confirmatur, 767.
Conjugium an Sacramentum, 637.
Conversio Gentium, 760.
Creaturæ in Papatu consecrantur, 750.
Crux Christi an miracula operetur, 263.
Cucullorum monasticorum sanctitas, 284.

D.

Dissensiones Pontificiorum, 27.28.29.30.
Dissensiones in Ecclesiâ Lutheranâ, 31. exspirant, 32.
Diabolus non docuit Lutherum, sed tentavit, 279.
Diabolus tentat Sanctos, 281.
Divortium, 504.

E.

Ecclesia potest obscurari, 7. 8. potest errare, 9. 598. seq. testatur de Scripturis 83. est columna veritatis, 106. in veteri Testam. obscurata est, 514.515. sine publico exercitio latet, 594.
Ecclesia an significet Papam, 293.573.
Eleemosynæ an peccata expient, 168.
Elias scribit Epistolam ad Joramum, 632.
Elisæ ossa mortuum resuscitant, 261.
Episcopi possunt errare, 108.109.110.599.
Episcopi veri qvinam, 488.
Episcopi an â Presbyteris distingvantur, 491.
Erasmus commendatur â Pontifice, 322.
Errores sunt distingvendi, 510.

Esdra

Esdræ liber tertius & qvartus apocryph. 410.
Ethnici Christianos æmulati sunt, 205. *Ethnicorum cultus à Deo prohibitus*, 208. 209.
Evangelici an Catholici, 450.
Exorcismi Papales, 46. *reÿciuntur*, 47.
Extrema unctio an Sacramentum, 637.

F.

Felicitas, an nota Ecclesiæ, 362. 476.
Fides justificat, 167. *sola sine operibus*, 718.
Fides Infantium, 640. *qvalis illa sit*, 642.
Fides Majorum qvæ fuerit? 528.
Figmenta Papatus, 41.
Flagellatio Monachorum, 478.
Florimundus de Inqvisitione Hispan. 376. *de nativitate Lutheri*, 431.
Francisci Legenda an apocrypha, 151. *ejusdem miraculum*, 283 *ejus nugæ & ineptiæ*, 285.
Franciscus an vitam æternam nobis promeruerit, 152.
Fraudes Pontificiorum, 234.
Funus Lutheri splendidum, 282.

G.

Garnetus approbat æqvivocationes, 274.
Græca Ecclesia est purior Romanâ, 520. *Papam pro capite non agnoscit*, 521.

H.

Hæreses à Luthero excitatæ, 426.
Hæreses non dependent ex astris, 432.
Hæretici non interficiendi, 377.
Hæretici qvomodo tractandi, 378.
Hæretici definitio, 588.
Hierarchia Ecclesiastica, 290.
Hieronymi Savanorolæ doctrina, 524.

Hispanica inqvisitio, 365. *non fundatur in Scripturis*, 366. *seq*. 377. *qvalis sit*, 376.
Hussi doctrina, 532.

I.

Jacobi Epistola, 413.
Idololatria qvomodo committatur, 714.
Jejunium qvadragesimale reijcitur, 733.
Johannes non fecit miracula, 466.
Index expurgatorius, 238.
Indulgentiæ reijciuntur, 737. *ultra mundi annos extendũtur*, 744. *pro futuris peccatis venduntur*, 745.
Infantes an credant, 517.
Imperatores Papæ restiterunt, 521.
Impietas Papatus, 485.
Imagines an honorandæ, 707.
Intentio ministri qvotuplex, 187. *non dat efficaciam Sacramentis*, 188.
Judæ Epistola, 414.
Judas Maccabæus an pro mortuis sacrificaverit, 674.
Judex controversiarum an privatus, 346.
Judæorum tolerantia, 383.
Judith liber apocryphus, 408.
Jugum Christi svae & leve, 193.
Justificatio non recipit magis & minus, 164.

L.

Leges Ecclesiasticæ an obligent conscientiam, 610.
Legatio Regis Hispaniæ ad Papam, 321.
Leo Decimus commendat Testamentum Erasmi, 322.
Lex non potest impleri, 191. 192. *an ad Christianos pertineat*, 419.
Legenda Sanctorum, 494. *tranctant ridicula*, 496. *impia & blasphema*, 497. *scandalosa & scurrilia*, 498. *ab ipsis Pontificijs accusantur*, 499. *Lutheri de illis judicium*, 500.

Liberum arbitrium distingvitur 719. in spiritualibus negatur, ibid.
Libri hæreticorum an prohibendi, 236.
Libri Magici sunt comburendi, 237.
Lites Monachorum de conceptione Mariæ, 321.
Lotio pedum Pontificia, 297.
Lutherus bona opera appellavit peccata, 25. *fidem in Baptismo reqvirit,* 26. *Academias & Scholas amplificavit,* 38. 39. *contra Missam scripsit,* 45. *non contemnit Scripturam,* 62. *non fuit osor sed defensor Magistratus,* 231. *cur durius scripserit contra qvosdam Principes,* 231. *seditiones non excitavit, sed prohibuit,* 232. *miracula petijt ab Anabaptistis,* 249. *miraculis non opus habuit,* 247. *an docuerit fidem hæreticis non esse servandam,* 272. *ejus colloqvium cum Diabolo,* 278. *seq. an mentitus fuerit,* 286. *non excitavit turbas,* 355. *qvid in Pathmo egerit,* 386. *vinci non potuit,* 388. *Deo adscripsit opus reformationis,* 391. *Legitimè vocatus est,* 393 *seqq. ordinatus,* 396. *non reijcit libros Scripturæ,* 405. *non depravat Scripturas,* 415. 416. *non jussit peccare* 424. *non fuit inconstans,* 433. *seq. non contradixit sibi,* 435. *ejus prædictiones,* 438. 439. *non expunxit Catholicā in symbolo,* 444. 445. *nō prohibuit bona opera,* 479. *seq.*

M.

Maccabæorum Libri apocryphi, 407.
Magdalena Cruzia, 243.
Magistratus in Papatu contemnitur, 210. *an sint oves monachorum,* 212. *debet scripturā legere,* 213. *ex calice benedicto bibere,* 214. *à Luthero commendatur,* 217. *est a Deo, non a Pontifice,* 219 220. *Synodos convocat,* 221. *a Pontificijs ad tyrannidē incitatur,* 223 *a monachis trucidatur,* 225. *debet religionē curare,* 613

Magistratus potest decipi. 471.
Magistratus hæreticus non interficiendus, 226.
Magistratus non est Dominus conscientiæ, 358.
Magia in Papatu docetur, 48.
Majores in Papatu an salvati, 505.
Maria non contrivit caput serpentis, 141. *an redemptrix & mediatrix,* 142. *seq. an Dea,* 145. *an passa pro nobis,* 146. *an lacte suo nos redemerit,* 148. *an sine peccato concepta,* 321. *an habuerit peccatum,* 739. 771.
Mausim notat missam, 49. *non Regẽ Septentrionis,* 50.
Melchisedech an sacrificaverit? 666. *cur obtulerit panem & vinum,* 667.
Meritum Christi à Pontificiis extenuatur, 35. 138. *An nostris operibus virtutem merendi tribuat,* 140. *infinitum est, aliasq; satisfactiones respuit,* 171.
Methodus systematis Theologici, 535.
Missarum varietas, 41.
Missa in cœna reijcitur, 672.
Missatici canonis inventio, 43.
Ministri Ecclesiæ Lutheranæ rectè vocantur & ordinantur, 487.
Miracula Papatus ficta, 243. 250. *hodie rara,* 468. 772. *Diabolica,* 469. *falsa à veris non possunt discerni,* 469.
Miracula Antichristi, 464.
Miracula Christi, 465. *discernuntur à Pontificiorum miraculis,* 472.
Miracula an necessaria, 245. 246. *non probant doctrinam,* 247. *ultimis temporibus non promissa,* 462. *seq.*
Morientes in Papatu non habent solatium. 175. 199.

Mona-

Monachorum castitas, 633. 770.
Monachorum encomia, 485.
Monasteria olim erecta, 511.
Monarchia Papalis, 299. *reÿcitur,* 307.
Moses an fuerit Sacerdos, 618.
Morientes in Papatu, 518.
Multitudo Confessorum non notat Ecclesiam, 459.
Mus hostiam arrodens, 14.

N.

Naturæ lumen an doceat cultum divinum, 748.
Nazaræi. 659.
Nota Ecclesiæ, 596.
Novum & renovatum differunt, 456.

O.

Opera bona an mereantur vitam æternam, 156. 157. 158. 159. 160. 727. *an justificent,* 162. *Opera omnia excluduntur â Justificatione,* 167. 170. *â Luthero non prohibita,* 420. *non justificant,* 425. *an signent veram Ecclesiam.* 482. *in nostris Ecclesijs docentur,* 484.
Opus operatum qvid sit, 343.
Ordinatio Ministrorum in Ecclesiâ Lutheranâ, 486. *an â tribus Episcopis necessariò peragenda,* 489. *toti ministerio est commendata.* 493.
Orandi præcepta, 387.

P.

Papa an supra Concilium, 113. *an jussu Scripturæ venerandus sit,* 228. 229. *lavat pedes pauperum,* 297. *Papæ multi errarunt,* 319. *non potest decidere controversias,* 321. 324. *est Antichristus,* 326. 586. 764.
Paulus reprehendit Petrum, 316. *Ejus prærogativa,* 555.
Paupertas spontanea, 626. 627.

Papatus ex Ethnicismo ortus, 101.
Papissa fœmina, 276. 277.
Paparum Schismata, 328.
Patres unde dicantur, 84. *non sunt regula fidei,* 85. *potuerunt errare,* 86. *non habuerunt immediatam adsistentiam Spiritus Sancti,* 87. 88. *Errarunt sæpius,* 90. *fuerunt inconstantes,* 91. *contradicunt sibi,* 92. *illorum scripta multa interierunt,* 93. *quædam illorum scripta sunt supposititia,* 95. *Omnia illorum scripta non possunt perlegi,* 96. *à nobis honorantur,* 100 348 *ab ipsis Pontificijs sæpe reÿciuntur,* 98. 539. *corrumpuntur,* 238.
Patrum doctrina de fide justificante, 402.
Peccata venialia, 679.
Peccatum Originale habitat in Renatis, 23. *non imputatur credentibus,* 24. *à Pontificÿs non habetur pro peccato,* 154.
Peregrinationes religiosæ reÿciuntur, 756.
Petrus an fundamentum Ecclesiæ, 556.
Petri fides, 107. *an erraverit,* 309. *an fidem amiserit,* 313. *cibos quosdam immundos esse putabat,* 314. *à Paulo reprehensus est,* 315. *Oves Christi pascit,* 550. *tributum solvit,* 551. *claves regni cælorum accepit,* 552. *ejus prærogativa,* 554.
Petra Ecclesiæ quænam, 563. *seq.* 763.
Petrus an Romæ fuerit, 566. *an judex controversiarum.* 571. 572.
Pietas vera & ficta distinguenda, 483.
Pilati scalas ascendere qualis cultus, 325.
Philippus Melanchton mutat Augustan. Confess. 334.
Philosophia à Lutheranis non contemnitur, 302. *Theologiæ non contrariatur,* 303.

Philo-

Philosophiæ usus in Theologia, 305. *abusus ejusdem*, 306.
Photinianorum errores, 536.
Pontificij artibus & lingvis non sunt imbuti, 40. *fugiũt Scripturã in disputando*, 64. *scripturas depravant*. 69. 71. 72. *authoritatẽ Scripturæ ab Ecclesia depẽdere docent, comburũt cõfessores Scripturæ*, 74. *fatẽtur cõcilia errasse*, 116. *Concilijs adversantur*, 121. *incerti sunt de justificatione*. 177. *seq. non possunt morientes solari*, 199. *magistratum contemnunt*, 216. *ad tyrannidem incitant*, 223. *occidunt*, 225. *Magistratui prohibent lectionem libror. Luther.* 235. *an Catholici*, 449.
Pœnitentia an Sacramentum, 637.
Pœnitentiæ partes, 166.
Pœnæ hominis an satisfactoriæ, 166.
Primatus Papæ, 289. *a Christo prohibitus*, 295.
Principes Protestãtes de Papistico Theologiæ studio, 36.
Principum multitudo non est signum Ecclesiæ, 474.
Prædicantes, 762.
Prædestinatio absoluta a Pontificijs docetur, 195.
Propositiones demonstrativæ, 645.
Processiones reijciuntur, 759.
Purgatorij locus incertus apud Pontificios, 677.
Purgatorium qvos capiat, 196. *an preces Monachorum exinde liberent*, 197. *penitus exstingvitur*, 680.

R.

Revelationes reijciuntur, 181.
Reliqviæ Sanctorum 258. *cultus illarum*, 259. *reijcitur*, 260. *abusus illarum in Papatu*, 265. *seq. non faciunt miracula*, 703.
Remissio peccatorum non datur in altero seculo, 675.

Reli

Religionis propagandæ media, 354.
Romana Ecclesia errat, 10.
Rusticorum bellum non â Luthero excitatum, 356.

S.

Sacrificium missaticum reÿcitur, 672.
Sacrificia novi Testamenti, 668.
Sacramentorum proprietates, 78. numerus binarius ex Scripturis, 79. de numero illorum Pontificÿ dissentiunt, 635.
Salomo removit Abjathar, 619.
Samuel verus an resuscitatus, 253. seq.
Sancti an invocandi, 702. an orent pro nobis, 684. seq. an omnia videant in Deo, 693.
Sanctitas Ecclesiæ, 607.
Sanctorum satisfactiones negantur, 738.
Sanctorum canonizatio, 494. qvales Sancti in Papatu, ibid. legenda illorum, 496.
Sangvis humanus an peccatum expiet, 149.
Sapientiæ liber apocryphus, 411.
Scholasticorum multitudo, 12. Dissensiones, 27.
Scholastica Theologia, 13.14.15.16.
Scholasticorum qvæstiones magis curiosæ qvàm utiles, 19. Intricatæ, 19. 27. prorsus inutiles, 34. De intentione ministri speculationes, 185.
Schismata Paparum, 328.
Scriptura contemnitur in Papatu, 53. 55. authoritas ejus unde, 54. 81. Lectio ejus probibetur, 56. 57. 63. 64. 766. non seducit legentes, 60. 61. est verbum Dei, 81. 82. est perfecta, 135. est perspicua, 350. 351. debet legi in omnibus lingvis, 352. etiam â Laicis, 353. an sit Judex, 527. qvomodo judicet, 574. seq.
Septem Sacramenta Pontificiorum, 636.

Serpens æneus, 703.
Spiritus Sanctus docet veritatem, 103. *Apostolis adsistebat in Concilio,* 104.
Successio Doctorum nihil probat, 455.
Symbolum Apostolicum à quo conscriptum, 444.

T.

Transsubstantiatio à Scholasticis ventilata, 17.
Transsubstantiatio in Cœna reijcitur, 650.
Thesaurus indulgentiarum reijcitur, 740.
Tobiæ liber apocryphus, 409.
Traditiones reijciuntur, 122. *distinguuntur,* 123. 131. 137. *a Paulo non sunt stabilitæ* 125. *nec ab Augustino,* 126. *illarum Catalogus a Pontificijs non potest produci,* 128. *pugnant cum Scripturis,* 129. *a Pharisæis recipiebantur,* 130. *sunt incertæ & intricatæ,* 133. *ex scripturis non possunt probari,* 542 *seq.*

V.

Verbum Dei non Scriptum, 124. *Verbo Dei nihil addendum,* 173. 174.
Vera doctrina potest inveterascere & obscurari, 458.
Versio Bibliorum Lutheri, 59.
Victoriæ an sint Ecclesiæ nota, 363.
Vitæ pravitas an ex doctrina, 436.
Vitia Vulgatæ Versionis, 58. 765.
Umbra Petri operatur miracula, 261.
Una species Cœnæ reijcitur, 662. *seq.*
Votum continentiæ, 632.

W.

Waldenses, eorumq; doctrina, 519.

Z.

Zizania doctrinæ quomodo evellenda, 378.

Erra-

Sphalmata sic corrigantur.

P.64. lin.20. *Extravag.* p 67. lin.19. *tribuerent* p. 117. lin. 17. *esset*. p. 130. lin. 10. *Apoc 21. v. 14.* p. 131. lin. 29. *Domino*. p. 133. lin. 22. *illos*. p. 183. lin. 15. *credebāt*. p. 187. lin. 19. *canonizant*. p. 192. lin. 20. *distinctè*. p. 215. lin. 2. *suppressis*. p. 222. lin. 18. *Exod. 25.* p. 223. lin. 15. *Exod. 25.* p. 227. lin 27. *immiscet*. p. 243. lin. 22. *Ossa Propheta*. p. 263. lin. 17. *Euchar.* p. 266. lin. 2. *equitis*. lin. 14. *Ore*. p. 272. lin. 15. *vatidico* p. 329. lin. 2. *mortuis*. p. 336. lin. 25. *operibus*. p. 341. lin. 7. *gratitudine*. p. 351. lin. 11. *feceris*. p. 359 lin. 23. *truculentiam*. p. 360. lin. 5. *Aaronis*. p. 400. lin. 13. *positum fuerit*. p. 421. lin. ult. (*qvamvis*. p. 441. lin. 21. *Paciano*. p. 461. lin. 16 *Hieronymum*. p. 468. lin. 27. *fabulis*. p. 573. lin. 21. *seculo*. p. 475. lin. 26. *sive ipsos*. p 492. lin. 22. *aliqvot*. p. 496. lin. 24. *Apostolos*. p. 517. lin. 6. *Ecclesias*. p. 519. lin. 18. *sive*. p. 537. lin. 12. *Cleri*. 540. lin. 11. *inscij*. p. 555. lin. 7. *dicere*. p. 559. lin. 18. *Bibliorum*. p. 625. lin. 12. *Deut. 30.* p. 640. lin 24. *Seraphica*. p. 692. lin. 25. *ut*. p. 732. lin. 15. *Jer. 35.* p. 736. lin. 14. *adimunt*. p. 749. lin. 1. *Pontificÿs.* Cætera Benevolus Lector pro candore suo corriget.

F I N I S.

EIGENTHUM DES COLLEGIUMS ST. ANNA IN AUGSBURG

Müller, Johannes

Anti-Iansenius hoc est necessaria responsio ad defensionem fidei catholicae Romanae apostolicae, quam Nicolaus Iansenius Belga, ord. Praedicat. et sedis apostolicae missionarius anno superiore edidit & necessariae admonitioni ad ecclesiam Hamburgensem de papismo fugiendo

Hamburgi 1634

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Th S 1023
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11295156-5